I

ERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

TRACTATUS

DE PAENITENTIA

Brugis, typis Houdmont-Boivin et Filiorum.

Sa 11

UNIVERSA THEOLOGIA SCHOLASTICA

QUAM IN COLLEGIO LOVANIENSI S. J. TRADEBANT

L. DE SAN G. LAHOUSSE ET A. VERMEERSCH E. S.

TRACTATUS

DE

PAENITENTIA

AUCTORE

LUDOVICO DE SAN S. J.

ACADEMIAE ROMANAE S. THOMAE AQ. SOCIO



BRUGIS

APUD CAROLUM BEYAERT BIBLIOPOLAM

ROMAE & RATISBONAE
APUD P. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
APUD P. LETHIELLEUX

1900

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

Ego Augustus PETIT, Praepositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Ludovico MARTIN ejusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo ut liber cui titulus : **Tractatus de paenitentia** a Patre Ludovico de SAN, S. J. conscriptus et a deputatis censoribus rite recognitus atque approbatus, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 20 Augusti 1899.

Augustus PETIT, S. J.
Praep. Prov. Belg.

IMPRIMATUR.

Brugis, 27 Augusti 1899.

† GUSTAVUS-JOSEPHUS, Episc. Brugen.

TRACTATUS

DE

PAENITENTIA.

De paenitentia tractationem instituentes, agunt theologi tum de virtute paenitentiae tum de sacramento paenitentiae. Comparatur autem virtus paenitentiae ad sacramentum paenitentiae tamquam pars vel quasi pars ad totum. Quod enim per modum materiae concurrit cum absolutione sacerdotis (se habente ad instar formae) ad constituendam essentiam sacramenti paenitentiae, vel quod saltem ad essentiam hujus sacramenti (si haec dicatur in sola absolutione consistere) de necessitate praesupponitur, sunt actus quidam illius qui suscipit sacramentum ; hi porro actus singuli, contritio videlicet, confessio et satisfactio, sunt actus pertinentes ad virtutem paenitentiae. Nec tamen, sicut sacramentum paenitentiae vel includit vel saltem necessario praeexigit actus virtutis paenitentiae, ita vicissim virtus paenitentiae, quantum est de se, dicit essentialem ordinem ad sacramentum paenitentiae. Quippe tum in vetere lege tum etiam in nova lege, quantum ad eos qui non sunt baptizati, complete constare poterat ratio hujus virtutis absque hoc quod inter actus ejus necesse esset poni propositum suscipiendi sacramentum paenitentiae. Quia ergo notio paenitentiae virtutis est independens a notione sacramenti paenitentiae, non vero est e converso, idcirco rectus ordo doctrinae postulat ut prius determinetur de paenitentia, ut nominat virtutem vel actus virtutis, et deinde de paenitentia, ut nominat unum ex septem novæ legis sacramentis.

Circa paenitentiam autem virtutem considerandum est principaliter de quatuor, scilicet 1° de ejus essentia, 2° de ejus materia et diversis ejus actibus, 3° de ejus subjecto, 4° de ejus necessitate.

PARS PRIOR.

DE PAENITENTIA VIRTUTE.

CAPUT I.

De notione ac significatione subjecta tum vocabulo paenitentiae tum praesertim vocabulo μετανοίας eique respondenti vocabulo hebraico teschoubâ.

1. — Quia de nulla re quaeri quidpiam potest, nisi prius aliqualis ejus notio, quae ipsius sit sufficienter distinctiva, teneatur ; idcirco, priusquam inquiratur de virtute paenitentiae in quonam ejus essentia consistat, determinandum erit quaenam sit significatio voci *paenitentiae* aliisque vocibus homonymis subjecta, quod idem sane erit atque tradere definitionem nominalem paenitentiae.

Paenitentia est nomen derivatum a verbo paenitere, ideoque, prouti hujus significatio variat apud auctores latinos, varia etiam illi significatio adhaerescere potest.

Porro verbum paenitere, significatu quodam largissimo eodemque improprio sive translato, pro eodem sumitur atque verba *taedere, pudere, pigere ;* quo sensu, uti manifestum est, dicitur aliquem paenitere paenitentiave duci etiam eorum quae independenter a libera ejus voluntate evenerunt. Talis notio subest verbo paenitendi apud Ciceronem, in L. De senectute : « Num igitur, si centesimum vixisset annum, eum suae senectutis paeniteret? » Et in Somnio Scipionis, l. III de republica : « Jam ipsa terra ita parva mihi visa est ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, paeniteret. » Sic etiam legitur apud Livium : « Haud me paenitet sententiae eorum. »

At proprie acceptum verbum *paenitere* nisi in voluntariis rebus non

dicitur. Apud probatissimos nempe quosque latinitatis auctores duo significatione sua importat, nempe α) dolorem ob factum antea a nobis admissum et β) demutationem sententiae affectusque in factis ejusdem modi. Ita apud Aulum Gellium, in Noctium Atticarum l. XVII, c. 1, statuunt Gallus Asinius et Largus Licinius, accuratissimi sane verborum pensiculatores : « Paenitere, inquiunt, tum dicere solemus, cum, *quae ipsi fecimus aut quae de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere sententiamque in iis nostram demutamus.* » Quare reprehendebant Ciceronem quod in oratione pro M. Caelio scripsisset « numquam eum (M. Coelium) tam acerbe laturum ut eum paeniteret non deformem esse natum. » Neminemque aiebant recte ita loqui, « paenitere sese quod natus sit, aut paenitere quod mortalis sit, aut quod ex offenso forte vulneratoque corpore dolorem sentiat, *quando istiusmodi rerum nec consilium sit nostrum nec arbitrium.* » Quorum sententiam approbat ibidem ipse Aulus Gellius : « Est haec quidem, ait, quam dicunt verbi hujusce sententia, *et paenitere nisi in voluntariis rebus non probe dicitur.* »

Proprio tamen eo sensu, quem modo tradidimus, accipitur verbum *paenitere* non solum in iis quae in vitio sunt, sed etiam in rebus ceteroquin laudabilibus. Sic Seneca, l. I, c. 1, De beneficiis, scripsit « multos muneris sui paenitere. » Et Cicero, Philippica 12 : « Si est erratum spe falsa atque inani, redeamus in viam. Optimus est portus paenitentiae, mutatio consilii. »

Licet autem, quando aliquis paenitudine ducitur eorum quae recte laudabiliterque egit, haud raro contingat ut ipse actus paenitendi sit malus, saepe tamen accidit ut nec ea quorum nos paenitet nec ipse actus quo eorum nos paenitet, vitio nobis sint danda. Semper tamen etiam in hoc casu paenitentia supponit ex parte sui subjecti tum mutabilitatem animi tum limitatam providentiam. Quapropter, etiam quando paenitentia neque ipsa est vitiosa neque ex parte suae materiae vitium praesupponit, numquam nisi sensu metaphorico de Deo in Scripturis usurpatur. (Cf. Gen. VI, 6, 7, I Reg. XV, 35, Joa. III, 10). Paenitere nempe Deum dicitur eo dumtaxat quod in exteriore opere ea agat quae videmus homines paenitentia priorum factorum ductos agere.

2. — Ceterum usu tum ecclesiastico tum frequentiore ipsorum auctorum profanorum verbum *paenitere,* uti et *paenitentia,* non adhibetur nisi de iis quae merito alicui vitio dantur, hoc est de actionibus moraliter malis et peccaminosis. Haec enim sunt per se materia detes-

tationis, cetera vero nonnisi per accidens. Manifestum est autem mutationem sententiae atque affectus circa hujusmodi actiones, saltem si sit seria, idem esse atque *propositum emendationis*. Quapropter dici potest sensu illo ecclesiastico ac usitatiore paenitentiam duo importare, nempe a) detestationem peccatorum antea admissorum et b) propositum emendationis. Et licet hoc posterius possit non adesse nisi virtualiter vel etiam totaliter deficere, quando videlicet contingit paenitentiam conjungi cum desperatione, numquam tamen detestatio facti praeteriti a propria illa vocis paenitentiae notione, quam nunc expendimus, abesse potest. Ad quod comprobandum innumera antiquorum dicta in quibus verbum paenitendi occurrit, adduci possent. Sufficiat, exempli causa, huc attulisse duos locos ex libris gentilium depromptos. Cicero, in IV Tusculan. quaest.: « Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit. Tanta vis fuit paenitendi. » Hoc est : eo usque doloris paenitentia ejus processit. Ita quoque Ovidius, l. I. de Ponto elegiar. II :

« Paenitet, o si quid miserorum creditur ulli,
Paenitet et facto torqueor ipse meo. »

3. — At vero, praeter duo illa quae significatione hujus vocis paenitentiae communissimo auctorum tum profanorum tum ecclesiasticorum usu comprehendi diximus, importat id vocabulum, sensu ecclesiastico usurpatum, tertium aliquid, nempe *propositum satisfaciendi*, h. e. *poenalia opera assumendi in compensationem delicti*. Hunc sensum stabilire intendens S. Isidorus Hispalensis, in Exhortatione ad paenitentiam, hanc tradit vocis paenitentiae etymon : « A punitione *paenitentia* nomen accepit, quasi punitentia, dum ipse homo punit paenitendo quod male admisit. » Et l. VI. Originum pro paenitentia « *punientiam* » dixit. « Nam, » inquit ibidem, « nihil aliud agunt quos veraciter paenitet, nisi ut id quod male fecerunt, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadet. » Quae ultima verba mutuatus est ex S. Augustino, epist. 54. — Ita etiam auctor libri De vera et falsa paenitentia, sub nomine Augustini a veteribus citari solitus : « Continue dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis vis. Paenitere enim est poenam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. »

Valde autem notandum est poenalia illa opera quae juxta veteres Patres a vere paenitentibus sponte assumenda sunt, magnam partem consistere in ipsomet dolore peccatorum voluntarie excitato. Hoc

nempe sonant verba quae ultimo loco adduximus. Id etiam asseverat Augustinus in Soliloq., c. 19 : « Paenitere idem est quod rei commissae aliquem pudere ac pigere, ita ut *paenitet* sit idem quod *poena tenet;* quae enim taedio ac pudori sunt, ea puniendi vim habent. »

4. — Quae hactenus tradidimus de genuina vi vocis paenitentiae, vix ullam habent controversiam. At quaestio est cum Luthero et quibusdam aliis haereticis utrum vox paenitentiae, eo quem perhibuimus sensu, sit vox in scripturis usitata, h. e. utrum ea vox reddat vim vocabulorum μετάνοια et teschoubâ quibus in novae et veteris scripturae fontibus conversio ad Deum significari solet. Quae quaestio maximi sane est momenti ; perinde enim id est atque quaerere utrum tria illa quae nomine paenitentiae importari diximus, pertineant ad virtutem paenitentiae, qualis haec in scripturis commendatur.

Lutherus itaque in Sermone de paenitentia et in Epistula ad Staupizium tria statuit, nempe a) vocem μετανοίας, uti et vocem hebraicam ei respondentem, quae reditum ad Deum sive conversionem significat, non recte reddi voce latina paenitentiae, sed potius vertendam esse *resipiscentiam ;* quippe praedictis vocibus solummodo significari demutationem animi atque affectus, h. e. propositum vitam corrigendi.

Proptereaque b) de ratione paenitentiae christianae, h. e. τῆς μετανοίας, non esse internum dolorem sive detestationem peccatorum anteactorum.

Itidem c) propositum satisfaciendi, h. e. assumendi opera poenalia in compensationem peccati, prouti est Dei offensa, non esse de ratione paenitentiae salutaris, patereque id non solum a) ex genuina significatione vocum μετανοίας et teschoubâ, verum etiam b) ex eo quod juxta disertam scripturarum doctrinam nulla nostra opera possint esse meritoria, nec per consequens satisfactoria coram Deo, tum etiam c) ex eo quod hujus oppositum asserere deroget necessitati et sufficientiae satisfactionis a Christo in cruce exhibitae (Cf. inter errores 42 Lutheri a Leone papa X damnatos articulos 5, 6 et 7 apud Denzinger, p. 88).

Luthero praeiverat Erasmus qui in adnotationibus suis in Cap. III Matthaei asseruit vim vocis μετανοίας, qua utuntur scripturae novae, non satis probe exprimi nomine *paenitentiae* et potius vertendam esse per *resipiscentiam.*

5. — Nec tamen inter protestantes posteriores ac ne inter ipsos quidem Lutheranos inventi sunt qui hanc patriarchae sui sententiam integre defenderent. Nam, quod attinet ad odium et detestationem peccatorum antea admissorum, fatentur jam omnes protestantes eam

paenitentiae, qualis haec in scripturis tam novi quam antiqui foederis commendatur, partem esse essentialem. Ne autem a magistri sui dictatis desciscere videantur, contendunt Lutherani calumniam esse catholicorum, quando asserunt Lutherum negasse quod paenitentia sit odium vel dolor de vita praeterita, hujus quippe contrarium plus millies in scriptis Lutheri occurrere.

At quam inanis sit haec eorum defensio, liquet tum a) ex eo quod nihil mirum foret, si Lutherus, prouti fert versatile novatorum ingenium, diversis temporibus diversisque in operibus opposita de re praesenti docuisset, tum b) ex eo quod contritio, quam in iis suis operibus ad quae provocant Lutherani, ipse ponit esse partem paenitentiae, non definitur ab ipso consistere in detestatione peccati, sed in terroribus et angoribus, estque eadem juxta ipsum non voluntaria, sed coacta, immo ne actio quidem, sed mera passio, — tum demum c) ex hisce ejus verbis in Sermone de paenitentia : « Plus *tibi* discutiendum est confessuro quantum diligas justitiam quam quantum oderis peccatum, multoque majore, *immo solo hoc labore tibi cogitandum est* quomodo futuram vitam agas bonam quam quomodo oderis aut deseras praeterita mala. Verissimum est enim proverbium et omni doctrina de contritionibus hucusque data praestantius : Optima paenitentia, nova vita. » Idem innuit circa primam conclusionem suarum resolutionum : « Non ergo, inquit, *in usu Scripturae sacrae* paenitentia dolor dicitur, sed mutatio mentis et consilii. »

Ceterum illud ex modo notatis collegisse juverit, controversiam quae circa primam partem doctrinae a Luthero de paenitentia traditae aliquando exstitit, ex theologica evasisse pure historicam ; jam enim non ambigitur inter catholicos et protestantes utrum destestatio interior peccatorum pertineat ad essentiales partes paenitentiae salutaris, sed solummodo quaenam Luthero de hac re menti sententia haeserit.

Alteram tamen Lutheri de paenitentia propositionem, nempe propositum pro peccatis vitae anteactae satisfaciendi nullo pacto pertinere ad paenitentiam in scripturis commendatam, uno ore defendunt protestantes omnes.

Quapropter de paenitentia, *in quantum haec pro se habet testimonium scripturarum,* duo in praesentiarum quaerenda sunt, nempe 1° contra Lutherum, utrum ad eam pertineat tamquam pars maxime essentialis intima peccatorum prius admissorum detestatio, et 2° contra protestantes omnes, utrum in ea etiam includatur propositum Deo pro offensa quam ei peccando intulimus, satisfaciendi.

6. — Quo autem status utriusque quaestionis pressius adhuc definiatur, tria insuper animadvertenda sunt.

Primum est, de vi ac potestate vocis μετανοίας ex usu potius scripturae et auctorum quam ex etymologia decernendum esse. Quippe minime negamus multum interesse inter paenitentiam et μετάνοιαν, si ad solam originationem horum vocabulorum respicias. Paenitentia nempe, quantum est ex vi vocis *poenae* a qua derivatur, significat internum dolorem de facto aliquo prius admisso conceptum, μετάνοια vero, spectata vi harum vocum μετά et νοεῖν ex quibus componitur, significat *transmutationem,* h. e. mutationem mentis atque consilii.

Secundum est, contingere identidem ut usu etiam auctorum vox μετάνοια alio sensu accipiatur atque vox latina *paenitentia.*

Nempe a) interdum verbum μετανοεῖν, uti et vox μετάνοια, ita accipiuntur ac si in eis praepositio μετά idem valeret atque *post.* Quo sensu μετανοεῖν opponitur τῷ προνοεῖν idemque significat atque *post factum advertere, post factum intelligere atque sapere.* Ita verbum illud sumpsit Plato in Gorgia, cum scripsit : Ταῦτα γάρ προνοήσασι μὲν δυνατὰ, μετανοήσασι δὲ ἀδύνατα. « Haec enim praevidentibus quidem tolerabilia sunt, ad ea vero, postquam contigerunt, attendentibus, intolerabilia. »

b) Aliquando vero verbum μετανοεῖν, uti et vox μετάνοια, accipitur quidem ita ut praepositio μετά idem valeat atque *trans;* simul tamen presse inhaeretur etymologiae vocis ita ut *solummodo* per eam significetur *mutatio sententiae* prius animo inhaerentis, in iis etiam rebus quae ad proprias actiones nihil attinent. Ita verbum illud usurpavit Xenophon in Cyropaedia. Cum enim dixisset sibi multis rationibus convicto persuasum fuisse homines facilius ceteris animantibus quam hominibus imperare, postea subdit : « Ἐπειδὰν δὲ ἐνοήσαμεν, sed *ubi cogitavimus* fuisse Cyrum Persam qui haberet et homines et civitates et gentes complures sibi subjectas et obedientes, ἐκ τούτου δὴ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν, *tum demum coacti sumus mutare sententiam* et arbitrari hominibus imperare non esse rem adeo difficilem, nedum impossibilem, si quis hoc scite et prudenter faciat. » Ubi vides opposita νοεῖν καὶ μετανοεῖν.

Tertium demum quod hic animadverti oporteat, illud est, nos quidem omnino contendere μετανοεῖν et μετάνοιαν, attentis harum vocum tum usu biblico tum frequentissima apud probos quosque auctores significatione, idem prorsus sibi velle atque *paenitere* et *paenitentiam;* nec tamen, si hujus oppositum evincerent adversarii, nos idcirco causa nostra casuros esse. Esto enim, tum graece μετάνοια tum hebraice teschoubâ (reditus, conversio) nihil aliud significent quam propositum novae vitae ; nihilo-

minus tamen efficaciter ostendi poterit, juxta doctrinam scripturae tum interiorem peccatorum detestationem tum propositum satisfaciendi necessario comitari *τὴν μετάνοιαν* salutarem. Adeo ut, etiamsi stet praedicta suppositio, merito ecclesia utatur nomine paenitentiae ad significandam non solam *μετάνοιαν*, sed etiam appendices eidem in scripturis adnexas.

His praejactis, sit

Propositio

Nomen paenitentiae, spectato eo ejus usu qui fundamentum habet in scripturis sacris, non importat solam consilii mutationem seu novae vitae propositum, sed vel maxime odium ac detestationem peccatorum antea admissorum, tum etiam propositum congruam pro eis Deo satisfactionem exhibendi.

7. — **Probatur** 1° *ex synonomia vocum paenitentiae et μετανοίας*. Eadem prorsus est potestas vocis latinae *paenitentia* et vocis graecae *μετάνοια* ; sed vox *paenitentiae,* uti ex testimoniis supra adductis abunde liquet, non solum significat mutationem consilii, sed etiam interiorem peccatorum antea admissorum detestationem ; ergo hanc significat etiam vox graeca *μετάνοια* ; et, per consequens, quandoquidem voce paenitentiae utimur ad significandum id quod scripturae novae legis vocant *μετάνοιαν*, necesse est concludere hanc vocem, spectato eo ejus usu quo significat peccatorum antea admissorum detestationem, habere fundamentum in scripturis sacris.

Minor et utraque consequentia hujus argumenti sunt manifestae, Major vero probatur

a) Ex auctoritate vetustissimorum auctorum ecclesiasticorum, quibus utraque lingua, graeca nempe peraeque atque latina, familiaris fuit. Quibus certe magis circa genuinam significationem vocis *μετανοίας* credendum est quam vel Luthero vel adeo Erasmo. Scribebant enim priores illi auctores eo tempore quo lingua graeca non modo in communi adhuc erat loquela, sed etiam maxime erat diffusa tam in occidente quam in oriente. Porro exercite, h. e. ipsa sua praxi iidem attestantur eamdem prorsus potestatem esse subjectam voci *μετανοίας* atque voci paenitentiae. Sic v. g. non modo Hieronymus, sed et latinus scripturarum translator qui eum praecessit, *μετάνοιαν*, ubicumque occurrit in scripturis N. T., reddunt per paenitentiam. Idem praestant in operibus suis Tertullianus et Cyprianus. Sic v. g. Cyprianus, in l. De lapsis, verba haec ex Apoc. II, 5 : *μνημόνευε πόθεν πέπτωκας καὶ μετα-*

νόησον, sic vertit: « Memento unde excideris, et age paenitentiam. » Etiam latinus Pastoris Hermae interpres, quem constat fuisse antiquissimum et ante aetatem Tertulliani floruisse, vim vocis graecae μετανοίας reddidit voce latina paenitentiae. Quod manifestum fiet conferenti versionem operis latinam cum textu graeco nuper reperto, cujus ceteroquin lacinia ad rem nostram attinentia legere est apud Originem, Clementem Alex. et pseudo-Athanasium.

Probatur etiam Major argumenti facti b) ex testimonio auctorum profanorum. Sufficiat huc adduxisse distichon quo Ausonius μετάνοιαν, quam gentiles uti deam venerabantur, sic depingit :

Sum Dea quae facti non factique exigo poenas.
Nempe ut paeniteat, sic metanoea vocor.

8. — Probatur 2° *ex significatione quam ex contexta verborum serie patet communiter attributam esse voci* μετανοίας *apud scriptores graecitatis sive gentilis sive ecclesiasticae.* Apud gentiles videlicet auctores nomen μετανοίας non solum notat a) mutationem consilii, verum etiam b) dolorem de facto antea admisso ; apud ecclesiasticos vero auctores idem nomen notat praeter haec duo c) propositum satisfaciendi pro peccatis antea admissis. Ex quibus eadem conclusio eruitur quae prius deducta est.

Probatio assumpti. 1. *Auctores gentilitatis.* Pro multis unus sufficiat Lucianus. Hic in fine dialogi De saltatione sic scribit de quodam qui Ajacem furentem saltaverat : καὶ αὐτὸν μέντοι φασὶν ἀνανήψαντα οὕτω μετανοῆσαι ἐφ' οἷς ἐποίησεν, ὥστε καὶ νοσῆσαι ἀπὸ λύπης. « Referunt tamen eum, postquam ad mentem sanam rediit, ita eorum quae fecerat, paenituisse, ut prae tristitia in morbum incideret. » Ubi significatione τῆς μετανοίας includi praeter consilii mutationem dolorem animo conceptum propter errata voluntatis priora, colligitur tum a) ex eo quod vi copulationis verborum necesse est τὸ μετανοεῖν aliquid superaddere τῷ ἀνανήψαι, quod est resipuisse, nihil autem superadderet, si praeter resipiscentiam non diceret internum dolorem — tum b) ex eo quod objectum τῆς μετανοίας figitur *factum saltationis,* quod impossibile esset, si μετάνοια non importaret dolorem — tum c) ex eo quod asseritur ἡ μετάνοια in tantam tristitiam crevisse ut qui saltaverat in morbum incideret.

2. *Auctores ecclesiastici. Hermas,* citatus et approbatus a Clemente Alexandrino, l. II Stromatum, circa medium : Ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὴν μετάνοιαν σύνεσιν εἶναί φησι μεγάλην. Μετανοῶν γὰρ ἐφ' οἷς ἔδρασεν, οὐκ ἔτι ποιεῖ ἃ λέγει, βασανίζων δὲ ἐφ' οἷς ἥμαρτεν, ψυχὴν ἀγαθοεργεῖ. « Idem autem (pastor) dicit etiam paenitentiam esse magnam intelligentiam. Quem enim paenitet

eorum quae fecit, ea non amplius facit aut dicit, sed propter ea quae peccavit, animam suam torquens, bene agit. » — Assumptum concluditur a) ex objecto quod assignatur τῇ μετανοίᾳ (ἐφ' οἷς ἔδρασεν, ea quae fecit) et b) ex eo quod μετανοῶν dicitur discruciare animam suam (βασανίζειν ψυχήν) propter ea quae fecit. Posterioribus nempe hisce verbis manifestum est ab Herma et Clemente doceri propositum exhibendi opera satisfactoria pertinere ad rationem τῆς μετανοίας. Ex quo ulterius concluditur ad μετάνοιαν pertinere dolorem de peccatis : non enim nisi is qui detestatur peccata sua, potest venire in propositum sumendi vindictam de eis.

Chrysostomus, Hom. 4 in II Cor., cum dixisset : « Cor contritum et humiliatum habebat, quod ipsius peccata maxime abstergebat », addit: καὶ γὰρ τοῦτο ἐξομολόγησις, τοῦτο μετάνοια. « Haec est enim confessio, haec paenitentia. » Ubi apertum est τὴν μετάνοιαν partim reponi in contritione cordis, eidemque contritioni, proindeque et τῇ μετανοίᾳ, cujus est pars, adscribi vim satisfactoriam.

9. — Probatur 3° *ex ipsis scripturis.* Multis scilicet in locis scriptura τῇ μετανοίᾳ et conversioni sive reditui ad Deum (teschoubâ) adjungit tamquam quaedam prorsus requisita verum animi dolorem de peccatis cum proposito pro eisdem satisfaciendi. Quamobrem, etiamsi phrasi scripturae μετάνοια et conversio non significarent nisi propositum mutandi vitam, verum tamen maneret nomen paenitentiae, quantum ad tria et singula quae significatione hujus nominis in thesi complexi sumus, habere pro se testimonium scripturarum.

Probatur assumptum. 1) *Scriptura vetus.* Jeremiae VIII, 6 : « Nullus est qui agat paenitentiam (hebraice qui gemat) super peccato suo, dicens : Quid feci ? » — Propositum concluditur ex eo quod gemitus est signum doloris, pro objecto autem hujus doloris assignantur peccata propria.

Joel. II, 12, 13 : « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra. » — Notum est ex libris scripturae veteris scissionem vestimentorum, uti et sparsionem cineris supra caput, indutionem sacci atque alia hujusmodi fuisse usurpata apud Hebraeos in signum luctus atque doloris ; quia tamen exteriores hosce ritus etiam hypocritae adhibebant, idcirco propheta non tam vestium quam cordis scissionem, h. e. internum animi dolorem postulat ad *veram* (ex toto corde) coram Deo conversionem. His adde jejunium, uti et fletum ac planctum, esse opera poenalia.

Jonae III, 6: « Surrexit rex Ninive de solio suo et abjecit vestimentum suum a se, et *indutus est sacco et sedit in cinere.* Et clamavit et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus... : *Operiantur saccis homines,* et clament ad Dominum in fortitudine et convertatur vir a via mala » (Cf. Job. XLII, 6, Ps. CXVIII, 136).

2). *Scriptura nova.* Matth. XI, 21 : « Vae tibi, Corozaim, vae tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in te, olim in cilicio et cinere paenitentiam egissent (*πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν*). — Cum, uti dictum est, actus sese sacco operiendi et cinerem supra caput spargendi sint signa doloris, *ἡ μετάνοια* quam Dominus ab incolis Corozaim et Bethsaide frustra expetivit, ea est quae vel includat vel adjunctum sibi habeat internum dolorem de peccatis.

Adde exempla omnium illustrium paenitentium in scripturis commemoratorum, adde sensum traditionalem jam inde a primis ecclesiae seculis repetitum, cui etsi protestantes denegent vim dogmaticam, non tamen possunt non concedere magnam vim tum historicam tum exegeticam. Quippe patres priorum illorum seculorum, eo quod quasi insonantem adhuc auribus praedicationem apostolorum exceperant, quam optime comparati erant ad assequendam genuinam vim praeceptorum in scripturis apostolicis commendatorum. At patres illi omnes, agentes de paenitentia in scripturis commendata, nomen paenitentiae eo sensu usurpant quem in thesi exhibuimus. Pro omnibus unus sit Augustinus, Sermone 351, n. 12 : « *Non sufficit ad paenitentiam mores in melius mutare* et a factis malis recedere, verum etiam de his quae facta sunt *satisfiat Deo per paenitentiae dolorem,* per humilitatis genitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. »

Solvuntur difficultates.

10. — **Objicitur 1°.** Tertullianus et Lactantius, graecae linguae peritissimi, testantur nomine *μετανοίας* solam significari mutationem consilii, ac propterea id nomen melius reddi latine per resipiscentiam quam per paenitentiam.

Tertullianus, l. III. adv. Marc. c. 24 : « In graeco sono paenitentiae nomen non ex delicti confessione, *sed ex animi demutatione compositum est.* »

Lactantius, l. VI Instit., c. 24 : Is quem facti sui paenitet, *errorem*

suum pristinum intelligit; ideoque graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, *quam nos latine possumus resipiscentiam vertere.*

Respondetur 1°. *Transm. Antec., neg. conseq.* Uti enim dictum est, etiamsi efficaciter evincerent adversarii voce *μετανοίας* non exprimi nisi solam resipiscentiam, nihil tamen id contra nos; nisi insuper ostendatur dolorem de peccatis conceptum et propositum satisfaciendi non esse appendices *τῇ μετανοίᾳ* in scripturis adnexas.

Respondetur 2°. *Disting. Antec.:* Auctoribus Tertulliano et Lactantio, *μετάνοια* solam exprimit resipiscentiam, si nudum vocis etymon et originem spectes; *Conc. Ant.;* si ad nominis significationem et usum respicias *Neg. Antec.;* et *neg. Cons.* et *conseq.*

Tertullianus, quantum ad id quod in verbis objectis diserte asserit, restringit considerationem ad eam vocis *μετανοίας* significationem quae *ex ejus compositione elucescit.* Eo ipso tamen quod loquitur *de nomine paenitentiae* quod in graeco sono usurpatur, implicite asserit nomen *μετάνοια* apud graecos sibi vindicare ex communi usu significationem aeque amplam atque nomen paenitentiae apud Latinos.

Eadem notatio valet circa verba Lactantii. Nam a) per hoc quod ait Lactantius Graecos (melius et significantius) dicere *μετάνοιαν* idipsum quod Latini exprimunt verbo paenitere, implicite asserit eamdem esse significationem atque usum vocis graecae *μετανοίας* atque vocis latinae paenitentiae. b) Per hoc vero quod ait vocem *μετανοίας*, in quantum praecise intenditur per eam significari resipiscentiam *esse meliorem ac significantiorem* quam verbum latinum paenitere, dat intelligere significationem resipiscendi includi quidem in significatione totali quam importat verbum paenitere, hanc tamen ejusdem verbi significationem partialem non elucescere ex ejus etymo, sicuti elucescit ex etymo vocis graecae *μετανοίας.*

Ceterum mox post verba citata subdit Lactantius ea ex quibus thesis nostra luculenter confirmatur. Magis enim jam explicans vim hujus verbi *paenitere,* complectitur tria illa significata quae thesi nostra exprimuntur. Quapropter necesse est dicere ipsius sententia etiam voce *μετανοίας* eadem illa tria significari. Nam, uti ostensum est, supponit Lactantius verbum paenitere et verbum *μετανοεῖν* esse ejusdem amplitudinis in significando. En integrum Lactantii textum: « Is quem facti sui paenitet, errorem suum pristinum intelligit. *Ideoque* Graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere. *Resipiscit enim* ac mentem suam quasi ab insania recipit, *quem errati piget, castigatque seipsum dementiae* et confirmat

animum ad rectius vivendum, tum illud ipsum maxime cavet ne rursus in eosdem laqueos inducatur. »

11. — **Objicitur 2°.** Qui tradit definitionem alicujus vocis, intendit declarare omnia quae significatione hujus vocis importantur. Sed Damascenus, l. II De fide orthodoxa, definiens *μετάνοιαν*, non meminit internae peccati detestationis neque etiam propositi satisfaciendi, sed solummodo mutationis vitae sive conversionis. Ergo duo illa priora non importantur in significatione vocis *μετανοίας*.

Damascenus, De fide orth., II, 30 : Μετάνοιά ἐστιν ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν, καὶ ἀπὸ τοῦ διαβόλου πρὸς τὸν θεὸν ἐπάνοδος. « Paenitentia est ab eo quod naturae adversatur ad id quod ei conveniens est, atque a diabolo ad Deum regressio. »

Respondetur. a) Reticentur ultima definitionis verba : δι' ἀσκήσεως καὶ πόνων, quibus significat Damascenus duros labores, h. e. opera poenalia sive afflictiva, pertinere ad rationem paenitentiae. Sed ejusmodi opera, in quantum ultro assumuntur, praesupponunt in eo qui ea assumit, interiorem detestationem peccatorum ; uti supra ostensum est. Ergo. — b) Conversio, de qua Damascenus, ea est quae non fit tantummodo exteriore vita, sed affectu et voluntate ; versatur autem, uti diserte indicat definitio ab eo data, inter duos terminos, a quorum uno (vita mala) receditur et ad quorum alterum (vitam bonam) acceditur. Sed affectu et voluntate non recedimus ab anteacta vita mala, nisi in quantum eam odimus et detestamur. Ergo.

12. — **Objicitur 3°** ex II Cor. VII, 8-11 : « Quoniam etsi contristavi vos in epistula, non me paenitet : et si paeniteret, videns quod epistula illa, etsi ad horam, vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad paenitentiam (*εἰς μετάνοιαν*). *Contristati enim estis secundum Deum,* ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. *Quae enim secundum Deum tristitia est, paenitentiam in salutem stabilem* (impaenitendam) operatur ; seculi autem tristitia mortem operatur. (ἡ γὰρ κατὰ Θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον ἐργάζεται. Ἡ δὲ τοῦ κόσμου λύπη θάνατον κατεργάζεται). Ecce enim hoc ipsum, [quod est secundum Deum contristari vos] quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem (*ἀπολογίαν*), sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam ; in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio (istius incestuosi, de quo Paulus in I Cor. V, 1 et seq.).

Unde ita : In hoc loco nomine *μετανοίας* non importari detestationem peccatorum, sed nudum propositum novae vitae, patet dupliciter.

a) Ex eo quod tristitia secundum Deum, h. e. dolor peccatorum, dicitur fuisse causa τῆς μετανοίας Corinthiorum ; id enim falsum esset, si dolor peccatorum esset ipsa μετάνοια, quandoquidem causam oportet realiter distingui a suo causato. — b) Ex eo quod v. 11 Paulus enucleatius describens illum effectum tristitiae secundum Deum, quem v. 10 vocaverat μετάνοιαν, eum nullo pacto reponit in detestatione peccatorum, sed solummodo in operibus novae vitae, h. e. in resipiscentia se re et operibus manifestante. Ergo.

Respondetur 1°. *Dist. assumptum :* Μετάνοια ista Corinthiorum, de qua Paulus, neque includebat detestationem peccatorum neque conjungebatur cum tali detestatione ; *Nego assumptum.* Licet non includeret detestationem peccatorum, cum ea tamen conjungebatur sicuti effectus cum sua causa ; *Trans. Assumpt.;* et, sub data distinctione, nego consequentiam : quia, ut saepe monuimus, ad veritatem theseos a nobis assertae sufficit τὴν μετάνοιαν in scripturis commendatam indivisibiliter conjungi cum detestatione peccatorum et proposito pro eis satisfaciendi.

Neve dicas ex eo loco minime haberi τὴν μετάνοιαν salutarem indivisibiliter conjungi cum detestatione peccatorum ; Paulum quippe, licet τὴν μετάνοιαν Corinthiorum repetat ex detestatione peccatorum, minime asserere hanc causam esse necessariam aut loco ipsius non posse aliam causam intervenire. — *Hoc non juvat dicere,* inquam, quia exinde solummodo concluditur ex loco illo Pauli solitarie accepto thesin nostram efficaciter probari non posse, quod ultro concedimus ; solummodo enim hic contendimus neque adversarios inde aliquid pro sua causa extundere posse ; quia ad hoc oporteret a Paulo positive asseri τὴν μετάνοιαν salutarem absque detestatione peccatorum consistere posse.

Respondetur 2° *negando assumptum. Ad primam assumpti probationem dicitur,* probabiliter posse dici *tristitiam illam secundum Deum,* quam conceperant Corinthii, non fuisse tristitiam de peccatis suis propriis, sed de peccato alieno, nempe de peccato incestuosi illius, de quo Paulus 1 Cor. v. Ibi enim v. 2. exprobaverat apostolus Corinthiis quod « non magis luctum habuissent, ut tolleretur de medio eorum qui hoc opus fecit. »

Ad secundum probationem dicitur, ad scopum Pauli solummodo pertinuisse ut diserte explicaret eam τῆς μετανοίας partem, quae consistebat in resipiscentia Corinthiorum sive in mutatione eorum rationis agendi erga incestuosum illum cui prius favere visi fuerant. Scopus enim Pauli erat ostendere magnam se consolationem percepisse ex eo quod epistula illa sua reprehensoria, licet ad horam Corinthios contris-

tasset, tamen duplicem effectum, quem praesertim, epistulam illam scribens, intenderat, consecuta esset, nimirum 1° zelum Corinthiorum contra pseudoapostolos in favorem Pauli, et 2° sollicitudinem eorum ac indignationem de incestu inter eos commisso.

CAPUT II

Utrum paenitentia sit virtus.

13. — Paenitentia, prouti nunc de ea loquimur, est vel actualis vel habitualis.

Paenitentia actualis sunt actus illi quos importari diximus usu ecclesiastico hujus nominis paenitentiae.

Paenitentia habitualis est habitus inclinans potentiam, quae horum actuum est productiva, ad eosdem eliciendos.

Disputatio quae de natura paenitentiae jam suscipienda est, ita proponi solet ac si ea procederet tantummodo de paenitentia prouti nominat habitum operativum. In ea videlicet quaerunt auctores utrum paenitentia sit virtus, et, supposito affirmative respondendum esse, cujusmodi sit ea virtus. Revera tamen haec disputatio aeque procedit de natura paenitentiae actualis atque de natura paenitentiae habitualis. Et ratio hujus est manifesta : cum enim habitus specificentur ex actibus quorum sunt principia, natura alicujus habitus nequit innotescere nisi ex determinata natura actuum tali habitui competentium. Quare quaestio proposita non variaretur, si directe proponeretur de actibus, quaerendo videlicet utrum actus paenitentiae sint per se honesti, et, supposito id affirmandum esse, cujusmodi sit haec eorum honestas.

Ut autem status totius controversiae de natura paenitentiae jam deinceps habendae enucleatius definiri possit, quaedam de notione et distinctione virtutum praemittenda sunt.

14. — *Virtus* definitur a S. Augustino esse *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* In qua definitione, uti advertit D. Thom. (in I^{a} II^{ae}, q. 55, a. 4), virtus notificatur per diversas suas causas, nempe a) per causam suam formalem (bona qualitas), b) per suum subjectum, loco causae materialis (mentis), c) per causam suam finalem (qua recte vivitur, qua nullus

male utitur) et d) per causam suam efficientem (quam Deus in nobis sine nobis operatur). Quae tamen ultima definitionis particula non pertinet nisi ad virtutes per se infusas.

Rigorosior est definitio quam praestat Aristoteles, II Ethic. c. 6 : *virtus,* inquit, *est habitus electivus secundum rectam rationem.* Ex qua definitione accipitur virtutem per duo distingui a ceteris habitibus operativis, nempe a) per hoc quod non subjectatur nisi in voluntate vel in potentia quae sit nata moveri a voluntate, in quantum est nata per eam moveri ; b) per hoc quod bonum ad quod virtus determinat voluntatem, est *bonum rationis,* nempe *bonum honestatis.*

Est etiam usitatissima haec secunda definitio Aristotelis : virtus est quae bonum facit habentem et opus ejus bonum reddit. Per quam definitionem, uti ostendit S. Thomas, virtus complete distinguitur non solum ab habitibus malis, sed etiam ab iis habitibus operativis qui aliquo modo in bonis sunt numerandi. Nempe a) ceteri habitus qui aliquo modo in bonis sunt numerandi, puta, variae artes vel variae scientiae, non faciunt hominem bonum nisi secundum quid, puta bonum fabrum vel bonum geometram; per virtutem autem homo redditur bonus simpliciter, h. e. per eas ipse redditur bonus in quantum est homo. Et hoc propterea, quia virtus perficit hominem in ordine ad illud bonum quod convenit naturae rationali, in quantum hujusmodi, quod est bonum honestum. Itidem b) ceteri habitus, qui aliquo modo in bonis sunt numerandi, perficiunt potentiam aliquam absolute consideratam, non vero perficiunt potentiam illam, prouti dicit ordinem ad voluntatem ; proptereaque ipsi praestant quidem voluntati facultatem recte operandi, non tamen inclinant voluntatem ad bene utendum hac facultate in ordine ad illud bonum quod est proprium hominis, in quantum est homo. Ex quo etiam fit ut non redundet in defectum artis, si quis voluntarie, sed tantummodo si quis involuntarie peccet contra regulas artis; contra, quo magis voluntarie aliquis agit contra regulam virtutis, eo magis id arguit in eo defectum virtutis.

A definitione modo explicata non differt nisi solis verbis haec tertia virtutis notificatio quae accipitur ex Aristotele : Virtus est *dispositio perfecti ad optimum.* Quando autem dicitur ab Aristotele virtutem esse *ultimum potentiae,* id accipiendum est non de ipsa virtute formaliter sumpta, sed de *objecto virtutis.* Tantumdem videlicet est ac si diceretur objectum proprium virtutis esse objectum maximum et perfectissimum in quod possit potentia. Tale autem objectum respectu voluntatis est bonum honestum.

15. — Virtutes aliae sunt *acquisitae* sive *naturales,* quae videlicet acquiruntur ex frequentatione actuum ; aliae vero sunt *per se infusae* sive *supernaturales,* quae videlicet immediate a Deo infunduntur animae.

Virtutes acquisitae non sunt necessariae ad possibilitatem actus, sed solummodo *ad modum quo actus fit ;* ipsae videlicet ad hoc tantummodo requiruntur ut *facile, prompte* et *delectabiliter* operemur. Contra, virtutes per se infusae dant ipsum *posse,* non vero dant modum operandi facile, prompte et delectabiliter.

Virtutum acquisitarum aliae sunt intellectuales, quae comprehenduntur nomine prudentiae, aliae vero sunt morales, quae generalissima quadam divisione recensentur esse temperantia, fortitudo et justitia. Contingit tamen ipsam prudentiam numerari inter virtutes morales, propterea quod materia circa quam praecipit, sunt actus virtutum moralium.

Quando autem dicitur quattuor esse virtutes cardinales, nempe prudentiam, temperantiam, fortitudinem ac justitiam, hoc potest dupliciter intellegi. Primo ita ut hoc nomine virtutum cardinalium intellegantur suprema genera virtutum; et hoc sensu omnes virtutes speciales acquisitae sunt partes quaedam subjectivae sive species virtutum cardinalium. Quod quidem sic considerari potest. Uti supra dictum est, virtus nequit subjectari nisi vel in voluntate vel in iis animae potentiis quae sunt oboedibiles voluntati. Nec tamen omnes animae potentias, quae natae sint moveri a voluntate, possibile est esse subjecta virtutum. Aliqua enim ex hisce potentiis, nempe potentia motiva, oboedit voluntati ad nutum, h. e. sine ulla contradictione, et propterea ipsa non indiget aliquo habitu eam rectificante ad hoc ut per eam tamquam per instrumentum voluntas prompte, facile et delectabiliter opus bonum operari possit. Aliae vero ex praedictis potentiis, nempe potentiae sensitivae interius apprehensivae, puta imaginativa, memoria et cogitativa, non sunt consummativae operis boni intenti a voluntate ipsis utente ; sed earum operatio est solummodo praeparatio quaedam ad opus ejusmodi, quod est cognitio veri pertinens ad solum intellectum. Oportet autem opus bonum consummari in ipsa potentia quae est virtutis subjectum. Secus quippe contingeret virtutem esse in actu, nec tamen haberi opus bonum, quod contradictorium est. Relinquitur ergo ut virtus non possit subjectari nisi vel in parte animae intellectiva vel in parte ejusdem appetitiva. Licet autem in intellectu speculativo sint plures habitus, puta intellectus, scientia et sapientia, ordinati ad

cognitionem veri, et licet similiter in ratione practica sit ars, non tamen per tales habitus inclinatur voluntas ad honestum usum eorumdem, eo quod nullum dicunt ordinem ad voluntatem ; quae causa est cur hi etiam habitus non sint proprie virtutes. Et sic relinquitur ut non alia sit virtus intellectualis proprie dicta nisi prudentia, quae est recta ratio agibilium. Habitus vero qui sunt in parte appetitiva animae, non aliter possunt habere rationem virtutis, nisi secundum quod per eos rectificatur appetitus vel in ordine ad bonum proprium voluntatis vel in ordine ad bonum alienum. In ordine autem ad bonum suum proprium voluntas non indiget aliquo habitu ipsam rectificante, quia ex naturali inclinatione voluntas est determinata ad appetendum bonum suum proprium. Necesse est tamen ut in utroque appetitu sensitivo, h. e. tam in appetitu concupiscibili quam in appetitu irascibili ponantur habitus quibus uterque hic appetitus reddatur facile oboedibilis voluntati in ordine ad prosecutionem boni proprii voluntatis. Nam per passiones partis concupiscibilis contingit impelli voluntatem ad appetendum bonum ipsi disconveniens ; per passiones vero partis irascibilis contingit ipsam retrahi ab appetitu boni ipsi convenientis. Et propter hoc in appetitu concupiscibili ponitur temperantia, quae ponit *medium rationis* circa concupiscentias delectabilium ; in appetitu vero irascibili ponitur fortitudo, quae ponit *medium rationis* circa tristia et terribilia. Tandem in ordine ad debitam prosecutionem boni alieni opus est habitu aliquo rectificante in ipsamet voluntate. Tametsi enim ex naturali inclinatione voluntas sufficienter determinetur ad prosequendum bonum suum proprium, non tamen per talem inclinationem ipsa etiam sufficienter determinatur ad prosequendum bonum alienum. Et propter hoc opus est ponere quartam aliquam virtutem, nempe justitiam, quae versetur circa operationes et res exteriores, ponendo circa eas non medium rationis, sed *medium rei*, h. e. *adaequationem rei ad rem* secundum rationem debiti.

16. — Aliter possumus loqui de virtutibus cardinalibus, intendendo eo nomine significare eas virtutes quae in diversis virtutum generibus sint principaliores. Et sic virtutes cardinales nominant virtutes quasdam speciales, licet non semper specialissimas. Secundum talem videlicet intellegentiam prudentia dicitur quae praeceptiva est circa agibilia, temperantia, quae moderatur concupiscentias maxime delectabilium, h. e. venereorum ac ciborum, fortitudo, quae firmat in bono rationis contra maxime terribilia, h. e. contra pericula mortis, justitia, quae est inter aequales secundum rigorosam rationem debiti. Et hic est

verior ac communior modus loquendi de virtutibus cardinalibus. Ad virtutes tamen istas sic sumptas ceterae virtutes speciales reducuntur per modum partium potentialium, h. e. talium quarum unaquaeque imperfecte participet rationem virtutis principalioris sive cardinalis sub eodem genere contentae.

Ad meliorem autem intellegentiam eorum quae de virtute paenitentiae mox disputanda erunt, speciatim conducit declarare quaenam justitiae, prouti haec nominat virtutem cardinalem proprie dictam, partes sint subjectivae, quaenam vero ejusdem partes sint potentiales. Age jam, justitiam illam proprie dictam, eam videlicet quae est ad alterum, ei reddendo aequale secundum rigorosam rationem debiti, partitur s. Thomas in tres species, nempe in justitiam commutativam, justitiam distributivam et justitiam legalem. Uti videlicet explicat in 2ª II ᵉ, qq. 58 et 61, potest attendi in aliqua communitate vel a) ordo unius personae privatae ad aliam personam privatam, et hunc ordinem, inquit, dirigit justitia commutativa, quae procurat in actionibus exterioribus medium justitiae secundum proportionem arithmeticam. Vel potest attendi b) ordo totius communitatis ad privatas personas, et hunc ordinem dirigit justitia distributiva, quae procurat medium justitiae secundum proportionem geometricam, distribuendo bona communia proportionaliter ad dignitatem singulorum. Vel potest attendi c) ordo cujusque personae privatae ad totam communitatem, h. e. ad bonum commune, et hunc ordinem dirigit justitia legalis.

Vocat autem ibidem s. Thomas justitiam legalem *justitiam generalem,* eamque dividit contra *justitiam particularem*, cujus partes sive species ponit esse justitiam commutativam et justitiam distributivam.

Circa quod advertendum est virtutem aliquam posse dici generalem tripliciter. *Uno modo* praedicatione, sicut genus est generale ad species sub genere contentas ; et hoc modo virtutes cardinales secundum priorem modum loquendi de his virtutibus sunt virtutes generales. *Alio modo* potest virtus aliqua dici generalis *collectione* vel *aggregatione,* secundum quod videlicet ipsa constituitur ex complexu multarum vel omnium virtutum. Quo modo, uti postea dicemus, quidam posuerunt paenitentiam esse virtutem generalem. *Tertio modo* dicitur virtus aliqua generalis *causalitate* sive *imperio ;* quatenus videlicet, licet secundum essentiam suam sit virtus omnino specialis, ad ipsam tamen, tamquam ad superiorem et imperantem, pertinet ordinare actus omnium aliarum virtutum in finem suum. Et hoc modo justitia legalis est virtus generalis. Ordinat enim actus omnium virtutum ad bonum commune. Et quia ad

legem pertinet ordinare in bonum commune, propterea justitia, prouti praedicto modo est generalis, vocatur justitia legalis.

Sunt autem etiam aliae virtutes quae hoc tertio modo sunt generales. Sic v. g. caritas potest praecipere actus omnium virtutum, ordinando eas in bonum divinum, itemque religio potest praecipere actus omnium virtutum, in quantum omnes tales actus redundant in gloriam divinam.

Partes vero potentiales justitiae sive virtutes ei adnexae sunt eae quae conveniunt quidem in aliquo cum justitia virtute principali, sed deficiunt a perfecta ratione ejus. Perfecta autem ratio justitiae consistit in eo quod alteri redditur debitum secundum aequalitatem. Unde dupliciter contingit aliquam virtutem quae sit ad alterum, deficere a perfecta ratione justitiae. *Primo quidem modo,* secundum quod id quod redditur alteri tali virtute, deficit a ratione aequalis. Et secundum talem modum deficiendi a perfecta ratione justitiae religio, pietas et observantia ponuntur esse partes potentiales justitiae. Neque enim homines Deo, neque filii parentibus retribuere possunt quantum illis debetur pro beneficiis acceptis. Cujus ratio est quod filius est aliquid patris et multo majore ratione homo et quidquid homo Deo offerre queat, jam totum est Dei. Quod considerantes aliqui primum hunc modum deficiendi a perfecta justitiae ratione explicant dicendo per eam defici a perfecta altereitate, quae in persona quae est justitiae subjectum, requiritur respectu personae illius ad quam est justitia. *Secundo modo* contingit aliquam virtutem quae sit ad alterum, deficere a perfecta justitiae ratione, secundum quod id quod tali virtute redditur alteri, deficit a perfecta ratione debiti. Multa enim sunt alteri debita non ex stricto jure ipsius, sed ex simplici ratione honestatis. Secundum talem autem modum deficiendi a rigorosa ratione justitiae adnectuntur justitiae tamquam partes potentiales veritas, gratitudo, vindicta, liberalitas, affabilitas sive amicitia et alia ejusmodi.

17. — His suppositis, jam ad enucleatiorem determinationem eorum quae de natura paenitentiae quaeruntur, veniendum est.

Quinque videlicet de natura paenitentiae investiganda sunt, scilicet :

1° Utrum paenitentia sit in genere virtutis,

2° Utrum sit virtus specialis ab omni alia distincta,

3° Utrum sit virtus theologica an moralis,

4° Utrum sit pars potentialis justitiae,

5° Utrum sit virtus per se infusa.

18. — In praesentiarum prima ex hisce quaestionibus tractanda est. Quae, uti jam principio notatum est, ante omnia quaerit de actu paeni-

tentiae, petens utrum sit actus honestus ; non enim nisi ex ostensa honestate alicujus actus concludi potest habitum a quo aptus natus est procedere idem actus, esse in genere virtutis. Hinc s. Thomas, tractans hanc primam quaestionem (in III, q. 85, a. 1) definit paenitentiam, quatenus nominat actum, dicens : Paenitentia est *dolor moderatus de peccatis praeteritis assumptus cum proposito ea removendi*. Quae definitio, quandoquidem complectitur omnes circumstantias requisitas ad hoc ut actus paenitentiae sit virtuosus, hic in antecessum explicanda est.

1) Dicitur paenitentia esse dolor *assumptus* de peccatis ad significandum dolorem qui requiritur ad paenitentiam, esse actum consistentem in *libera electione* voluntatis. Potest nimirum *dolor* dupliciter accipi. *Primo* pro motu appetitus sensitivi, et sic non est virtus, sed passio. Licet talis dolor possit esse aliquid consequens ex actu virtutis paenitentiae et eatenus esse voluntarius. *Secundo* potest sumi dolor pro displicentia, odio ac detestatione peccati, et eo sensu accipitur haec vox in definitione quam modo exponimus.

2) Dicitur paenitentia esse dolor *moderatus* de peccatis, quo excludatur a paenitentia de qua modo loquimur, dolor cum desperatione conjunctus, qualis fuit dolor Judae et qualis est in inferno dolor damnatorum (Cf. Sap. v, 3; Macch. XXVII, 3). Ad hoc videlicet ut dolor sit moderatus, debet conjungi cum spe veniae proptereaque ei praeire debent tum actus fidei, quo apprehendat peccator reconciliationem cum Deo sibi esse possibilem, tum actus spei, quo promissionibus Dei innixus confidat peccator se remissionem suorum peccatorum obtenturum esse. Ex hac declaratione patet definitionem, ad sensum quod attinet, non mutatum iri, si loco primorum verborum in ea usurpatorum, dicas cum quibusdam auctoribus paenitentiam esse *dolorem de peccatis praeteritis cum spe veniae*.

3) Dicitur paenitentia esse *cum proposito removendi peccata*. Quod non ita accipiendum est ac si peccator paenitens factus niteretur in hoc ut peccata a se olim commissa facta non fuerint. Hoc enim stultum foret, quandoquidem ad praeteritum non datur potestas. Sed propterea paenitens dicitur velle removere peccata, quia intendit removere sequelas peccati actualis, nempe a) reatum culpae (peccatum habituale, maculam peccati) et b) reatum poenae. Peccatum enim, licet physice transierit, moraliter tamen permanet, fitque idcirco ut peccator, tamquam talis qui se averterit a Deo fine ultimo eique injuriosus exstiterit, constituatur in statu habituali aversionis a Deo et in statu inimicitiae cum Deo (reatus culpae) et subjaceat debito poenas luendi (reatus poenae).

Intendit autem peccator removere peccata, satisfaciendo pro eis, h. e. exhibendo Deo *emendam* sive *compensam* pro injuria ei illata per peccatum.

Valde autem notandum est quod, prouti satis colligitur ex postremis definitionis verbis modo explicatis, id quod est propria materia paenitentiae, *etiam prouti haec dicit actum doloris,* non sunt peccata secundum quamcumque rationem considerata, puta, prouti dicunt simpliciter oppositionem ad naturam rationalem, sed quod talis materia sunt peccata, in quantum sunt offensa Dei.

His praejactis, sit

Propositio

Paenitentia vel est virtus vel actus virtutis.

19. — **Probatur** 1° *ex eo quod paenitentia est objectum legis divinae.* Praecepta legis divinae non sunt nisi de actibus virtuosis, quia legislator, ut ait Aristoteles (II Eth., c. 1), intendit facere cives virtuosos ; sed exstat praeceptum legis divinae de paenitentia ; Christus enim apud Matth. III, 17, exordium suae praedicationis sumpsit a paenitentia, praecipiens : « Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum, » idemque praeceptum divinum saepe inculcatur in aliis scripturae locis. Ergo.

20. — **Probatur** 2° *ex notione virtutis.* Virtus est habitus electivus secundum rectam rationem ; est autem aliquis actus conformis rectae rationi propter hoc quod cadit super debitam materiam et cum debitis circumstantiis ; unde omnis actus ab electione procedens, cadens super debitam materiam et debite circumstantiatus est actus bonus. Sed actus paenitentiae de quo nunc loquimur, est actus ex electione voluntatis procedens et cadit super debitam materiam, quia sicut omne bonum honestum debite placet, ita malum ei oppositum debite displicet. Informatur etiam debitis circumstantiis, quia dolet de peccatis a) eo modo quo dolendum est, h. e. cum spe veniae sive moderate, et b) eo fine quo dolendum est, nempe cum intentione compensandi injuriam Deo illatam et sic removendi peccatum. Ergo.

Solvuntur difficultates.

21. — **Objiciunt** 1° : Objectum virtutis est bonum ; sed paenitentia non est nisi de malo ; ergo paenitentia non est virtus.

Respondetur 1° *Dist. Maj.:* Objectum primarium virtutis non est nisi bonum, *Trans. Maj.* Etiam objectum virtutis secundarium non est nisi bonum, *Neg. Maj.*, et, *transmissa Minore, dist. Conseq.:* Ergo paenitentia non est virtus specialis, h. e. primario deputata ad eliciendos actus paenitentiae, *Trans. Conseq.* Ergo actus paenitentiae non sunt actus secundarii alicujus virtutis vel aliquarum virtutum, *Neg. Conseq.*

Respondetur 2° a quibusdam omnem virtutem esse de bono eo sensu quod actus ejus sit bonus ; tali porro sensu paenitentiam esse de bono; quia versetur circa malum tamquam detestandum ac fugiendum; sicuti enim honestum est bonum prosequi, ita etiam bonum et honestum esse malum detestari. — Talis tamen ratio respondendi, tametsi verum sit id quod in ea assumitur, non plene solvit difficultatem factam : haec enim ex eo oriebatur quod motivum proprium et intrinsecum virtutis, ex quo specificatur virtus, non possit esse nisi bonum aliquod et quod per consequens virtus quaelibet non versetur primario circa malum, sed circa bonum dumtaxat. Ex tali tamen fundamento difficultatis motae patet per eam solummodo concludi posse paenitentiam non recte dici *virtutem specialem* eo sensu ac si actus ejus primarii essent actus paenitentiae. De qua re plura in solutione quaestionis sequentis.

22. — **Objiciunt** 2°: Virtus juxta definitionem Aristotelis est dispositio perfecti ad optimum; sed paenitentia non est dispositio perfecti ad optimum; supponit enim in habente eam defectum, nempe peccatum; ergo paenitentia non est virtus.

Respondetur 1° *Concedendo Majorem, sed negando Minorem. Ad probationem minoris distinguitur assumptum :* Paenitentia sumpta pro habitu supponit defectum in habente eam, si primarium ejus munus sit exercere actus paenitentiae, *Transeat.* Si hoc sit solummodo secundarium ejus munus, ita ut, quantum ad principales suos actus, non praesupponat malum peccati tamquam detestandum ac destruendum, *Negatur.*

Nempe si hoc posterius verificetur, poterit paenitentia virtus esse utilis et actuosa etiam in eo qui numquam peccavit. Verum hic rursum tangitur quaestio mox disputanda, utrum videlicet paenitentia sit omni sensu virtus specialis.

Respondent 2° alii *distinguendo Majorem:* Virtus metonymice sumpta, prouti nominat actum virtuosum, est dispositio perfecti ad optimum, *Neg. Maj.* Proprie accepta, prouti nominat habitum, est talis dispositio, *Conc. Maj. Min. contradistinguunt :* Actus paenitentiae, saltem in nondum justificatis, non sunt dispositio perfecti ad optimum, *Conc.*

Min. Ipse habitus paenitentiae non est talis dispositio, *Neg. Min.* — *Ad probationem minoris*, quatenus per eam intenditur probari *Minor* hoc altero sensu accepta, respondent *sic distinguendo :* Habitus paenitentiae supponit defectum aliquando exstitisse in habente eum, *Conc.* Supponit defectum praesentialiter existentem in habente eum, quod omnino oporteret verificari ad hoc ut concludi posset habitum paenitentiae non esse dispositionem perfecti, *Neg.* Et ratio hujus postremae negationis est quod habitus paenitentiae, utpote per se infusus, non invenitur nisi in justificatis quodque subinde talis habitus numquam coexistit in habente ipsum cum peccato mortali. — Nihil vero repugnare subjectum virtutis fuisse aliquando sub peccato virtuti contrariante, aiunt auctores sic respondentes patere ex eo quod aliquid ex uno oppositorum potest mutari in aliud quodque per consequens homo ex imperfecto potest fieri perfectus et ex vitioso virtuosus.

Videtur nonnullis haec responsio esse ad mentem s. Thomae; patitur tamen difficultatem — tum quia a) vix negari potest potuisse in statu naturae purae ex frequentatione actuum acquiri habitum naturalem paenitentiae, hic porro habitus non solum potuisset in habente eum coexistere cum peccato mortali (quod tamen nullam creat difficultatem), sed idem habitus eo firmior fuisset atque intensior quo propter saepe replicata peccata aliquem saepius paenituisset, — tum praesertim quia b) valet contra talem rationem respondendi instantia quae mox urgebitur contra tertium respondendi modum.

Sunt itaque 3° **alii qui respondeant** *negando suppositum objectionis factae.* Quando videlicet virtus definitur ab Aristotele esse dispositio perfecti ad optimum, voce *perfecti* aiunt significari effectum formalem illius dispositionis quae est *virtus*, neutiquam vero eadem significari proprium subjectum virtutis. Ita ut sensus sit virtutem esse perfectionem hominis, ut est formaliter homo ; nullo modo vero sit sensus per virtutem excludi omne peccatum mortale, saltem a subjecto habente ipsam. Sane si posteriorem hunc sensum intendisset Aristoteles, ejus definitionem fore rejiciendam, quippe ex qua sequeretur aperte falsum : ex ea enim ita intellecta consequens fore virtutem acquisitam, de qua sola locutus est Aristoteles, vel per unum peccatum mortale statim corrumpi ; id autem repugnare non solum manifestae experientiae, sed etiam ipsi Aristoteli : juxta hujus namque doctrinam omnem habitum operativum, sive demum sit bonus sive sit malus, esse *difficulter mobilem.*

At licet haec responsio verissima asserat, fallitur tamen, sicuti

responsio praecedens, circa genuinum sensum difficultatis factae: non enim supponit haec difficultas virtutem non posse coexistere in habente eam cum peccato virtuti opposito; sed fundatur difficultas in hoc quod, cum virtus sit simpliciter perfectio habentis eam, nulla virtus essentialiter exigit ut habens ipsam fuerit aliquando sub ipsius contrario. Utrum autem hoc fundamentum firmiter stet et utrum per consequens primus modus responsionis non solum permissive sed assertive adhibendus sit, decerni non poterit nisi post disputatam ac solutam secundam ex quinque quaestionibus supra propositis.

23. — **Objiciunt** 3° : Secundum Aristotelem verecundia non est virtus, non solum quia videtur potius esse passio quam habitus; habet enim transmutationem corporalem adjunctam, nempe erubescentiam, quod est signum passionis, sed etiam quia est de turpibus, quibus non est locus in viro studioso. Sed etiam paenitentia est de turpibus. Ergo paenitentia non est virtus.

Verba Aristotelis sunt (Ethic. l. IV, in fine libri): « Nam pudor probi viri nullo pacto esse potest, *cum ob malas res exoriatur;* neque enim agendae res ejusmodi sunt.... Quare minime est erubescendum : *pravi enim hominis est esse hujusmodi ut turpe aliquid agat;* ita vero esse affectum ut, si quid turpe egeris, erubescas, ac propterea te probum existimare, absurdum plane est. »

Respondetur cum s. Thoma *Dist. Maj.:* Verecundia non est virtus tum quia a) respicit ut objectum turpe, factum praesens, tum quia b) motivum propter quod facit erubescere, est timor infamiae coram hominibus, cujusmodi motivum non est per se laudabile, cum aeque possit impellere ad malum quam ad bonum, *Conc. Maj.* Alio sensu, *Neg. Maj. Contradist. Min.:* Paenitentia respicit ut objectum turpe factum ut praesens et illud refugit propter motivum per se indifferens ad honestatem et inhonestatem, *Neg. Min.* Respicit ut objectum turpe factum praeteritum illudque detestatur propter motivum per se honestum, *Conc. Min.* et *sub tali distinctione nego Conseq.*

Perperam impugnat hanc s. Thomae responsionem Vasquez, quem videsis in III, q. 85, a. 1, dubio unico.

24. — **Objiciunt** 4° : Nullus operans actum virtutis stultus est; sed paenitens, in quantum detestatur peccatum praeteritum, stultus est ; detestari enim peccatum praeteritum est *nolle peccatum* praeteritum fuisse ; actus autem volendi peccatum praeteritum non fuisse stultus est, quia tendit in impossibile.

Respondetur *concedendo Maj.* et *Negando Min.* Ad probationem Mi-

noris principalis *dist. Maj.:* Detestari peccatum est velle peccatum non fuisse voluntate absoluta, *Neg. Min.* Voluntate, quae, licet sit absoluta subjective, h. e. in quantum est actus voluntatis, est tamen objective condicionata, tendens videlicet in suum objectum sub hac condicione : *si possibile esset, Conc. Maj.* et, *contradistincta minore cum ejus probatione, nego Consequens et consequentiam.*

Responsio haec aliquali explicatione indiget : nisi enim quaedam addantur, non plene evacuatur difficultas per distinctionem factam. Sciendum est videlicet tres esse actus voluntatis quibus paenitens afficitur erga peccata sua praeterita, nempe a) odium, b) detestationem et c) tristitiam sive dolorem. Est autem differentia inter hos actus. Odium enim est simplex displicentia, versans circa peccatum, quatenus consideratur in abstracto et quatenus sic praescindit ab omni differentia praeteriti, praesentis ac futuri ; detestatio vero dicit actum fugae a malo sive desiderium ut peccatum non fuerit; tandem tristitia est dolor de peccato, prouti vere illud commisimus. Est autem difficultas de actu detestationis formaliter accepto, h. e. considerato prout differt ab actu simplicis displicentiae.

Contra responsionem videlicet qua reponebatur peccati detestatio in volitione non absoluta, sed condicionata, instatur dicendo per hoc quod detestatio peccati ponitur consistere in volitione condicionata, neutiquam tolli a tali detestatione eam esse stultam, idque apparere — tum a) ex eo quod condicio illa quae apponitur detestationi objective sumptae, sit et cognoscatur esse impossibilis quodque per consequens, non obstante appositione talis condicionis, voluntas tendat in impossibile, qui est modus volendi non sapientium sed stultorum — tum b) ex eo quod condicio illa detestationi apposita aut auferat rationem praeteriti a detestationis objecto, nempe a peccato, prouti substat tendentiae voluntatis, aut rationem illam praeteriti non auferat ; si auferat, ergo voluntatem non tendere in peccatum, prouti realiter exstitit, nec proinde actum hunc tendendi posse vocari detestationem peccati, cum detestatio non sit nisi eorum quae aut sunt aut fuerunt ; concedi proin, si ita dicatur, id quod contendebat objectio prius facta, detestationem videlicet peccati praeteriti non posse elici absque hoc quod sit stulta ; si vero condicio illa apposita non auferat rationem praeteriti a peccato, prouti substat tendentiae voluntatis, voluntatem manifeste tendere in impossibile: actum quippe quo tendit tunc sic explicandum fore : Si haberem potentiam conjungendi *peccatum, uti est praeteritum,* cum negatione praeteritionis, id facerem ; de tali porro actu monifestum esse

per eum voluntatem in rem impossibilem ferri sub condicione quae et ipsa sit impossibilis ; — tum demum c) ex eo quod stultum sit habere volitionem prorsus otiosam atque inutilem; talis porro sit volitio illa condicionata, quippe quae eo ipso quod objective condicionetur condicione impossibili, sit prorsus inefficax. — Nec obviari posse huic tertiae probationi, dicendo cum Suarezio et Lugo detestationem illam esse efficacem — tum affectu, quia affectum omnino sejungat a peccato — tum etiam effectu, quia Deus illam detestationem acceptet ad deletionem peccati praeteriti, quantum ad hujus sequelas, et quia vi et efficacia hujus detestationis paenitens jam in posterum a peccatis caveat. — Non tenet, inquiunt qui praedicto modo objiciunt, obviatio ejusmodi — tum quid a) ea solummodo dicitur volitio efficax quae non solum affectu, sed re et opere vel procuret bonum amatum vel removeat malum detestationi habitum — tum praesertim quia b) effectus illi assignati sequuntur ex actu illo voluntatis, in quantum hic actus habet *rationem odii*, non vero in quantum habet rationem detestationis objective condicionatae.

Sunt qui hisce rationibus moti concedant paenitentem non habere circa peccata sua praeterita nisi affectum simplicis displicentiae sive odii conjunctum cum tristitia sive dolore. Ita, v. g. Hadrianus papa, qui ait condicionem quae cognoscatur esse impossibilis, non tollere a detestatione peccati praeteriti quominus haec tendat in impossibile et quominus sit per consequens stulta. Cum quo omnino sentit Vasquez, non solum quantum ad conclusionem, sed etiam quantum ad rationem qua haec nititur ; quantumvis speciem assumat argumenta Hadriani improbantis. Multoque adhuc longius progressus negat Vasquez possibilem esse ullam volitionem objective condicionatam, sed omnem volitionem, quae non sit efficax quantum ad modum tendendi in objectum, ait consistere in simplici affectu complacentiae vel displicentiae tam objective quam subjective absoluto. Nec obstare vulgarem modum loquendi quo condicionali utimur, dicendo : Vellem hoc vel vellem illud : hisce quippe verborum formulis non significari *actum voluntatis,* sed judicium intellectus quo affirmemus nos, spectato praesenti affectu simplici nostrae voluntatis, ita comparatos esse ut si haec vel illa conditio poneretur, hunc vel illum actum voluntatis habituri essemus.

Quod si hisce auctoribus objicias verba concilii Tridentini dicentis peccatorem se convertentem ad Deum moveri adversus peccatum *per odium aliquod et detestationem;* dicent profecto ibi voce detestationis

non significari nisi *actum odii;* nec tamen hanc vocem inutiliter addi; quia significet odium tam esse serium ut transiret in detestationem, si haec possibilis foret.

Dicendum est tamen detestationem peccati praeteriti quae sit objective condicionata, tum habere rationem verae detestationis, tum, hoc non obstante, non esse stultam, sed honestam ac laudabilem. Quod vero attinet ad rationes in oppositum factas, *dicitur ad primam,* stultum quidem esse absoluto et efficaci actu prosecutionis vel detestationis tendere in impossibile, quia hoc est *velle efficere* ut impossibile existat: non tamen stultum esse actu condicionato tendere in impossibile, dummodo illud per accidens et non per se sit impossibile, quia sic nullo modo volumus efficere aliquid impossibile. Et cum dicitur nos ipsam condicionem impossibilem velle, id prorsus negatur: dicendum est videlicet condicionem praesentari quidem ab intellectu, nullo tamen actu attingi a voluntate, sed hanc, supposita condicione quae si verificaretur, redderet objectum possibile, directe tendere motu detestationis in peccatum praeteritum.

Ad secundam dicitur, condicionem quae apponitur detestationi peccati objective spectatae, non auferre a peccato commisso rationem *jam commissi* sive praeteriti. Unde conceditur modum tendendi voluntatis, utut sit condicionatus, fore stultum, si sit hujusmodi: Si potentiam haberem conjungendi peccatum, ut est praeteritum, cum negatione praeteritionis, hoc facerem. Ratio tamen cur hoc concedatur, non est quod vi talis modi tendendi volumus efficere aliquid impossibile, sed quia stultum videtur velle vel condicionate aliquid quod non per accidens, sed per se sit impossibile. At nullo modo est stulta volitio condicionata ita explicata: Si id adhuc mihi possibile esset, vellem non peccasse, h. e. sub tali condicione vellem peccatum, quod revera commisi, numquam fuisse. Objectum enim hujus volitionis non est nisi per accidens impossibile, et aliquando fuit possibile illud non fuisse.

Ad tertiam concedituv, si standum sit in proprietate verborum, detestationem illam objective condicionatam esse inefficacem. At *negatur* eo etiam sensu eam esse inefficacem ac si esset inutilis atque otiosa: Tametsi enim illa detestatio non sit apta nata re et effectu procurare id in quod tendit atque eo sensu sit inefficax; ea tamen confert ad duplicem illum effectum qui in instantia indicatur. Nempe a) plene sequestrat affectum a peccato conducitque sic ad hoc ut paenitens non relabatur in peccatum, et b) confert ad delendas sequelas peccati actualis praeteriti.

Et ad obviationem qua talem responsionem adversarii excludere nituntur, *respondetur negando tum assertum tum rationes ad illud firmandum adductas.* Et rationes negationis sunt — tum a) quod nihil obstat quominus iidem effectus qui nati sunt consequi ex odio praecedente detestationem vel virtualiter incluso in detestatione, consequantur etiam ex peccatorum detestatione, prouti est formaliter detestatio, — tum b) quod simplex displicentia peccati abstracte considerati potest stare et revera stat in multis hominibus cum ingenti affectu erga peccata in concreto considerata, fitque idcirco ut detestatio odio peccatorum superveniens efficacius vel saltem manifestius ac certius affectum sequestret ab omni peccato — tum c) quod non simplex odium sive displicentia peccati, sed ejusdem detestatio est causa proxima doloris sive tristitiae de peccatis ; haec porro, utpote torquens atque discrucians animam, est vel maxime satisfactoria sive deletiva peccati, modo voluntarie sit inducta.

Omisimus afferre rationes quibus Vasquez (in I^{a} II^{ae}, disp. 42, c. 4) in universum probare nititur voluntatem condicionatam de re aliqua repugnare. Praeterquam enim quod a) alterius est loci hanc quaestionem data opera disputare, sunt b) hae ipsus rationes plane frivolae. Sententia vero c) cujus firmandae gratia adducuntur, manifeste falsificatur tum ex experientia intima cuique propria, tum ex usu loquendi, qui index est experientiae universalis. Cum enim dicunt homines : Utinam hoc vel illud factum vel non factum esset, aut alios huic consimiles usurpant tritissimos loquendi modos, manifeste enuntiant propositiones quae non judicii intellectus sed actus voluntatis sunt manifestativae.

CAPUT III.

Utrum paenitentia sit virtus specialis.

25. — Jam accedendum est ad secundam ex quaestionibus supra propositis, qua quaerebatur *utrum paenitentia sit virtus specialis, ab omni alia distincta.*

Uti autem jam notatum est in iis quae generaliter de virtutibus praemisimus, virtus aliqua potest dici generalis vel quia a) non est nisi genus de multis virtutibus praedicabile, vel quia b) constat collectione

multarum vel omnium virtutum, vel quia c) apta nata est imperare actus omnium virtutum. Quibus addi potest quartus adhuc modus praedicta appellatione utendi. Aliquando videlicet virtus aliqua dicitur generalis, quia generalem materiam amplectitur. Quia igitur quot modis dicitur unum oppositorum, tot etiam modis dicitur alterum ; potest virtus aliqua dici specialis — vel quia a) est in genere virtutis species aliqua specialissima aut saltem aggregatum aliquod talium specierum — vel insuper b) quia est species specialissima omnino unica — vel quia c) quantum est ex intrinseca ratione motivi ipsam specificantis, non est imperativa actuum aliarum virtutum, nisi per accidens — vel quia d) ipsa sibi non vindicat nisi specialem materiam circa quam versetur.

Quando quaeritur utrum paenitentia sit *virtus specialis,* accipitur nomen virtutis specialis *primo et secundo modo* complexive sumptis, non vero tertio et quarto modo. Intenditur videlicet quaeri utrum paenitentia sit in genere virtutis species aliqua specialissima eaque una dumtaxat. Quocirca specialitati virtutis paenitentiae de qua modo disputatio inducitur, neque obstat a) quod paenitentia sit virtus generalis causalitate sive imperio, neque etiam b) quod eadem circa generalissimam materiam versetur. Nam ex eo quod virtus secundum suam essentiam sit specialissima, efficitur quidem — a) ut ipsa non sit *elicitiva* nisi actuum virtuosorum omnino specialium ac determinatorum, non vero ut ipsa non sit *imperativa* aliorum etiam actuum virtuosorum quorumdam — et b) ut ipsa materiam circa quam occupatur, respiciat sub ratione formali omnino propria ac speciali, non vero ut ratione talis materiae ipsa non possit materialiter convenire cum multis aliis virtutibus.

Verum, supponendo in praesenti quaestione venire nomine virtutis specialis virtutem quae secundum suam essentiam sit specialis quaeque eadem sit una dumtaxat, adhuc tripliciter intellegi potest paenitentiam esse virtutem aliquam omnino specialem.

26. — *Primo* hoc potest ita intellegi ut dicatur ad hoc ut paenitentia sit virtus specialis, requiri non modo a) ut unius dumtaxat sit virtutis ejusdemque omnino specialis elicere actus paenitentiae, sed insuper b) ut eadem virtus occupetur *primario* circa actus paenitentiae. Talis porro sensus intenditur, quando quaeritur utrum paenitentia sit *virtus specialis ab omni alia distincta.* Nam quaerere utrum paenitentia, praeter hoc quod sit virtus specialis, sit ab omni alia distincta, idem est atque quaerere utrum *propter actus paenitentiae, in quantum hujusmodi,* requira-

tur virtus aliqua ab omni alia distincta; hoc porro ipsum, uti manifestum est, eo redit ut quaeratur utrum exercitium actuum paenitentiae sit munus primarium sive principale alicujus virtutis, non vero functio secundaria virtutis circa alios actus principalius ministrantis, puta virtutis religionis vel virtutis justitiae commutativae.

Secundo potest intellegi paenitentiam esse virtutem specialem ita ut ponatur ad hanc propositionem verificandam sufficere ac requiri ut unius dumtaxat sit virtutis ejusdemque omnino specialis elicere actus paenitentiae. Et quia virtutes notificantur ex suis actibus, ipsi vero actus notificantur ex suo objecto, non quidem materiali, sed formali, idcirco quaerere utrum paenitentia sit secundo hoc sensu virtus specialis, idem est atque quaerere utrum nonnisi *ex vi unius motivi* sive finis intrinseci actus paenitentiae elici possint. Qui sensus includebatur in primo modo intellegendi quaestionem propositam, sed hic modus, uti dictum est, aliud insuper requirebat.

Tertio potest intellegi paenitentiam esse virtutem specialem ita ut ponatur ad propositionem hanc verificandam requiri quidem ut una dumtaxat virtus eademque omnino specialis principaliter occupetur circa actus paenitentiae administrandos, nihil tamen obstare quominus exercitium actuum paenitentiae possit esse functio secundaria plurium aliarum virtutum.

Hunc porro tertium sensum patet esse omnium maxime improprium, primum vero maxime proprium.

Quod si nulla inveniatur virtus quae vel a) principaliter et sola, vel b) sola, etsi non principaliter, vel c) sola principaliter, etsi non sola, actus paenitentiae eliciat, paenitentia nullo sensu poterit dici esse virtus specialis.

27. — Adhuc tamen quaestio quae hic versanda proponitur, magis determinanda est. Est videlicet ulterius notandum posse intellegi paenitentiam uno ex tribus illis modis qui modo declarati sunt, esse virtutem specialem, vel quoad omnes et singulos paenitentiae actus vel quoad unum aliquosve singulares actus paenitentiae. Dictum est autem antea tres actus, spectato usu ecclesiastico, solere nomine paenitentiae comprehendi, nempe a) detestationem ac dolorem peccatorum, b) propositum pro eisdem satisfaciendi et c) propositum novae vitae sive emendationis. Sed sciendum est hunc tertium actum, si consideretur quantum ad sua intrinseca, h. e. quoad suam propriam et specificam rationem, non esse proprium paenitentium, tametsi in eis omnino requiratur. Et hujus ratio est quod propositum novae vitae, h. e. propo-

situm vitam veterem in melius corrigendi nihil aliud dicit quam propositum recte honesteque vivendi, quatenus simul connotatur praecessisse in habente hoc propositum voluntatem agendi vitam peccaminosam, et per consequens factum esse in eo transitum a mala voluntate in bonam. Non autem mutatur natura actus per hoc quod ei additur respectus ad actum praecedentem ei oppositum. Sicuti v. g. quod actum amicitiae immediate praecesserit actus odii et quod propter hoc talis actus appelletur a quibusdam actus reconciliationis, id non mutat naturam actus amicitiae. Quia ergo propositum recte laudabiliterque vivendi non solum in paenitentibus requiritur, sed etiam in justis qui numquam peccaverint, perspicuum est propositum novae vitae, si absolute et in se consideretur, prouti est actus quidam, non esse proprium paenitentium.

28. — Et propterea veteres scholastici, quamvis in notificanda paenitentia non omitterent dicere de proposito vitam emendandi, tamen ubi jam ventum erat ad determinandam naturam paenitentiae virtutis, vix alios considerabant paenitentiae actus quam hosce duos, nempe a) detestationem peccatorum prius commissorum et b) intentionem nitendi in destructionem horum peccatorum, congruam pro eis satisfactionem exhibendo. Causaque partialis differentiae sententiarum in quas abibant, ex eo repetenda est quod alii considerabant ferme unice actum odiendi detestandique peccatum, alii vero principaliter attendebant ad satisfaciendi actum, dolendi vero actum iidem eatenus dumtaxat in considerationem trahebant, quatenus hic actus imperatur ab intentione satisfaciendi tamquam medium aliquod satisfactionem praestandi.

Et quidem utrique fundabant suum modum considerationis in definitionibus quibusdam paenitentiae quas ex veterum patrum libris collegit Magister, in Sent. IV, dist. 14. Quaedam videlicet ex hisce definitionibus videntur inculcare actum doloris esse principalem in paenitentia. Sic v. g. secundum Ambrosium (in Serm. feriae III^{ae} post domin. 1^{m} quadrag.) et Gregorium (Hom. 34 in Evang.) « paenitere est *mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere.* » Item, in Tractatu de paenitentia Victoris Carthennensis, sub nomine Ambrosii a veteribus citari solito, paenitentia definitur esse « *dolor cordis et amaritudo animae pro malis quae quisque commisit.* » Ex quibus definitionibus traxit Magister eam quam ut suam propriam tradit : « Paenitentia, inquit, est virtus qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus et plangenda ulterius committere nolumus ; quia *paenitentia vera est in animo dolere et odire vitia.* »

Aliae vero sunt definitiones in quibus satisfactio pro peccato videtur

poni esse actus maxime proprius paenitentiae. Huc pertinet celebris definitio quae accipitur ex libro De vera et falsa paenitentia perperam a veteribus sancto Augustino adscripto, c. 8: « Paenitentia est quaedam dolentis vindicta punientis in se quod dolet commisisse. » Et infra, c. 27: « Paenitere est paenam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. »

His praestitutis, jam analytice potest definiri quaestio mox tractanda. Quaeritur videlicet utrum sit aliqua species virtutis specialissima (species infima sub genere virtutis contenta) quae vel sola et principaliter, vel sola, etsi non principaliter, vel sola principaliter, etsi non sola, sit elicitiva actuum paenitentiae, et, supposito constare aliquo ex hisce modis paenitentiam esse virtutem specialem, utrum ea sit specialis quoad utrumque actum dolendi et satisfaciendi, an quoad unum dumtaxat ex hisce actibus.

Jam ad enarrationem praecipuarum sententiarum veniendum est. Quas in tres ordines sive classes partiri licet. Aut enim a) defenditur paenitentiam secundum nullum modum considerationis esse virtutem specialem. Aut b) asseritur eam secundum unum dumtaxat actum esse virtutem specialem. Aut demum contenditur c) eam tam secundum actum dolendi quam secundum actum satisfaciendi esse virtutem specialem.

29. — Ad primam classem pertinet sententia asserentium paenitentiam esse virtutem generalem eo sensu quod constet ex omnium virtutum collectione sive aggregato. Quod declaratur dicendo malum non esse odibile nisi ratione boni oppositi quo privat, ac proinde unamquamque virtutem, sicut inclinat ad amandum peculiare illud bonum honestatis quod est *motivum formale* sive finis intrinsece specificans virtutem, ita etiam inclinare ad detestandam turpitudinem sive inhonestatem huic bono honestatis oppositam. Sicuti v. g. ad eamdem virtutem temperantiae spectat, propter peculiarem honestatem quae cernitur in actibus temperantiae, velle temperate agere in futuro, gaudere de temperate factis in praesenti et dolere de intemperate factis in praeterito. Quia ergo detestatio peccatorum per omnes virtutes vagetur, impossibile esse dicere detestationem peccati, h. e. actum paenitendi, esse actum alicujus virtutis specialis. — Defendunt hanc sententiam Joannes Major, Antisiodorensis, Rubion et alii antiquiores. Tribuitur etiam a quibusdam Alexandro Alensi, sed perperam (1).

(1) Ponit Allensis amorem alicujus boni atque odium mali huic bono contrariantis ad diversos habitus pertinere. Talique principio nixus asserit habitum paenitentiae esse

Sunt qui hanc sententiam appertissimae falsitatis arguant — tum quia a) nobis conscii simus posse nos in brevissimo temporis momento omnia nostra peccata toto vitae decursu a nobis commissa simul detestari ; impossibile autem sit in unico illo instanti distincte recogitare omnia diversa diversarum virtutum motiva et ex talibus motivis elicere diversos eosdemque ferme innumeros detestationis actus — tum quia b) nobis itidem conscii simus nos omnia nostra peccata simul detestari sub unica aliqua ratione omnibus peccatis communi — tum quia c) facile sit adducere motiva ex quorum singillatim spectatorum vi omnia peccata sint detestabilia. Sic, v. g., omnia peccata convenire in hoc quod sint contra Deum, quod excludant a beatitudine, inducant reatum poenae aeternae etc. etc.

At vero vix credibile est haec intendi negari a praedictae sententiae auctoribus. Sed eorum sententia ita videtur esse explicanda :

De paenitentia possumus loqui vel a) prout detestatur peccata propter peculiarem illam malitiam quae pro specifica peccatorum diversitate diversificatur, et de paenitentia sic accepta manifeste falsum est dicere eam esse specialem habitum virtutis ; ad unamquamque quippe virtutem pertinet ut detestetur peccata proprio suo motivo formaliter opposita ; tali porro modo detestari peccata idem est atque ea detestari propter peculiarem sive specificam rationem malitiae in eis inventam. Vel de paenitentia possumus loqui b) prouti detestatur peccata propter aliquam rationem malitiae in omnibus communiter inventam, et sic adhuc falsum est dicere paenitentiam esse habitum aliquem virtutis omnino specialem. Et hujus ratio est, quod plures inveniuntur virtutes ad quarum unamquamque peccata, secundum quod sub tali vel tali ratione considerantur, habent generalem oppositionem. Sic v. g. peccata possunt considerari complexive vel a) quatenus cedunt quadantenus in malum Dei, ejus bonitati repugnando eique displicendo, et sub hac ratione ea omnia simul detestatur caritas ; vel

---

virtutem specialem cujus proprius actus sit detestari omnia peccata. Quia tamen actus odiendi fundetur in actu amandi, idcirco ait habitum illum specialem paenitentiae non posse exercere actum detestandi aliquod peccatum nisi ex imperio virtutis cui peccatum illud contrariatur. Et hoc sensu ait paenitentiam esse virtutem generalem, quia actum ejus comitentur actus omnium virtutem. Sic v. g. ex imperio virtutis castitatis detestari aliquem peccata contra castitatem commissa ; ex imperio justitiae eum detestari peccata contra justitiam commissa, et sic de aliis virtutibus.

Hanc sententiam nihil est opus multis refelli. Manifestum est enim falsum esse fundamentum quo nititur. Et etiam posito tali fundamento, non sequitur id quod intendit, nempe unum esse habitum paenitentiae. Sed potius sequitur oppositum, videlicet tot esse habitus paenitentiae, quot sunt habitus virtutum ceterarum.

b) quatenus sunt exclusiva a beatitudine, et sub hac ratione ea omnia simul detestatur spes ; vel c) quatenus sunt inductiva poenarum inferni, et sub hac ratione ea omnia simul detestatur timor ; vel d) quatenus contrariantur gloriae divinae, et sub hac ratione ea omnia simul detestatur religio; vel e) quatenus sunt contra praeceptum divinum, et sub hac ratione ea omnia simul detestatur oboedientia.

Sententiam sic expositam, quatenus praecise procedit de paenitentia spectata quoad actum detestationis peccatorum, defenditur a Scoto et Scotistis omnibus, item ab Aversa et aliis haud paucis. Eaque sic intellecta postea dijudicanda erit — Quatenus vero intendit loqui de paenitentia simpliciter accepta, qui est sensus intentus ab auctoribus prius citatis, ei merito objicitur quod sit diminuta : falso nimirum per eam supponitur vel a) solum actum paenitentiae esse actum detestationis, vel saltem b) solummodo de tali actu dubitabile esse num pertineat ad habitum aliquem omnino specialem.

30. — Secunda classis complectitur sententias asserentium paenitentiam esse habitum specialem quoad unum actum tantummodo, nempe quoad actum satisfaciendi pro peccatis. Quo autem sensu paenitentia quantum ad illum actum sit virtus specialis, non omnes auctores sic decernentes aperte explicant. Satis tamen colligitur ex modo eorum ratiocinandi ac concludendi non aliter ab ipsis poni paenitentiam esse virtutem specialem, nisi quatenus specialis aliqua virtus *sola, licet non principaliter,* praedictam intentionem satisfaciendi elicit. Differt tamen plurimum inter hos auctores sive in explicando illo actu satisfaciendi pro peccatis, sive in assignando formali ejus motivo. Et sic alii alium habitum paenitentiae assignant.

Sed jam praecipuae sententiae enarrandae sunt. Inter quas iis etiam locus aliquis dandus est quae ad tertiam classem pertinent. Id enim ni fiat, quaenam diversarum harum sententiarum, quatenus actus satisfaciendi declarare intendunt, sit vel connexio inter se vel differentia, satis apte introspici non poterit.

31. — Est itaque prima sententia Scoti (in IV Sent., dist. XIV, concl. 3) qui contendit omnem paenitentiam esse quasi *poenae tentionem,* qua videlicet ipse peccator punit peccatum suum. Poenam autem ait posse sumi vel *pro tristitia* quae est in parte animae intellectiva et quae primo ac proprie est paena, vel pro aliquo disconvenienti in parte animae sensitiva. Hoc supposito, ait paenitere posse contingere quadrupliciter. *Primo, per actum voluntatis imperativum,* quo aliquis ex intentione poenae applicat subimet causas proximas tristitiae, imperando

nimirum a) intellectui ut consideret peccatum esse offensivum bonitatis divinae, quae est super omnia diligenda, et b) voluntati ut eliciat detestationem, h. e. nolitionem peccati commissi; ex his quippe duobus, inquit, h. e. ex praedictis consideratione intellectus et nolitione voluntatis causatur tamquam ex causis proximis tristitia, quam, etiam prout sistit in voluntate, sentit Scotus non esse actionem, sed meram passionem. *Secundo modo* contingit paenitere, immediate eliciendo detestationem peccati. Ex tali quippe detestatione causatur tristitia, licet non fuerit intenta, eo quod supponitur non praecessisse imperium voluntatis jubens applicari causas proximas tristitiae. *Tertio* contingit paenitere, poenam a Deo immediate vel mediate inflictam (puta per immissa infortunia, morbos, persecutiones) gratanter acceptando. *Quarto* tandem contingit paenitere, poenam pro peccato inflictam patienter sufferendo.

Probat autem Scotus sufficientiam et diversitatem horum quatuor modorum, advertendo aliquem posse voluntarie habere poenam de peccato vel *causaliter* vel *objective*. Ille, inquit, voluntarie habet poenam vel tristitiam de peccato commisso *causaliter*, qui elicit volitionem ad quam sequitur tristitia vel remote vel proxime; unde qui habet volitionem imperative applicantem causas proximas tristitiae (considerationem peccati ut offensae Dei et ejusdem detestationem) est paenitens causaliter remote, et qui habet odium ac detestationem peccati, est paenitens causaliter proxime; et sic habentur duo priores modi. Ille autem voluntarie habet poenam *objective*, qui elicit aliquem actum terminatum ad tristitiam sive ad poenam praeexistentem. Quod si tendat in illam, solum patienter ferendo poenam inflictam, habetur paenitentia quarto modo sumpta; si vero tendat in eam, non tantum poenam patienter sustinendo, sed etiam eam gratanter acceptando cum gaudio et laetitia, habetur paenitentia tertio modo sumpta. Hinc duas priores paenitentias vocat Scotus causaliter voluntarias, duas vero priores objective voluntarias.

His suppositis, decernit Scotus paenitere secundo modo, h. e. detestari peccata commissa et paenitere tertio modo, h. e. gratanter acceptare poenas a Deo inflictas, non esse actus specialis alicujus virtutis, quia uterque actus possit elici ex diversis motivis et quia per consequens plures ac diversae sint virtutes quarum unaquaeque possit esse principium elicitivum eorumdem actuum. Paenitere vero primo modo sumptum ait esse actum cujusdam virtutis specialis sub justitia contentae: ipsum nempe esse actum justitiae punitivae, quae sit *paenitentia proprie*

dicta. Et pariter asserit paenitere quarto modo sumptum esse actum cujusdam virtutis specialis, scilicet *patientiae*.

Patet autem inconsequenter assignari a Scoto tres posteriores modos paenitendi. Nam si, ut ipse assumit, paenitere in eo solo consistit quod aliquis voluntarie assumat poenam pro peccato, non potest a) admitti secundus ex modis paenitendi ab ipso enumeratis. Et hujus ratio est quod ac hoc ut poena sit voluntaria, non sufficit ut *praeter intentionem voluntatis* causetur ex aliqua volitione, sed omnino requiritur ut aliquo modo sit *objective volita*. Itidem b) stante illa notione paenitentiae a Scoto praestituta, non possunt admitti tertius ac quartus modi paenitendi quos ipse assignat. Et ratio est fere eadem: ad hoc videlicet ut acceptatio vel sufferentia poenarum a Deo inflictarum habeant formaliter rationem poenae pro peccatis expiandis voluntarie admissae, oportet ut poenae acceptentur non ex quocumque motivo, sed ex motivo peccata praeterita expiandi utque itidem ex tali motivo voluntas imperet actum sufferentiae paenorum elicitum a virtute patientiae. Et sic non oportet poni distinctionem ex parte objecti formaliter moventis voluntatem inter primum paenitendi modum et tertium ac quartum modum. Tres quippe ac singuli hi modi exigunt ex parte voluntatis actum ex eodem motivo formali elicitum.

Haud latuit Scotum vitium divisionis a se traditae, uti satis apparet — tum a) ex eo quod solum eum actum paenitendi quem vocat actum justitiae vindicativae, ponit esse paenitentiam proprie dictam, — tum b) ex eo quod in adstruenda et defendenda sua sententia jam non occupatur nisi de eo actu justitiae vindicativae.

Et quidem ut stare possit actum proprium paenitentiae consistere in actu justitiae vindicativae, asserit Scotus paenitentem ut ministrum Dei vindicare in seipso peccata contra legem Dei commissa, ita ut in tali actu paenitens duplicem personam sustineat, personam videlicet rei in subeundo poenam et personam ministri Dei in infligendo poenam. Hinc consequenter asserit Scotus virtutem specialem paenitentiae formaliter respicere peccatum *ut est punibile seu vindicabile per poenam*; sive, quod idem est, ait objectum formale hujus virtutis consistere in *aequalitate secundum rationem debiti inter poenam et culpam*.

Rationes Scoti vel posteriorum ejus sententiae propugnatorum sunt — tum a) quod talis ratio virtutis paenitentiae colligitur ex ipsa vocis etymologia — tum b) quod eadem aperte significatur celebri Augustini definitione: « paenitentia est quaedam dolentis vindicta, » etc., ubi sola vindicta ponitur in recto, dolor vero in obliquo — tum c) quod ita

saepissime docent patres, vocando actum paenitentiae *ultionem, vindictam*, etc., — tum d) quod si paenitentia de per se respiceret reconciliationem peccatoris cum Deo, non vero *punitionem peccati,* inexplicabile esset cur a paenitente necesse sit assumi opera afflictiva, — tum e) quod per paenitentiam paenitens facit voluntarie id ipsum quod secus, eo invito, multo districtius Deus faceret; id autem quod Deus faceret, esset vindicare peccata, ea puniendo, — tum f) quod talem esse naturam paenitentiae virtutis aperte colligitur ex concilio Tridentino. Nam sess. XIV, c. 9, agens de operibus satisfactionis, docet concilium proprium et intrinsecum finem satisfactionis esse vindicare peccata, poenis pro eis voluntarie susceptis. « Docet praeterea, inquiunt patres (sanctum concilium) tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum *poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis* aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus. » Et cap. praecedente (c. 8) docuerat concilium peccatorem paenitendo voluntarie in se exercere actum illum vindicandi quem secus Deus in ipsum exerciturus esset. « Neque vero, inquit, securior ulla via in ecclesia Dei umquam existimata fuit *ad amovendam imminentem a Deo poenam*, quam ut haec paenitentiae opera homines cum vero animae dolore frequentent. » Denique cap. 2 ejusdem sessionis, postquam praemiserat concilium paenitentes tanquam reos sisti ante tribunal paenitentiae, clare docet justitiam Dei vindicativam exigere ut a paenitentibus opera poenalia exerceantur. Ex quo Scotistae deducunt paenitentem in irrogando sibi has poenas esse ministrum Dei vindicis et per consequens ipsum exercere in se ipsum actum justitiae vindicativae. Verba sunt concilii : « Ad quam tamen novitatem et integritatem quam largitur (baptismus), per sacramentum paenitentiae sine magnis nostris fletibus et laboribus, *divina id exigente justitia,* pervenire nequaquam possumus. »

Illud circa sententiam Scoti advertendum restat, per eam doceri paenitentiam, quantum ad actum satisfaciendi, esse virtutem specialem eo dumtaxat sensu quod *sola, etsi non principaliter,* virtus illa specialis actum satisfaciendi eliciat. Patet ultima pars asserti — tum a) ex eo quod virtus illa specialis est juxta Scotum habitus justitiae vindicativae; talis autem habitus, ipso Scoto ita perhibente, principalius ordinatur ad exercendam vindictam in alium quam in seipsum, — tum b) ex eo quod paenitentiam modo praedicto consideratam esse virtutem speci-

alem non aliunde probat Scotus quam ex eo quod actus satisfaciendi pro peccatis nequit exerceri nisi propter unum motivum omnino speciale ; talis porro ratio demonstrat quidem actum satisfaciendi nonnisi ab una virtute omnino speciali elici posse, non tamen probat talem virtutem principaliter occupari circa actum satisfaciendi.

32. — *Secunda sententia principalis* est s. Thomae, in Summa theol., p. III, q. 85, qui quantum ad rem praesentem docet duo.

Primum est paenitentiam esse virtutem specialem, non tamen quantum ad actum detestandi peccata, sed quantum ad solum actum satisfaciendi. Hanc esse doctrinam s. Thomae, patet, quantum ad primam partem asserti ex quaest. cit., a. 8, quantum vero ad secundam et tertiam ejus partem, id probatur multipliciter. Nam a) loco citato, in resp. ad 1^m, ait s. Doctor : « Si in actu paenitentis consideratur *sola displicentia peccati praeteriti,* hoc immediate ad caritatem pertinet ;... *sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub caritate.* » b) Ibid., a. 3, in corp., ita loquitur Angelicus : « Paenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato : ad hoc enim sufficeret caritas; sed ex eo quod paenitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, *cum emendationis proposito.* Emendatio autem offensae contra aliquem commissae non fit per solam cessationem offensae, *sed exigitur ulterius quaedam recompensatio quae habet locum in offensis in alterum commissis.* » Et c) ibidem, in responsione ad 1^m, ait s. Doctor : « Paenitentia est cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. » — Ulterius d) ibid., a. 5, in corp. et in resp. ad 1^m, enumerans actus paenitentiae, actum detestandi peccati tribuit virtutibus timoris et caritatis. Itidem e) ibid., a. 4, in corp., sic loquitur : « *Proprius actus* paenitentiae est propositum emendandi, h. e. (compensandi actibus satisfactoriis) illud quod contra Deum commissum est. » Denique f) in Sent. IV, d. 14, q. 1, a. 1, q. 3 : « Aliqui dicunt, inquit, quod paenitentia est specialis virtus et specificatur ex hoc quod detestatur peccatum commissum a se. *Sed hoc non potest specificare virtutem...* Actus paenitentiae non est detestari peccatum absolute, *quia hoc est cujuslibet virtutis*, sed detestari aliquid expiabile per actionem ejus. »

Quo vero sensu existimaverit Angelicus paenitentiam, quantum ad actum satisfaciendi, esse virtutem specialem, haud satis claret; unde de hoc sunt diversae in ejus schola sententiae, uti mox dicetur.

Secundo docet S. Thomas motivum formale paenitentiae, ut ea est specialis virtus, esse *aequalitatem emendae* (quantum haec homini possibilis est) *ad jus divinum laesum per peccatum.* — Patet id ex complexu

doctrinae a s. Doctore toto decursu articulorum quaest. 85 traditae. Asserit ibi videlicet Angelicus paenitentiam specialem virtutem respicere omnia peccata, *in quantum sunt offensa Dei, ut sunt emendabilia* (art. 2 in corp. et in resp. ad 2^m), *ut sunt recompensabilia per emendam* (art. 3 in corp. et in resp. ad 3^m); unde propter hoc quod homo nititur per emendam Deo voluntarie oblatam recompensare offensam Deo prius irrogatam, ait S. Doctor « paenitentem intendere *removere peccata* » (art. 1. in corp.), « paenitentiam operari ad *destructionem peccati,* in quantum est offensa Dei ». Sed haec omnia tantumdem valent ac si dicatur per paenitentiam virtutem, quantum est ex intrinseco ejus motivo, intendi quamdam adaequationem emendae ad peccatum, ut est offensa Dei. Quod autem ex mente S. Thomae peccatum, ut est offensa Dei, dicat *laesionem juris divini* sive, quod idem est, quod secundum ipsum adaequatio emendae ad offensam intendatur formaliter a paenitentia virtute *secundum rigorosam rationem debiti,* id perspicuum fit ex eo quod s. Doctor ponit paenitentiam virtutem propterea non esse partem subjectivam, sed mere potestativam, justitiae, quia *deficit a ratione aequalitatis.* Hoc enim idem est atque dicere per actum paenitentiae non posse adaequari id quod Deo ratione supremi sui juris per peccatum laesi est debitum. Et sic a primo usque ad ultimum sequitur objectum formale paenitentiae virtutis reponi a s. Thoma in adaequatione emendae ad jus Dei laesum per peccatum, secundum imperfectum tamen illum modum adaequationis qui solus homini respectu Dei possibilis est.

Sententiam s. Doctoris sic intellectam approbant ac sequuntur auctores ejus scholae ferme omnes, ac nominatim Cajetanus (in III, q. 85, a. 2 et seqq.), Suarez (disp. 2, sect. 3), Vasquez, Dicastillo et De Coninck. Quam variis modis exprimunt, dicentes: « objectum formale paenitentiae virtutis esse *jus divinum ut resarciendum,* vel esse *ipsam honestatem recompensationis, quatenus resarcitiva est juris divini laesi,* vel esse *inaequalitatis ad jus divinum per peccatum inductae reductionem ad aequalitatem.*

33. — Ab hac tamen longe communiore sententia dissentit cardinalis de Lugo (disp. 2 De paenit., sect. 4) qui asserit virtutem specialem paenitentiae respicere quidem formaliter peccatum, in quantum, ut est offensa Dei, est delebile per satisfactionem; non tamen offensam Dei esse proprie injuriam sive laesionem juris alicujus Dei stricte sumpti, et propterea non recte reponi objectum formale paenitentiae virtutis in aequalitate ad jus divinum per peccatum laesum. Sed objectum illud

formale *consistere in acqualitate quadam morali,* quae explicatur per hoc quod est *habere pacem cum Deo, habere Deum pacatum et placatum, seu non habere Deum rationabiliter aversum et indignatum.* Haec igitur virtus, ait, primario inclinat hominem ad servandam pacem cum Deo; quod si Deo per offensam fuerit data causa irae, indignationis sive inimicitiae erga hominem, haec virtus conatur reducere priorem acqualitatem moralem sive pacem cum Deo, ei satisfaciendo pro offensa.

Quod autem praesupponit haec sententia, nimirum offensam Dei non esse proprie loquendo injuriam divinam, id priusquam probet Lugo, declarat exemplo ex humanis rebus desumpto. « Si amicus, inquit, indiget libro quem ego habeo, et petit a me; nisi commodem, offenditur amicus, quia habet fundamentum se rationabiliter avertendi a me ; at si ego furor pecuniam ab amico illo meo aut si detraho ei famam, offendo eum injuria, quia non modo do fundamentum amico se avertendi a me, sed laedo jus quod amicus habet in bona sua et famam. »

Contendit autem Lugo hanc esse sententiam s. Thomae — tum quia a) s. Thomas ait paenitentiam virtutem operari ad destructionem peccati, *ut est offensa Dei,* nullibi vero peccatum ait esse destruendum, ut est injuria Dei — tum quia b) s. Thomas, probans in Sent. IV, d. 14, q. 1, a. 1, quaest. 3, speciali esse opus virtute nitente in destructionem peccati, ut est offensa Dei, sic loquitur : « Sicut est alicujus virtutis ut homo *placet* eum quem peccando offendit ; ita etiam est alicujus virtutis, ut homo Deum placet, quem peccando offendit. » Non potuit clarius explicari et probari nostra sententia, » ait cardinalis.

Quod si contra haec objicias, formaliter intendere bonum pacis vel, si pax ablata fuerit, intendere bonum reconciliationis (bonum pacis restituendae), esse actus pertinentes ad virtutem caritatis, diserte autem distingui a s. Thoma virtutem peculiarem paenitentiae a virtute caritatis, proindeque longissime abesse s. Doctorem a sententia modo exposita ; si ita objicias, inquam, respondet cardinalis de Lugo negando assumptum. « Possum enim, inquit, rationabiliter velle ut aliquem non habeam inimicum, h. e. mihi iratum et infensum, sine hoc quod expetam ejus amicitiam. Et propterea virtus formaliter respiciens sive intendens bonum pacis cum Deo odit atque aversatur offensam Dei, in quantum haec est *malum nostrum,* caritas vero eam aversatur, in quantum est malum Dei eique displicet. »

Hisce autem rationibus pugnat Lugo pro sua sententia : 1° Negari non potest esse nostri erga alios homines virtutem cujus objectum formale sit bonum pacis cum ipsis ; ergo etiam respectu Dei talis virtus

est possibilis ; cum igitur habeat omnes condiciones ad paenitentiam requisitas, in aliis vero habitibus paenitentiae quos alii inducunt, plures ex hisce condicionibus deficiant, dicendum est hanc solam esse peculiarem illum habitum paenitentiae qui investigatur. 2° Aut paenitentia intendit satisfacere pro peccato, ut est simplex Dei offensa, rationem injuriae excludens vel saltem ab ea praescindens, et sic habetur intentum ; aut intendit satisfacere pro peccato, ut est injuria stricte sumpta. Sed hoc posterius est falsum, — tum quia a) non omne opus praeceptum Deus exigit ex dominio proprietatis quod habet, quod tamen necesse esset ad inducendam obligationem justitiae, sed multa ipse exigit ex solo dominio jurisdictionis, tamquam legislator et superior, — tum quia b) etiam si omne peccatum esset injuria Dei, h. e. laesio juris divini, non tamen ex eo oriretur debitum resarciendi sive reparandi damnum illatum ; actum quippe eumdem cum iisdem circumstantiis Deo reddere non possumus, aequivalentem vero Deus habet in plena sua potestate eumque innumeris viis potest a nostro arbitrio, quando vult, extorquere, — tum quia c) si titulo justitiae teneremur ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, statim post peccatum commissum urgeret obligatio pro eo satisfaciendi, hoc autem apparet esse falsum, — tum quia d) titulus justitiae inducit obligationem, ac proinde si motivum formale paenitentiae esset motivum justitiae, omnis paenitentia esset obligatoria, hoc autem patet non esse ; potest enim esse paenitentia de peccatis venialibus, nec tamen ullum est praeceptum obligans ad talem paenitentiam.

34. — Superest dicendum quae sit diversitas opinionum de specialitate virtutis paenitentiae. Quod sane rite explicari non poterat, nisi prius dissentientes sententiae de objecto formali hujus virtutis assignatae fuissent.

Durandus itaque, consentiens s. Thomae in assignando objecto formali paenitentiae virtutis, asserit hanc esse virtutem specialem, eam tamen non esse per se infusam, sed acquisitam, eamdemque non talem esse virtutem acquisitam quam specialiter oporteat ponere ad exercendos actus paenitentiae, sed eam identificari cum *justitia commutativa*. Hujus quippe virtutis actum esse, *primarium* quidem, reddere unicuique, sive Deo sive homini, quod suum est, *secundarium* vero, si quid ablatum fuerit, id restituere. Ex quo apparet paenitentiam secundum Durandum eo solummodo nomine esse virtutem specialem quod virtus aliqua specialis sola, etsi non principaliter, eliciat actus paenitentiae. Addit Durandus virtutem justitiae commutativae non

posse exire in actum paenitentiae nisi ex imperio caritatis theologicae et nisi praecedant actus aliarum virtutum theologicarum, h. e. fidei et spei. Objiciensque sibi justitiam commutativam non solum reddere secundum rationem rigorosi debiti, sed reddere aequale, Deo autem non posse a nobis reddi aequale pro injuria ipsi illata ; respondet, possibilitatem reddendi vel non reddendi aequale non variare affectum sive modum tendendi voluntatis, quae vellet reddere juxta mensuram aequalitatis, si id possibile esset.

35. — Cajetanus distinguit duo in peccato, culpam scilicet sive offensam Dei et debitum poenae sustinendae, quod restat post ablatam offensam. Nam peccando, inquit, et Deum offendimus et nobis plus indulsimus quam fas erat. Unde etiam duos actus satisfaciendi ait distingui oportere in paenitentia, unum principalem, quo satisfaciamus quoad culpam, alterum secundarium, quo satisfaciamus quoad poenam. Porro recompensam pro offensa consistere in tribus nempe a) *in displicentia de offensa*, b) *in confessione offensae* et c) *in submissione sui ad Deum offensum*. Nam cum his tribus, inquit, videmus etiam homines recurrere ad hominem quem offenderint, pro obtinenda venia. Horum autem primum, nempe displicentiam de peccato, ut est offensa Dei, ait esse *actum caritatis,* secundum vero et tertium, nempe confessionem peccati et submissionem sui ad Deum esse *actus religionis*. Recompensam vero pro peccato, ut ei poena debetur, consistere in luendo poenam. Porro actum voluntatis imperantis solutionem hujus poenae posse poni cum Scoto esse *actum justitiae vindicativae* participatae in subdito, ita ut peccator puniat se quasi minister Dei vindicantis.

Ex his patet non alio sensu concedi a Cajetano paenitentiam esse virtutem specialem nisi quo sensu id conceditur a Scoto et Durando. « Nec propterea, inquit, arguimus s. Thomam, quia verum est paenitentiam esse specialem virtutem, latiori vocabulo utendo. »

Porro paenitentiam, quantum ad actum primarium satisfaciendi, esse actum religionis probat Cajetanus hisce praesertim argumentis. 1) Religio respicit ut proprium suum objectum *debitum erga Deum ;* quod autem redditur debitum Deo offenso, id non magis diversificat rationem debiti erga Deum, quam quod redditur debitum Deo benefactori ; sicut ergo *reddere Deo debitum ob beneficia suscepta* non exigit specialem virtutem ultra religionem, eadem ratione *reddere Deo debitum ob offensam in eum* ad religionem spectabit : cadunt nimirum hae speciales rationes *debiti pro beneficiis* et *debiti pro offensis* sub communi illa ratione debiti quam attendit religio. — 2) Actus submissionis

hominis erga Deum est actus religionis ; est enim ipsissima devotio ; sed peccatum, ut est offensa Dei, recompensat paenitentia per actum submissionis erga Deum ; ergo paenitentia quantum ad actum praecipuum satisfaciendi non distinguitur a religione.

36. — Fuerunt auctores qui sententiam s. Thomae de objecto formali paenitentiae eo sensu intellegerent et defenderent ac si virtus illa specialis quae ponitur esse paenitentia, respiceret ut objectum formale *jus Dei, prouti est resarciendum,* non vero *jus Dei,* prouti est determinabile per hasce differentias : *servandum* vel *resarciendum.* Sive, quod idem est, hi auctores posuerunt eam aequalitatem secundum rationem debiti quae attenditur per virtutem specialem paenitentiae, *esse primario et per consequens unice* aequalitatem compensae ad injuriam Deo per peccatum illatam. Quo sensu iidem dixerunt objectum formale virtutis paenitentiae esse *bonum compensationis.* Manifestum est autem tali sententia asseri paenitentiam esse virtutem specialem sensu strictissimo : ponit videlicet haec sententia aliquam virtutem specialissimam non modo solam, sed etiam primario, esse elicitivam actuum paenitentiae. Tribuitur haec sententia Vasquezio testaturque cardinalis de Lugo eam fuisse valde communem aetate qua scribebat (De paenit. disp. 2, sect. 2). Fatendumque est eam habere aliquale fundamentum in modo loquendi s. Thomae.

37. — Denique Suarez, Lugo et plerique alii auctores ponunt virtutem illam specialem, cujus sit actum vel actus paenitentiae exercere, esse virtutem quamdam philosophis incognitam et proprio vocabulo carentem quae sola, sed non principaliter, actum vel actus paenitentiae eliciat.

Est, uti diximus, tertia sententiarum classis, earum videlicet quibus defenditur paenitentiam esse virtutem specialem quoad utrumque actum detestationis peccatorum et intentionis pro eis satisfaciendi. Huc pertinent praesertim sententiae Suarezii, Cardinalis de Lugo et eorum sequacium, de quibus nihil dicendum superest, sufficienter enim supra explicatae sunt.

Propositio I.

Paenitentia quoad actum detestandi peccata nullo sensu est virtus specialis.

38. — Circa sensum hujus theseos notandum est eam procedere de omnibus actibus quibus aversamur peccata, scilicet de actibus a) sim-

plicis displicentiae et odii, b) detestationis sive retractationis et c) doloris sive tristitiae. Haec omnia nimirum complectitur thesis una voce detestationis. Nec tamen thesi intenditur negari omnes et singulos illos actus posse procedere a peculiari illo habitu paenitentiae quem postea inducemus. Contra, omnino contendimus eum habitum aptum natum esse elicere per se utrumque actum paenitendi, scilicet tum actum satisfaciendi, tum etiam actum detestandi et dolendi. Et ratio sic dicendi perspicua est, si admittatur sententia Suarezii de objecto formali peculiaris virtutis paenitentiae, quam mox veriorem esse ostendemus. Statuit videlicet ea sententia finem intrinsecum peculiaris virtutis paenitentiae esse non modo resarcire jus divinum, si laesum fuerit, sed etiam idem illud jus, antequam laesum fuerit, servare. Et hoc propterea quia ad eamdem virtutem manifeste pertinet amare *aequalitatem ad jus divinum* et amare *restitutionem talis aequalitatis,* si per peccatum fuerit inducta inaequalitas ei opposita. Sicuti virtus per quam restituuntur proximo bona quae ei furto ablata fuerint, non est alia a justitia commutativa quae unicuique quod suum est, tribuit. Quia ergo ejusdem virtutis est prosequi bonum, quod est formale ejus motivum, et detestari malum huic suo bono oppositum, manifestum est peculiarem habitum paenitentiae, eo ipso quod amat aequalitatem ad jus divinum, posse etiam detestari inaequalitatem ad idem jus. Et quia inaequalitas ad jus divinum sive ratio injuriae est ratio inventa in omnibus peccatis, possumus per habitum peculiarem paenitentiae universaliter detestari omnia peccata.

Non tamen fieri potest ut per actum realiter eumdem habitus ille peculiaris paenitentiae detestetur peccata et simul intendat satisfacere pro peccatis. Et hoc propterea, quia impossibile est eumdem actum esse simul actum fugae atque actum prosecutionis ; detestatio autem peccati est actus fugae, intentio vero satisfaciendi est actus prosecutionis.

Porro argumentatio quae modo facta est ex suppositione sententiae Suarezii, tenet etiam, si admittatur sententia cardinalis de Lugo de objecto formali paenitentiae virtutis. Tenet enim Lugo motivum proprium ejus habitus paenitentiae quem inducit, esse pacem cum Deo *vel servandam vel restituendam.* Sed hujus veritate supposita, manifestum est nos per habitum peculiarem paenitentiae posse detestari omnia peccata, tamquām pacis cum Deo destructiva.

At vero in sententia ponente motivum formale virtutis peculiaris paenitentiae esse *bonum compensationis,* impossibile est a tali virtute posse elicitive procedere actum detestationis omnium peccatorum.

Habitus enim nos inclinans ad amandum solum bonum compensationis potest nos inclinare dumtaxat ad detestandam malitiam oppositam bono compensationis ; talis autem malitia invenitur in solo peccato impaenitentiae. — His praenotatis

39. — **Probatur propositio** 1° *exclusione omnis sensus quo intelligibile sit paenitentiam quoad actum detestationis peccatorum esse habitum specialem.* Etenim nonnisi triplici modo intelligi potest virtutem aliquam respectu alicujus actus esse specialem, nempe vel a) ita ut principaliter et sola, vel b) ita ut sola principaliter, etsi non sola, vel c) ita ut sola, etsi non principaliter, apta nata sit talem actum elicere. Et sufficientia hujus divisionis patet ; cum enim id quod est speciale, opponatur ei quod est commune, ad hoc ut virtus respectu alicujus actus dici possit specialis, requiritur ut vel simpliciter vel saltem secundum quid, h. e. secundum aliquem modum principalitatis, de ea verificetur *eam solam* esse praedicti actus elicitivam.

Jam vero 1) primo et secundo modo impossibile est dicere paenitentiam quoad actum peccata praeterita detestandi esse virtutem specialem. Et hujus ratio est quod impossibile est actum detestationis peccatorum esse actum primarium alicujus virtutis. Est enim actus fugae : omnis autem virtus *primario* fertur per actum prosecutionis in bonum a quo specificatur virtus, et nonnisi *ex consequenti* sive *secundario* ipsa aversatur per actum fugae malum bono ipsius proprio oppositum. Et hoc propterea, quia malum non est odibile nisi ratione boni cujus privationem inducit.

Itidem b) tertio modo impossibile est dicere paenitentiam quoad actum praeterita peccata detestandi esse virtutem specialem. Et ratio est quod, uti in expositione status quaestionis satis ostensum est, peccata, etiam universim sumpta, secundum quod sub diversis rationibus considerantur, inveniuntur includere oppositionem ad motiva diversarum virtutum : inde videlicet fit ut actus detestandi peccata non pertineat speciatim ad unam aliquam virtutem, sed communis sit pluribus virtutibus.

40. — **Probatur** 2° *ex revocata ad accuratiorem analysin notione virtutis specialis.* Cum, uti modo dictum est, id quod est speciale, opponatur ei quod est commune, nequit dici paenitentiam quoad actum peccatum detestandi esse virtutem specialem, nisi secundum aliquem saltem modum uni virtuti *soli* conveniat elicere actum praedictum. Hoc tamen non sufficit ut verificetur praedictus modus loquendi, nisi sensu improprio. Proprie enim loquendo, sic solummodo verum erit dicere paeni-

tentiam, quantum ad actum detestationis peccatorum, esse *functionem specialem alicujus virtutis*. Ad hoc vero ut stet paenitentiam, quantum ad actum praedictum, *esse virtutem specialem*, requiritur insuper ut *vi respectus ad actum detestandi* constituatur virtus aliqua specialis, h. e. talis quae ab omni alia sit distincta. Et quia virtus non constituitur per respectum ad actum quem respicit ex consequenti, sed solummodo per respectum ad actum quem respicit primario, idcirco nequit verificari in sensu proprio paenitentiam quoad actum peccata detestandi esse virtutem specialem, nisi una aliqua virtus respiciat actum detestationis peccatorum non solum tamquam actum ipsi soli convenientem (1), sed etiam tamquam actum suum primarium. Sed, uti patet ex dictis in praecedenti argumento, neque sensu hoc posteriore et proprio, neque sensu illo priore et improprio dici potest paenitentiam, quantum ad actum detestandi peccata, esse virtutem aliquam specialem.

41. — **Probatur** 3° *exclusione virtutis specialis ab adversariis inductae.* Juxta adversarios propterea paenitentia, etiam quantum ad actum peccata detestandi, esset virtus specialis, quia propter motivum speciale a motivis omnium aliarum virtutum distinctum, nempe propter hoc quod peccatum est injuria Dei, omnia peccata detestari possumus; tale autem motivum omnino speciale et distinctum specifice determinet virtutem aliquam specialem. Jamvero nugatoria est talis ratio argumentandi, — tum quia a) eadem ratione probari posset caritatem, religionem, oboedientiam aliasque ejusmodi virtutes esse habitum specialem paenitentiae, quantum ad actum detestationis peccatorum; unaquaeque quippe ex his virtutibus elicit actum detestandi peccatum propter motivum speciale ab omnium aliarum virtutum motivis distinctum — tum quia b) in tali modo argumentandi supponitur sensum quaestionis propositae hunc esse, utrum videlicet actus detestationis peccatorum nequeat realiter exerceri nisi ab aliqua virtute quae quantum ad ultimam suam speciem sit determinata; talem autem quaestionem movere est nugatorium, quia per se manifestum est nullum actum virtutis posse realiter exire nisi a virtute aliqua specifice determinata.

(1) Nequit aliqua virtus specifice determinata respicere actum aliquem tamquam actum suum primarium, sine hoc quod in ratione talis actus importetur *motivum proprium* virtutis. Et propterea in hoc quod actus aliquis *primo* convenit alicui virtuti, includitur quod idem actus huic virtuti *soli* convenit, non vero est e converso. Hinc excluditur tamquam impossibilis modus ille quo divisioni, non vero analysi, insistentes, supposuimus in praecedente argumento virtutem aliquam *solam principaliter*, *etsi non solam*, posse esse elicitivam alicujus actus.

42. — **Objicies 1°**: Juxta doctrinam patrum et conciliorum detestatio peccatorum commissorum est actus praecipuus et maxime proprius paenitentiae; ergo si paenitentia est aliquo modo virtus specialis, ut ipsi mox concessuri sumus, hoc maxime oportet verificari quantum ad actum peccata commissa detestandi.

Respondetur *concedendo Antecedens, sed distinguendo Consequens :* Ergo si patres intendant loqui de paenitentia quae sit virtus specialis, necesse est dicere paenitentiam, maxime quantum ad actum detestationis peccatorum, esse virtutem specialem, *Conc. conseq.* Si patres nomine paenitentiae non intendant significare nisi actus quibus peccator convertitur ad Deum, nullo modo vero ipsis sit cura de quaestione utrum omnes hi actus procedant ab eodem habitu, an vero alii procedant ab aliis habitibus et utrum quantum ad omnes hosce actus vel saltem quantum ad aliquos paenitentia sit virtus specialis necne, *Nego Conseq.*

43. — **Objicies 2°**: Uti ipsimet in praenotatis concessimus, specialitati alicuius virtutis obstat solummodo vel a) quod ea virtus per modum generis est praedicabilis de pluribus virtutibus sub ipsa contentis, quo modo v. g. iustitia generaliter sumpta est praedicabilis de multis speciebus justitiae, — vel b) quod ea virtus non est nisi cumulus sive congeries multarum virtutum. Atqui paenitentia, in quantum per unicum actum est detestativa omnium peccatorum commissorum, ut haec sunt offensa Dei, neque a) est virtus aliqua generica de multis virtutibus sub ea contentis praedicabilis, neque b) est cumulus multarum virtutum, uti satis est manifestum. Ergo paenitentia, quantum ad actum detestandi universitatem peccatorum commissorum, est virtus specialis.

Respondetur 1° *transmittendo Maj. et Min. et negando Conseq.* Et ratio negationis est quod ex hoc quod paenitentia non est virtus generalis, nequit concludi eam esse virtutem specialem, nisi prius ostendatur eam esse virtutem. Jam vero, proprie loquendo, paenitentia, quantum ad actum detestationis peccatorum, non est virtus, sed est actus alicujus virtutis. Omnis enim virtus denominanda est ab actu suo principali ; paenitentia autem, saltem quantum ad actum detestandi peccata, non est actus principalis alicujus virtutis, ut supra ostensum est.

Facta tamen suppositione objectionem procedere de virtute paenitentiae, in quantum haec intellegitur denominari ab actu aliquo secundario, nempe ab actu illo paenitendi qui est detestatio peccatorum commissorum, **respondetur 2°** *negando primam partem Minoris.* Et ratio

negandi est quod paenitentia praedicto modo considerata dicit aliquid commune, quod ad instar generis de multis sit praedicabile.

Dixi : *ad instar generis;* quia, eo ipso quod hic supponitur virtus non essentialiter sed denominative considerari, excluditur consideratio generis proprie dicti.

44. — **Objicies 3°** : Paenitentia, quatenus detestatur peccata propter hoc quod sunt contra jus divinum, est virtus distincta tum a virtutibus theologicis tum ab omnibus virtutibus moralibus quae cognitae fuerint Aristoteli ac philosophorum vulgo. Ergo est vere virtus aliqua specialis.

Respondetur 1° indirecte sive deducendo ad absurdum : Ergo si virtus illa detestativa, de qua objectio, fuisset cognita Aristoteli, religio vero ei fuisset incognita, jam non prior illa virtus, sed religio, dicenda esset esse specialis virtus paenitentiae detestativae.

Respondetur 2° negando prorsus sensum quaestionis quae hic controvertitur, esse vel adeo esse posse eum quem supponunt sic objicientes. Intenditur quippe hic quaeri *de natura* paenitentiae virtutis ; ad talem autem intentionem impertinens est utrum aliqua sit virtus omnium peccatorum detestativa quae incognita fuerit Aristoteli. — Adde quod s. Thomas de omnibus virtutibus Aristoteli cognitis, haud secus atque de paenitentia, quaerit utrum sint virtutes speciales.

45. — **Objicies 4°** : Detestatio ac dolor peccatorum quae proprie ad paenitentiam pertineat, est detestatio ac dolor procedens ex intentione compensandi injuriam Deo per peccatum illatam. Atqui ejusmodi peccatorum commissorum detestatio ac dolor pertinet solummodo ad eam virtutem quae respicit ut proprium suum objectum formale *jus divinum ut resarciendum.* Ergo verissime asseritur paenitentiam, etiam ut est detestativa, esse virtutem specialem.

Distingui posset Major argumenti objecti. Tametsi enim peccatorum commissorum detestatio ex intentione injuriam Deo factam compensandi procedens procul dubio pertineat ad paenitentiam, non tamen ea est sola detestatio quae ad paenitentiam pertineat. Verum, hoc omisso,

Respondetur *transmittendo Maj.* et *distinguendo Min. :* Detestatio ac dolor ex intentione injuriam Deo illatam compensandi susceptus, est semper ac necessario actus elicitus a virtute cujus objectum formale sit jus divinum resarciendum, *Neg. Min.* Est semper ac necessario actus imperatus a tali virtute, *Conc. Min.* et *neg. Conseq.*

Actus detestationis peccatorum non *identificatur* cum intentione resarciendi injuriam Deo peccando illatam : uti manifestum est ex eo quod actus detestationis est *objectum hujus intentionis* et eligitur tam-

quam medium ad finem in quem tendit intentio. Modus nimirum quo tendit praedicta intentio sic exprimitur : Ad resarciendam injuriam quam Deo peccando intuli, *volo elicere actum detestationis peccatorum.* Et propterea dicendum est actum detestationis et doloris esse *actum imperatum* ab actu quo aliquis intendit resarcire injuriam Deo illatam. Quotiescumque enim unus actus respicit tamquam suum objectum alterum actum ordinatque in proprium suum finem hunc alterum actum, prior actus est imperans, secundus vero est imperatus. Et tametsi motivum proprium actus imperantis sit *finis extrinsecus actus imperati,* non tamen est necesse ut actus imperatus eliciatur ex eodem motivo intrinseco atque actus imperans. Quamobrem nihil obstat quominus habitus eliciens actum imperatum sit diversus ab habitu eliciente actum imperantem, immo plerumque ita contingit. Sane in re praesenti nimis manifestum est nos ex intentione reparandi injuriam Deo factam posse velle habere actum detestationis elicitum ex motivo caritatis vel ex motivo spei, vel religionis, vel oboedientiae aliusve virtutis. Sicuti ex eadem intentione possum velle exercere actus humilitatis, mansuetudinis, patientiae, temperantiae ; nec tamen propterea actus illi diversarum virtutum evadent actus proprii virtutis eos imperantis.

46. — **Objicies 5°** : Eo ipso quod detestatio peccatorum assumitur a paenitente ex intentione removendi peccata sive compensandi injuriam Deo illatam, debet ipsa esse medium efficax ad talem finem. Sed sola detestatio peccatorum ex motivo perfectae caritatis elicita tollit rationem offensae ; unde etiam quaelibet alia opera satisfactoria non compensant injuriam Deo illatam, nisi in quantum cum tali detestatione conjunguntur. Ergo detestatio peccatorum quae sit propria paenitentiae, a solo habitu caritatis elici potest; falsum est proinde paenitentiam, quantum ad actum detestandi, non esse virtutem specialem eo saltem sensu quod uni tantummodo virtuti competit talem actum elicere. — *Et confirmatur* ex s. Thoma, qui saepissime asserit actum illum paenitendi qui consistit in detestatione atque dolore peccatorum, debere elici a virtute caritatis.

Respondetur nobis esse sermonem de paenitentia christiana, cujus actus ordinantur veluti materia ad sacramentum paenitentiae, attritionem autem, licet se sola extra sacramentum non sufficiat ad obtinendam remissionem peccatorum, sufficere tamen ad talem effectum intra sacramentum et cum ipso. — Quod attinet ad sententiam s. Thomae, de re praesenti, locus magis proprius de ea tractandi se offeret in 2ª parte hujus tractatus, quando agetur de dolore peccatorum requisito ad fructuosam susceptionem sacramenti paenitentiae.

Propositio II.

Paenitentiae, quantum ad intentionem satisfaciendi, nonnisi ex uno motivo formali eodemque omnino specifico elici potest. Est autem tale objectum formale neque aequalitas poenae ad culpam, in quantum haec est praecise punibilis, neque restitutio pacis cum Deo offenso, neque bonum compensationis strictissime acceptum, sed jus divinum ut resarciendum, quatenus non importat specificam diversitatem a jure divino, ut ante peccatum illaesum servandum fuit.

47. — **Prima Pars,** nempe *paenitentiam, quantum ad intentionem satisfaciendi, non posse elici nisi ex uno tantum motivo eodemque specifice determinato,* est conclusio recta fluens ex secunda propositionis parte. Sic videlicet instituitur probatio : Intentio satisfaciendi, prouti est actus paenitentis, respicit peccatum, ut est aliquo modo offensa Dei, uti antea explicatum est. Vel ergo intendit paenitens satisfacere pro offensa Dei secundum se considerata, quod est idem atque ipsum velle satisfacere pro reatu culpae per peccatum actuale inducto. Vel ipse intendit satisfacere pro offensa Dei, non quoad se, sed praecise quantum ad poenam ei debitam considerata, quod idem est atque ipsum velle unice satisfacere pro reatu poenae per peccatum inducto. Si prius dicatur, vel supponitur rationem offensae in peccato contra Deum commisso esse separabilem a ratione injuriae, vel e contra supponitur rationem offensae contra Deum non posse constare sine ratione injuriae. Et sic solummodo est possibile tria motiva adduci propter quae eliciatur intentio Deo pro peccato satisfaciendi, nempe vel a) aequalitatem poenae ad peccatum spectatum ut est praecise punibile, vel b) bonum pacis cum Deo restituendae, vel c) aequalitatem compensae ad jus Dei per peccatum laesum. Atqui satisfactio Deo praestanda nonnisi ex hoc tertio motivo elici potest ; est autem hoc motivum omnino specificum ; ergo.

Probatur itaque **secunda pars,** quod idem est atque probare Minorem argumenti facti pro prima parte.

48. — **I.** *Ratio objective movens ad eliciendam intentionem satisfactionis sive id quod in intentione satisfaciendi respicitur tamquam objectum formale, non est aequalitas poenae ad offensam Dei, prouti haec est praecise meritoria poenae.* Rationes sic dicendi sunt — tum a) quod de ratione poenae simpliciter sic dictae est ut sit involuntaria, satisfactio autem est voluntaria ; non ergo poena satisfactoria respicit peccatum praecise ut est

punibile; quia sic jam esset simpliciter poena; quod si non respiciat peccatum, ut est simpliciter punibile, ergo per prius et principalius illud respicit quatenus, quantum ad rationem offensae secundum se consideratam, est compensabile, — tum b), et redit in idem, quod propterea vult Deus a peccatore *sponte* assumi opera poenalia, ut iisdem ipse placetur; quod si talibus operibus Deus placatur, ergo non pure punitur peccatum, sed praesertim illud recompensatur, in quantum est offensa Dei, — tum c), et rursum redit in idem, quod peccator luit poenam, in quantum est praecise poena, non satisfaciendo, sed satispatiendo; et sic, si intentio satisfacientis respiceret peccatum, ut est pure punibile sive vindicabile, deesset ratio cur paenitens voluntarie assumeret opera poenalia, — tum d) quod praecipuus actus satisfactorius qui ex intentione Deo satisfaciendi assumi debet, est peccatorum detestatio, idque non aliam sane ob causam nisi quia talis detestatio, utpote avertens hominem a creaturis et convertens eum ad Deum, est compensativa injuriae Deo illatae per aversionem hominis a Deo et conversionem ejus ad creaturam. Sane, si opera satisfactoria quae ex intentione satisfaciendi assumenda sunt, essent pure punitiva, detestatio sive odium peccatorum non esset opus maxime satisfactorium; plura enim tormenta corporalia sunt magis afflictiva quam dolor ex detestatione peccatorum oriens. — Adde e) quod satisfactio pro peccato dirigitur ad Deum; hoc autem falsum esset, si ut vult Scotus, talis satisfactio esset actus justitiae vindicativae; hic enim actus essentialiter dirigitur ad reum; adde f) quod justitia vindicativa est ad alterum, quodque proinde is qui retribuit poenam, debet esse diversa persona ab ea cui poena retribuitur.

Nec tenent rationes in oppositum factae a Scoto et ejus asseclis. Ad omnes enim est *generalis responsio,* per eas ad summum concludi opera quae ex intentione Deo pro peccatis satisfaciendi sponte assumenda sunt, esse *poenas satisfactorias*, quod nobis non obstat, non vero ea esse pure ac simpliciter poenas. Cf. S. Thomas in I^{a} II^{ae}, q. 87, ad 6, 7 et 8.

49. — **II.** *In peccato ratio offensae Dei est inseparabiliter conjuncta cum ratione injuriae erga Deum, ac subinde id quod intentio satisfaciendi respicit tamquam objectum suum formale, non est bonitas pacis cum Deo restituendae, sed est aequalitas emendae (quantum haec homini cum adjutorio gratiae divinae possibilis est) ad jus divinum laesum per peccatum.*

Praenotandum est rationem *simplicis offensae,* praesertim inter amicos, tunc intervenire, quando fit aliquid quod est *contra rationabilem voluntatem* alterius, h. e. quod rationabiliter displicet alteri, absque hoc tamen

quod laedatur jus alterius. Tunc vero offensa non est simplex offensa, sed induit rationem injuriae, quando ita rationabiliter displicet alteri ut fiat cum laesione ejus juris.

Hoc supposito, sic instituitur probatio. Deo, utpote primo et universali rerum principio, competit essentiale dominium proprietatis in res omnes. Ipsi nempe res omnes essentialiter sunt subjectae, quantum ad omne id quod sunt et quod agere possunt, quandoquidem ipse non solum rebus largitur esse, sed jugiter eas tenet in esse ipsisque tribuit tum vim operandi tum ipsam actualitatem operandi. Hinc vi supremi sui dominii proprietatis Deus habet jus essentiale sive inabdicabile disponendi de rebus non solum quantum ad earum substantiam, sed etiam quantum ad earum usum. Qui proinde utitur sive propriis suis facultatibus sive alia re quacumque contra voluntatem Dei, is non modo displicet Deo, h. e. Deum offendit, sed idem violat jus divinum. Quia autem a) res, eo ipso quod quantum ad ipsam suam essentiam a Deo dependent, non sunt nisi limitatae quaedam participationes bonitatis divinae, et quia b) Deo, utpote infinite perfecto, impossibile est intendere finem alium ab increata sua bonitate, idcirco vult Deus voluntate absoluta res omnes dirigi ad se tamquam ad finem simpliciter ultimum. Ex quo est consequens ut quoties homo mortaliter peccando se avertit a Deo fine ultimo et se convertit ad creaturas, toties idem utatur se ipso et creaturis contra Dei voluntatem lege naturali vel positiva divina expressam. Peccando ergo homo non solum offendit Deum sive displicet Deo, agendo contra rationabilem ejus voluntatem, sed insuper facit ei injuriam. Immo eo ipso quod homo Deum offendit, agendo contra ejus voluntatem, ipse Deo existit injuriosus, et eo ipso quod laedit jus aliquod divinum, ipse Deum offendit. Omne quippe quod Deus absolute vult, eo ipso quod id vult tamquam supremus rerum dominus, jure ei est debitum, et omne quod Deo tanquam supremo rerum principio supremoque earum fini essentialiter est debitum, eo ipso quod id tali modo est ei debitum, ipse necessario vult. Quapropter in peccato ratio offensae Dei et ratio injuriae Deo illatae indivisibiliter inter se cohaerent. Impossibile est igitur ut peccatum expietur, prouti est offensa Dei, absque hoc quod expietur, prout est injuria Dei, et per consequens ratio qua tanquam objecto formali sive fine intrinseco oportet hominem, Deo pro peccato satisfacere volentem, objective moveri, non est, uti vult Lugo, bonitas pacis cum Deo, sed est aequalitas emendae ad jus divinum laesum per peccatum.

50. — **Hinc non valet** a) primum argumentum Lugo, ex eo petitum

quod inter homines ratio offensae est separabilis a ratione injuriae. Ostendit enim probatio modo facta obtinere quoad hoc disparitatem inter offensam factam amico humano et offensam in Deum.

51. — Item falsum est b) id quod assumit eminentissimus cardinalis in secundo suo argumento, nempe multa opera praecepta Deum non exigere ex dominio proprietatis, sed ex solo dominio jurisdictionis. Hoc falsum est, inquam, decipiturque Lugo, quando putat id constare exemplo legislatoris humani qui *suo servo* quaedam praecipit, ut est praecise praetor, non vero ut est dominus servi. Differentia est enim quoad hoc inter legislatorem hominem et legislatorem Deum. Potestas enim legislativa Dei fundatur in absoluto ejus dominio proprietatis supra res omnes, non ita vero potestas legislativa hominis, itemque finis quem Deus spectat in sua lege est ipsum bonum divinum, finis vero ad quem per legem cives ordinat legislator humanus, non est bonum ipsius legislatoris, sed bonum commune.

52. — Ad tertium argumentum Em. cardinalis dicitur eo solummodo probari non esse nostri erga Deum justitiam stricte sumptam, eo quod non possumus reddere Deo compensam nisi ex bonis ipsius Dei, quod ultro concedimus. Sed hoc non obstat quominus jure divino obligemur ad compensandam injuriam Deo illatam secundum deficientem eum modum aequalitatis qui cum adjutorio gratiae divinae nobis possibilis est vel quem Deus dignatur acceptare.

53. — Ad quartum argumentum Lugonis dicitur, non sicut injuria facta homini cedit in incommodum hominis, ita etiam injuriam per peccatum Deo illatam cedere in nocumentum Dei, et propterea deficere rationem asserendi hominem statim, postquam mortaliter peccavit, teneri ad satisfaciendum pro peccato.

54. — Ad quintum argumentum dicerent forte aliqui peccatum veniale, proprie loquendo, non esse injuriam Dei, quia per ipsum non avertimur a Deo fine ultimo, sed solummodo inordinate convertimur ad creaturas. — *Nos vero dicimus,* propter hoc ipsum quod peccatum veniale non continet aversionem a Deo fine ultimo, *nullo vitae tempore* instare necessitatem statim Deo satisfaciendi et propterea nobis esse relictam optionem ut peccatum illud expiemus vel satisfaciendo in hac vita vel satispatiendo in vita altera.

55. — III. *Objectum quod formaliter respicitur in intentione satisfaciendi Deo, non est bonum compensationis, quatenus est praecise bonum compensationis.* Probatio hujus tertii asserti non est necessaria ad hoc ut stet prima pars propositionis. Nam etiam nos dicimus bonum compensationis, h. e.

aequalitatem compensae ad jus divinum laesum esse id quod tanquam finis intrinsecus intenditur in voluntate Deo satisfaciendi pro peccatis. Sed quaestio est utrum aequalitas ad jus divinum, *ut est laesum*, sit *motivum primo specificans* virtutem nos inclinantem ad volendum Deo satisfacere pro peccatis, an vero tale motivum sit potius aequalitas ad jus divinum sive servandum, si nondum fuerit laesum, sive resarciendum, postquam laesum fuerit. Prius affirmant Sotus, Canus, Vasquez et cardinalis Pallavicini, quibus videtur esse sententia s. Thomae. Posterius defendunt Suarez et de Coninck. Est autem haec altera sententia rationabilior, uti ex hisce rationibus facile apparere potest. — a) Virtus nos inclinans ad Deo satisfaciendum pro peccatis, propter hoc ipsum quod respicit jus divinum, est quaedam justitia ad Deum; justitia autem per se et formaliter respicit *aequalitatem ad jus;* quod autem haec aequalitas sit potius ad jus laesum resarciendum quam ad jus illaesum servandum, id non facit variare rationem aequalitatis ac proinde id non inducit specificam diversitatem. - b) Ab ipsis adversariis conceditur virtutem de qua agitur, esse partem potestativam justitiae commutativae; sed tum in ipsamet justitia commutativa tum in ceteris ejus partibus potestativis hoc cernere est quod ex eodem motivo virtus tendit ad servandum jus alteri et ad resarciendum jus laesum. Sic v. g. ex eodem motivo justitiae commutativae aliquis reddit alteri aequale ei quod ipsi debetur eidemque restituit aequale ei quod ipsi fraudulenter abstulit. Itidem ex eodem motivo pietatis filius movetur ad praestanda patri obsequia et ad resarciendam injuriam patri illatam. - c) Si objectum formale virtutis de qua agitur, esset bonum compensationis, *in quantum hujusmodi*, ea virtus, quantum ad suum exercitium, essentialiter praeexigeret peccatum in subjecto eam habente; hoc autem videtur repugnare rationi virtutis, quam oportet ponere esse perfectionem simpliciter hominis. Ergo.

Propositio III.

Est ergo paenitentia, quantum attinet ad intentionem Deo pro peccatis erga eum commissis satisfaciendi, virtus quaedam specialis, sensu tamen improprio, h. e. eo dumtaxat quod una virtus sola, etsi non principaliter, munus intendendi congruam pro peccatis satisfactionem exercet. Quare praedicta virtus magis proprie appellaretur justitia quaedam ad Deum quam paenitentia.

56. — Probatur I^a pars. Virtutes non diversificantur nisi ex speci-

fica diversitate objectorum quae ab ipsis formaliter respiciuntur, ac proinde ubi actus quidam honesti nonnisi ex uno motivo specifice determinato elici possunt, ibi non est nisi una virtus in tales actus inclinans. Atqui, uti num. 47 ostensum est, intentio Deo pro peccatis satisfaciendi non nisi ex uno motivo specifice determinato elici potest. Ergo una tantum virtus in talem actum inclinat ; et per consequens paenitentia quantum ad talem actum, eo saltem sensu est virtus specialis quod ad unam dumtaxat virtutem pertinet talem actum exercere.

57. — Probatur II[a] pars, nempe *paenitentiam, quoad actum praedictum, sensu improprio vocari virtutem specialem.* Uti ex demonstratis num. 55 liquet, virtus inclinans ad eliciendam intentionem Deo satisfaciendi pro peccatis non exercet hoc munus nisi secundario dumtaxat ; primarium quippe ejus munus est servare aequalitatem ad jus divinum nondum laesum. Ergo. — Et quia virtus non est denominanda ex munere aliquo suo secundario, sed ex munere suo primario, idcirco vocabulo magis proprio virtus de qua agitur, appellaretur *justitia quaedam ad Deum.*

CAPUT IV.

Ad quodnam genus virtutis pertineat paenitentia virtus specialis.

58. — Jam tertia et quarta ex quaestionibus principio propositis raptim perstringendae sunt.

Quaeritur itaque *primo* utrum virtus illa specialis paenitentiae qua de proxime actum est, sit virtus moralis an theologica. — *Respondetur* eam esse manifeste e numero virtutum moralium et quidem earum quae sunt ad alterum quaeque idcirco vel continentur sub justitia vel qualitercumque reducuntur ad justitiam. Ratio sic respondendi est quod virtutes non specificantur ex *fine cui,* sed ex *fine qui* sive *cujus,* quippe qui solus sit ratio objective movens voluntatem, quando elicit actus hujus vel illius virtutis. Licet autem Deus sit ille *cui* satisfacit peccator et sic virtus specialis paenitentiae Deum respiciat ut *finem cui,* sola tamen ratio quae per modum *finis qui* voluntatem moveat ad satisfaciendum, est *honestas apparens in adaequatione compensae ad jus divinum resarciendum.* Propter hoc ipsum tamen quod actus satisfaciendi terminatur ad Deum

tanquam ad finem cui, manifestum est eam esse de genere earum virtutum moralium quae sunt ad alterum quaeque idcirco proprie vel reductive ad justitiam pertinent.

Notandum est autem id unde fit ut objectum formale virtutis specialis paenitentiae videri posset esse aliquid cum Deo identificatum, esse modum loquendi auctorum quo objectum formale praedictae virtutis communiter exprimitur dicendo illud esse *jus divinum ut resarciendum*. Verum sciendum est talem modum loquendi esse improprium, nisi forte nomine *juris* idem intendatur significari atque nomine *justum*. Nempe objectum formale virtutis specialis paenitentiae vere ac proprie enuntiatur dicendo ipsum consistere *in honestate aequalitatis* compensae *ad jus divinum laesum*, et propterea tale objectum est quaquaversum creatum ; *illa quippe aequalitas* ad id quod debitum est juri divino laeso, *tota quanta continetur in compensa* quae Deo praestatur.

59. — *Quaeritur secundo* cujusmodi pars justitiae sit virtus illa specialis paenitentiae, utrum videlicet sit justititiae proprie dictae pars subjectiva, an potentialis tantummodo, et qualis ea sit, quaenam tandem sit ea virtus.

Non uno modo hanc quaestionem resolvunt auctores. Qui paenitentiam virtutum specialem ponunt esse partem subjectivam seu speciem justitiae proprie dictae, sunt praesertim a) Scotus, qui contendit eam esse *justitiam vindicativam* et b) Durandus, qui asserit eam esse *justitiam commutativam*. Inter ceteros vero auctores eatenus convenit in re praesenti quatenus statuunt paenitentiam esse partem potentialem justitiae. At quoad cetera summopere inter se dissentiunt. Tripartito autem dividuntur. Quidam iique ex eorum numero qui quaestionem de paenitentia virtute speciali nullo modo trahunt ad sensum aliquem falsum vel nugatorium, asserunt paenitentiam sensu omnino proprio esse virtutem specialem. Unde consequenter ponunt virtutem hanc specialem propriissima nuncupatione esse vocitandam paenitentiam. Sunt autem, uti apparet, omnes ii auctores qui objectum formale paenitentiae virtutis specialis autumant esse *bonum compensationis* stricte sumptum. Alii contendunt paenitentiam virtutem specialem nomine maxime proprio appellandam esse *justitiam quamdam ad Deum*. Sunt, uti apparet, ii omnes qui, sicuti auctores praecedentis sententiae, putant paenitentiam virtutem specialem esse virtutem distinctam ab iis omnibus quae cognitae fuerunt philosophis, qui iidem tamen in eo a praecedente sententia discrepant quod paenitentiam non existimant esse nisi munus secundarium virtutis illius philosophis incognitae. Alii denique

defendunt paenitentiam virtutem specialem non distingui ab una ex iis partibus potestativis justitiae proprie dictae quae philosophis perspectae fuerunt. Huc pertinet sententia Cajetani dicentis paenitentiam virtutem specialem esse virtutem religionis. Eamdemque sententiam amplexi sunt Suarez et de Coninck. Illud tamen in re praesenti interest inter Cajetanum et Suarez hujusque pedissequum de Coninck, quod Suarez opinatur religionem esse virtutem quamdam genericam multas sub se continentem species, quarum unam ponit esse paenitentiam seu potius justitiam quamdam ad Deum. Et sic Suarez quasi media via incedit inter auctores sententiae praecedentis proxime relatae et Cajetanum. Nam Cajetanus sentit religionem esse speciem aliquam infimam virtutis. Operae pretium autem fuerit in antecessum declarare quo sensu sententia Cajetani probabiliter defendi queat; nam ab ipsomet hoc auctore valde confuse exponitur. Oportet videlicet distinctionem interponi inter intentionem satisfaciendi et opera satisfactoria, quae duo Cajetanus in declaratione suae sententiae perperam inter se miscet. Nempe opera satisfactoria a diversissimis virtutibus elici possunt; possunt nimirum haec opera esse actus humilitatis, mansuetudinis, patientiae, temperantiae aliusve virtutis. Immo ipsa peccatorum detestatio, quae inter opera satisfactoria principem locum sibi vindicat, ex motivis diversarum virtutum elici potest, uti antea ostensum est. At vero *intentio satisfaciendi*, quae omnium operum satisfactoriorum est *imperativa*, nonnisi ex uno motivo eodemque omnino specifico elici potest. Quia ergo paenitentia non est virtus specialis nisi quantum ad hanc intentionem satisfaciendi, ad hoc ut probabiliter defendatur paenitentiam virtutem specialem non distingui a virtute religionis, oportet ostendi intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi esse actum aliquem religionis.

Respicit autem virtus religionis *honorem* sive *cultum Deo debitum* tamquam proprium suum objectum. Quod eo redit ut dicatur objectum formale religionis esse *aequalitatem honoris qui Deo redditur ad jus quod habet Deus ut honoretur a nobis*. Debetur autem Deo singularis honor ratione singularis ejus excellentiae. Consistit autem haec singularis ejus excellentia in hoc praesertim quod est primum principium creationis ac gubernationis rerum. Et quia in hoc quod Deus est primum principium rerum fundatur supremum Dei dominium in res, idcirco per religionem Deum colimus tamquam supremum rerum omnium dominum. Totam hanc de religione doctrinam complexus est S. Thomas, dicens per actus religionis hominem protestari divinam excellentiam et sui ad Deum subjectionem.

Propositio.

Paenitentia virtus specialis neque est justitia vindicativa neque justitia commutativa vel pars ulla subjectiva justitiae proprie dictae, sed est pars quaedam potestativa justitiae, probabiliter non differens a virtute religionis.

60. — A. **Non est justitia vindicativa.** Patet id ex rationibus quae supra factae sunt contra sententiam Scoti. Quibus addi potest quod justitia vindicativa respicit tanquam proprium suum subjectum non reum, sed judicem. Secus quippe non esset ad alterum.

61. — B. **Non est justitia commutativa neque generatim pars aliqua subjectiva justitiae proprie dictae.** Ratio est quod, uti ex supra explicatis jam satis liquet, impossibile est ut homo injuriam per peccatum Deo illatam compenset secundum rationem rigorosae aequalitatis. Ad rationem quippe aequalitatis quae attenditur in justitia proprie dicta, requiritur ut debitor reddat id quod est debitum alteri ex bonis suis propriis, non vero ex bonis alterius. Non potest autem homo compensam Deo debitam retribuere ex iis quae sua sunt, quandoquidem quidquid homo est vel habet vel agere potest, hoc totum est Dei. Relinquitur igitur ut, sicuti filii ad patrem et sicuti servi ad dominum non potest esse perfecta justitia, ita multo minus hominis ad Deum possit esse perfecta justitia. Si qua ergo hominis ad Deum justitia possibilis sit, ea erit imperfecta, talis videlicet ut non sit dicenda *justitia simpliciter*, sed *justitia secundum quid*.

62. — C. **Est pars potestativa justitiae.** Nam a) paenitentia virtus specialis imitatur qualitercumque illam ipsam condicionem justitiae respectu cujus invenitur deficiens. Tametsi enim compensando non reddat aequale stricte sumptum, reddit tamen *ad modum aequalitatis*, eam offerendo compensam, quae, habita ratione facultatis humanae et acceptationis divinae, sola tanquam obligatoria imponitur. b) Alias vero condiciones justitiae proprie dictae apprime servat ; nam et ordinat *ad alterum* et reddit *secundum rationem debiti*. Immo, quantum praecise attinet ad rationem debiti, justitia illa ad Deum, quam modo nominamus paenitentiam, supereminet justitiae proprie dictae. Jus enim divinum quod per eam respicitur altius est atque excellentius quam jus quodcumque humanum et per consequens obligatio quae ex parte hominis tali juri respondet, arctior est quam sunt obligationes quae juribus humanis ex adverso respondent.

63. — D. Probabile est paenitentiam virtutem specialem non esse aliam a virtute religionis.

Multipliciter id arguitur. Etenim a) paenitentia virtus specialis, quippe quae intendat reparare injuriam quamcumque erga Deum per peccatum commissam, respicit generaliter *omne jus divinum*; aliunde negari nequit virtutem religionis, quae et ipsa est pars potestativa justitiae, respicere aliquod saltem jus divinum, nempe jus ad honorem. Aut ergo jus divinum quod respicit religio, ejusdem est latitudinis atque jus divinum quod respicit paenitentia, et tunc habetur intentum; aut jus divinum quod respicit religio, est *species aliqua contenta sub jure divino quod generaliter respicit paenitentia virtus specialis*. Sed si hoc posterius dicatur, falsificatur id quod antea conclusum est et quod nobiscum ab adversariis hic supponitur, nempe paenitentiam, quantum ad intentionem satisfaciendi, esse virtutem specialem. Oportebit enim dicere eam esse virtutem genericam, plures sub se species continentem. Nempe si jus divinum, *prouti ad certam aliquam speciem contrahitur*, sit objectum formale alicujus virtutis, religionis scilicet, jura divina, quae extra hanc speciem sunt posita, constituent et ipsa unam saltem speciem juris divini, quam oportebit esse objectum formale alterius virtutis. Et sic duae saltem erunt virtutes ad quas pertinebit elicere intentionem satisfaciendi pro peccatis. — Sane b) uti antea ostensum est, ejusdem est virtutis velle servare aliquod jus et velle illud resarcire, si laesum fuerit. Quia ergo servare *jus divinum ad honorem* pertinet ad religionem, religionis etiam erit velle resarcire illud jus; cujusmodi volitio est intentio satisfaciendi pro quibusdam saltem peccatis. Si ergo virtus paenitentiae, quantum ad intentionem satisfaciendi, non penitus identificetur cum virtute religionis, necesse erit dicere plures esse virtutes quae intentionem satisfaciendi eliciant; et per consequens paenitentia, quantum ad actum satisfaciendi, nullo sensu erit virtus specialis. — Et ut jam directe atque ex propriis colligamus intentum, c) jus illud quod respicitur a paenitentia virtute speciali, est supremum Dei dominium in res omnes, fundatum in eo quod Deus est primum principium creationis ac gubernationis. Sed illud ipsissimum jus, uti supra explicatum est, respicitur a virtute religionis. Non ergo paenitentia virtus specialis differt a religione. — Sive aliter d) propter hoc peccatum continet rationem injuriae respectu Dei, quia ipsum contrariatur supremo Dei dominio in res omnes. Ergo actus quo intendimus Dei satisfacere pro tali injuria est protestativus tum singularis illius Dei excellentiae qua constituitur rerum omnium dominus, tum nostrae

erga ipsum subjectionis. Sed actus hujusmodi est actus religionis (Cf. s. Thomas 2ª IIªe, q. 81, a. 1, in corp. et in resp. ad 3m et a. 3, in resp. ad 2m). — Ulterius e) licet finis simpliciter ultimus rerum, qui est finis Dei operantis, sit increata Dei bonitas; hic tamen finis, eo ipso quod est extrinsecus mundo, non attingitur nisi mediante gloria Dei extrinseca, qui est finis intrinsecus mundi. Quia ergo eatenus peccator Deo injuriam infert, quatenus utitur rebus ac seipso contra voluntatem Dei, supremi domini rerum, eatenus autem ipse utitur rebus ac seipso contra voluntatem Dei, supremi rerum domini, quatenus per peccatum se avertit a Deo, fine simpliciter ultimo, hoc autem ipsum non aliter contingit nisi quatenus per peccatum Deo detrahitur gloria ipsi debita, videtur injuria Deo per peccatum illata in eo consistere quod peccatum derogat gloriae divinae. Et per consequens videtur intentionem resarciendi injuriam Deo per peccatum illatam esse intentionem restituendi Deo gloriam quae ei per peccatum ablata fuerit. Sed reddere Deo talem gloriam sive honorem, formaliter pertinet ad religionem. Adde f) cum Cajetano quod non satis apparet cur gratitudo Deo pro beneficiis exhibita pertineat ad religionem, satisfactio vero ei pro offensis exhibita pertineat ad virtutem a religione differentem.

64. — Contra 2am ac 3am partem objciunt 1° : Qui in recompensam injuriae Deo illatae offert actionem tam bonam in genere moris quam malum fuit peccatum in genere moris, ille recompensat ad aequalitatem. Atqui homo potest offere in recompensam injuriae Deo illatae actionem tam bonam in genere moris quam malum fuit peccatum in eodem genere moris.

Prob. Min. Nam peccatum non est malum nisi ratione bonitatis *qua privat* et *quae erat debita inesse actioni;* ergo qui ad satisfaciendum elicit actionem praeditam tota illa bonitate quae debita erat inesse priori suae actioni peccaminosae, ille offert in recompensam actionem tam bonam quam fuit mala actio ejus prior peccaminosa. — *Et confirmatur*, quia cujus actio in compensam offensae oblata tantum Deo placet quantum eidem displicuit offensa, ille compensat ad aequalitatem. Sed conversio hominis ad Deum per veram cordis contritionem tantum Deo placet quantum eidem displicuit aversio hominis ab ipso per peccatum. Ergo. — *Nec* ad elidendam vim hujus rationis *valet dici,* actum illum contritionis vel aliam actionem bonam qualemcumque jam esse debitam Deo et propterea impossibile esse ut homo satisfactionem quam Deo pro resarcienda injuria debet, solvat ad aequalitatem. Hoc non valet dici, inquam; quia homo potest offerre in compensam actionem quae nulla

lege divina sit obligatoria, vel saltem potest actum alioquin praeceptum eo tempore elicere quo lex divina eam praecipiens non urget.

Respondetur *concedendo Min. cum ejus probatione, sed negando Maj.* Ratio negationis est quod actionem illam bonam homo praestat Deo non ex bonis suis omnino propriis, sed ex bonis a Deo acceptis: hoc autem est contra rationem illius aequalitatis quae requiritur ad justitiam commutativam proprie dictam. — Et per hoc patet etiam responsio ad confirmationem argumenti. — *Ad obviationem dicitur* per hoc quod opus non est praeceptum, saltem pro eo tempore quo praestatur, minime tolli quominus homo tum facultatem operandi illud opus, tum ipsam actualitatem operandi a Deo acceperit, et quominus per consequens ipse non solvat ex bonis suis propriis, sed ex bonis Dei creditoris.

65. — Objiciunt 2° : Aut homo non tenetur titulo justitiae resarcire offensam Deo illatam, aut si ad hoc ex justitia tenetur, ipsius ad Deum est justitia proprie dicta, talis videlicet per quam reddat vel compenset aequale. *Probatur assumptum.* Nemo obligatur ad impossibile; ergo neque titulo justitiae potest aliquis obligari ad impossibile ; sed si titulo justitiae homo non obligatur ad praestandum nisi id quod ei possibile est praestare, manifestum est eum posse ac debere solvere aequale ei quod Deo debet. Ergo. — *Et confirmatur* haec conclusio: nam esto, homo non possit Deo praestare totum id quod ratione injuriae Deo illatae ipse debet Deo; saltem partem illius debiti ipse satisfaciendo solvet; jam vero hoc sufficit ut ipsius erga Deum sit justitia proprie dicta. Sicuti debitor qui debet centum et non potest reddere nisi decem, si reddat decem, solvit per actum justitiae commutativae stricte sumptae: quia, quantum ad partem sui debiti, reddit aequale. — Ita cardinalis de Lugo.

Respondetur *negando assumptum.* Ad probationem assumpti *concediur Maj.* et *dist. Min.* : Si titulo justitiae homo non obligatur ad praestandum nisi id quod ei possibile est praestare, manifestum est eum posse ac debere solvere Deo aequale commutativum, *Neg. Min.* Aliud aequale, *Trans. Min.* et *nego Conseq.* — *Ad confirmationem respondetur negando paritatem ;* quia debitor debens centum et solvens decem, solvit partem debiti ad aequalitatem commutativam ; non ita homo praestans Deo satisfactionem ipsi debitam ; quare homo neque totam satisfactionem Deo debitam neque partem hujus satisfactionis potest secundum eam aequalitatem solvere quae requiritur ad justitiam proprie dictam. *Ratio responsionis* est quod justitia commutativa proprie dicta attendit aequalitatem *inter datum et acceptum*, et propterea ad aequale commutativum stricte sumptum requiritur ut *id quod datur* ad compensandum

acceptum, non sit etiam ipsum acceptum ; secus quippe non tam habetur aequalitas dati ad acceptum quam adaequatio accepti ad acceptum.

66. — **Objiciunt 3°**: Quod homo non potest solvere ad aequalitatem, id non obstat quominus ipse Deo satisfaciat per justitiam commutativam proprie dictam. *Probatur.* Ubi est idem modus tendendi voluntatis, ibi est actus ejusdem virtutis ; sed per hoc quod homo satisfaciendo non potest pertingere usque ad aequalitatem, non variatur modus tendendi voluntatis, quae vellet solvere aequale, si id possibile esset. Ergo.

Respondetur, *Neg. assertum. Ad probationem conc. Maj.* et *dist. Min.:* Non variatur modus tendendi, si homo saltem partem debiti potest solvere ad aequalitatem, *Conc. Min.* Si nihil omnino potest solvere ad aequalitatem, *Neg. Min.* — Ratio negationis est quod modus tendendi voluntatis est secundum modum apprehendendi intellectus, aliter autem apprehenditur ab intellectu ratio debiti quod attenditur secundum aequalitatem inter datum et acceptum, aliter vero ratio debiti quae attenditur secundum alium modum.

Nec obstat quod homo affectu ita est comparatus ut vellet solvere aequale commutativum, si id ei possibile esset, — tum quia a) talis affectus est condicionatus et inefficax, modo vero agitur de intentione efficaci Deo satisfaciendi. — tum quia b) talis affectus condicionatus videtur esse stultus vel saltem non esse actus virtuosus; condicio enim eum objective condicionans involvit destructionem supremi dominii Dei supra homines.

67. — **Contra 4ᵐ partem objiciunt** : Satisfactio Deo pro peccato exhibita non continet nisi generalem illum Dei cultum et hominis ad ipsum subjectionem quae inveniuntur in omni opere bono. Omni nempe virtutis actu Deus dicitur coli eo quod talis actus voluntati Dei conformatur et in gloriam Dei redundat. Sed religio non respicit tanquam proprium suum objectum cultum illum generalem, sed cultum aliquem specialem; secus quippe esset virtus generalissima, omnes actus bonos complectens. Ergo.

Respondetur *dist. Maj.:* Opera satisfactoria Deo exhibita non continent nisi generalem illum cultum, *Conc. Maj.* Ipsa intentio Deo satisfaciendi, *Neg. Maj. et concessa Min. neg. Cons.* et *conseq.*

Ad complendam investigationem circa naturam paenitentiae virtutis restat decidenda quinta ex quaestionibus supra propositis. De hoc in capite sequente.

CAPUT V.

De supernaturalitate et per se infusione paenitentiae.

68. — Omnino asserendum esse videtur rationi naturali sibimet relictae innotescere posse peccatum, non modo ut est intrinsece turpe sive inhonestum et transgressivum legis divinae et aversivum a Deo auctore naturae et impeditivum beatitudinis naturalis et inductivum poenarum hominem in vita aliqua futura manentium, sed etiam ut continet rationem offensae atque injuriae erga Deum. Itidem videtur argumentis ex penu rationis naturalis depromptis non modo qualemcumque suspicionem ingeri, sed certo probari potuisse hominem, si in statu naturae purae conditus fuisset in eoque statu mortaliter peccasset, actu contritionis naturalis qualitercumque compensare offensam Deo illatam cum eodemque in gratiam redire. Proindeque tum in statu naturae purae potuisset homo peccator ex intentione sese cum Deo auctore naturae reconciliandi elicere actum detestationis suorum peccatorum, tum etiam in praesenti statu posset homo peccator qui lumine revelationis destitutus est, ex eadem illa intentione talem detestationis actum elicere. Est igitur possibilis paenitentia pure naturalis. Eoque ipso quod talis paenitentia est naturalis, virtus in eam inclinans est suapte natura virtus acquisita, h. e. talis quae exercitio atque consuetudine gignitur. Verum pro praesenti statu elevationis ad finem supernaturalem talis paenitentia naturalis est prorsus infructuosa. Quocirca in toto hac tractatu nobis est solummodo considerandum de *paenitentia fructuosa*, quae dicitur *paenitentia christiana* sive *paenitentia salutaris*. Estque ea cujus actus, sive se solis, sive saltem prouti conjunguntur cum susceptione sacramenti paenitentiae, sunt proxima dispositio ad justificationem. De tali porro paenitentia controvertitur inter auctores utrum sit virtus *per se infusa*, h. e. *intrinsece supernaturalis*, an vero sit e genere virtutum acquisitarum. Quae controversia, uti satis patet, eo reducitur ut quaeratur utrum actus paenitentiae salutaris sint intrinsece supernaturales an vero iidem non sint supernaturales nisi *accidentaliter et extrinsece*. Utrovis autem modo proponatur quaestio, ea non est nisi particularis casus quaestionis qua in universum de omnibus actibus salutaribus virtutum moralium ambigitur utrum sint intrinsece supernaturales et utrum per consequens praeter virtutes

morales acquisitas, admittendae sint virtutes morales per se infusae sive entitative supernaturales, puta prudentia per se infusa, temperantia per se infusa et ita de aliis virtutibus moralibus. Immo quantumvis in praesentiarum non intendatur quaeri nisi de sola paenitentia salutari, subjectum disputationis, quantum est praecise per virtutem rationum theologicarum quibus ab utraque parte contendente certatur, necessario remanet universale : omnis scilicet ratio theologica quae in re praesenti adducitur ad probandam propositionem particularem, cogit, si quid valet, ad concludendum universaliter propositum de omnibus actibus salutaribus virtutum moralium.

69. — Sunt autem duae praesertim sententiae. *Prima* est Scoti et omnium Scotistarum tam antiquorum quam recentium, eidemque adstipulantur Henricus Gandavensis, Durandus, Ockam, Gabriel et ceteri nominales. Asserunt autem Scotistae a) actus virtutum theologicarum, nempe fidei, spei et dilectionis Dei esse *intrinsece supernaturales,* non tamen quoad ipsam substantiam horum actuum, sed quoad modum aliquem eorum intrinsecum ; hoc tamen sufficere ut praedicti actus exigant elici connaturaliter ab habitibus quibusdam per se infusis. Propterea-que tres esse agnoscendas virtutes per se infusas, quae quoad ipsam substantiam sint supernaturales, nempe fidem, spem et caritatem. At vero b) alios omnes actus salutares esse quidem et ipsos supernaturales quoad modum, non tamen intrinsece, sed accidentaliter et extrinsece. Ideoque propter tales actus non esse opus ponere virtutes quasdam per se infusas a quibus modo statui justorum connaturali eliciantur; sed ad talem scopum omnino sufficere virtutes quae suapte natura sint acquisitae, h. e. quae aptae natae sint ex frequentatis actibus gigni. Concludendum esse igitur non esse alias virtutes per se infusas nisi solas illas tres theologicas quae proxime nominatae sunt. Sive, quod idem est, omnino tenendum esse praeter virtutes morales acquisitas non inveniri in justificatis alias quasdam virtutes morales, quae per se sint infusae, neque etiam in iisdem inveniri speciales illos habitus operativos per se infusos quos Thomistae ponunt esse septem dona Spiritus Sancti. — Porro actus salutares qui sint alii ab actibus virtutum theologicarum, eo reddi supernaturales quoad modum, licet mere accidentaliter et extrinsece, quod a) essentialiter dependeant a dictamine fidei eas regulante quodque b) procedant ex imperio caritatis vel spei theologicae eas in finem supernaturalem ordinante quodque c) eliciantur ex speciali auxilio gratiae excitantis et adjuvantis. Hisce addi posse d) quod in justificatis actus boni, vel propter hoc solum *quod informantur habitu*

gratiae sanctificuntis sufficienter reddantur supernaturales et de condigno meritorii beatitudinis. Trahere enim actus valorem ex dignitate personae eos *per modum principii quod* elicientis. Sicuti actus voluntatis humanae Christi fuerunt infiniti valoris propter infinitam dignitatem personae Verbi. Eumdem prorsus in modum actus bonos justorum trahere valorem ex eo quod eliciantur a persona dignificata per habitum gratiae sanctificantis. — Quod vero speciatim attinet ad actus paenitentiae a peccatoribus elicitos, eos tribus prioribus modis modo recensitis reddi supernaturales quoad modum et meritorios de congruo, idque non qualitercumque tantum sed ita ut evadant proxima dispositio ad justificationem.

70. — Secunda est sententia s. Thomae tenentis omnes actus salutares, h. e. ad salutem conducentes, esse intrinsece supernaturales, ac subinde ad hoc ut tales actus eliciantur a justis modo qui statui eorum sit connaturalis, necesse esse dicere esse in eis praeter virtutes morales acquisitas virtutes morales quae specifice differant a prioribus quaeque per se sint infusae. Est haec sententia communissima in schola s. Thomae defenditurque nominatim a Capreolo, Medina, Soto, Cano, Cajetano, Suarez, Vasquez et Lugo.

Est tamen differentia inter auctores sic statuentes quantum ad duo. Scilicet *primo*, quamvis eorum plerique defendant actus omnes salutares esse supernaturales quoad substantiam, sunt tamen qui asserant eos non esse supernaturales nisi quantum ad modum aliquem intrinsecum eorum entitati superadditum. Ita Capreolus et Cajetanus, qui contendunt hanc quoque fuisse sententiam divi Thomae in 2ª IIae, q. 171, a. 2, ad 3um. Ubi s. Doctor distinguit actus supernaturales quoad substantiam, quales ait esse facere miracula, cognoscere occulta et incerta divinae sapientiae, ab actibus supernaturalibus quoad modum, qualem actum appellat v. g. diligere Deum, et ait donum gratiae non dari ad substantiam actus fidei et dilectionis Dei, sed tantum ad modum. Videtur tamen haec prima differentia magis esse de nomine quam de re. *Secundo* est differentia inter praedictos auctores quantum ad hoc quod alii, uti s. Thomas et Suarez, dicunt actum non posse esse intrinsece supernaturalem ex parte principii in ipsum efficienter influentis, nisi sit supernaturalis ex parte sui objecti formalis, et propter hoc impossibile esse ut actus intrinsece naturalis et actus intrinsece supernaturalis versentur circa idem objectum formale. Alii vero asserunt non esse necesse ut actus intrinsece naturalis atque actus intrinsece supernaturalis differant ex parte sui objecti formalis,

et propterea multos atque adeo omnes actus salutares suam supernaturalitatem intrinsecam unice trahere a principio in eas efficienter influente. Ita statuunt cum Molina, de Coninck, Arriaga et satis multi ex posterioribus societatis scriptoribus. Falso tamen adscribitur haec sententia cardinali de Lugo, qui solummodo dicit non repugnare quidem ut actus naturales conveniant in eodem objecto formali cum actibus supernaturalibus, de facto tamen non inveniri actus naturales qui circa idem objectum formale versentur atque actus supernaturales.

Restat hic notandus singularis quidam modus loquendi Cajetani, qui in Opusc. tom. 1, tract. 4, a. 1, agens de ea peccatorum detestatione quae praecedit justificationem et est dispositio ad eam, ait *actum contritionis naturalem* posse esse ultimam dispositionem ad gratiam, non quidem semper, sed in casu quod continuetur donec Deus ex gratuita motione seu dilectione utatur tali contritione tamquam ultima dispositione ad infundendam gratiam. Nam in tali casu ait talem contritionem naturalem elevari et acceptari a Deo ut sit ultima dispositio ad justificationem et gratiae infusionem. Quem modum loquendi refellit Suarez tamquam Pelagianum. Cum tamen Cajetanus l. c. intendat declarare quomodo peccator ex attrito fiat contritus, probabile est praedictis verbis solummodo ab eo doceri actum contritionis qui prius erat naturalis, fieri deinde propter specialem ac supernaturalem Dei concursum intrinsece supernaturalem.

71. — Ex praedictis deducitur pressior definitio controversiae quae modo eliquanda proponitur. Non enim quaeritur utrum actus paenitentiae sint quoquomodo supernaturales ; eorum enim supernaturalitas conceditur ab adversariis qui, sicuti nos, abhorrent ab haeresi Pelagianorum ac Semipelagianorum. Sed quaeritur *quomodo praedicti actus sint supernaturales*. Tum haec ipsa quaestio magis adhuc determinanda est, facta distinctione inter actum detestationis sive retractationis peccatorum et intentionem satisfaciendi. Non enim intendunt negare Scotistae actum detestationis peccatorum saepe elici ex motivo caritatis vel ex motivo spei et tunc eum actum esse intrinsece supernaturalem. Controversia igitur, si analytice proponi velit, eo demum redit ut quaeratur utrum tum ii actus salutares detestationis peccatorum qui eliciuntur ex aliis motivis intrinsecis quam ex propriis motivis spei ac caritatis, tum salutaris intentio Deo pro peccatis satisfaciendi sint supernaturales intrinsece an extrinsece tantummodo.

Propositio.

Paenitentia actualis eademque salutaris tum quoad eam etiam peccatorum detestationem quae ex aliis motivis intrinsecis eliciatur quam ex propriis motivis spei vel caritatis, tum quoad intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi est intrinsece supernaturalis, ac subinde sunt in justis virtutes per se infusae quae variorum actuum paenitentiae salutaris sint principia elicitiva.

72. — I[a] Pars : *Salutaris peccatorum detestatio, etiamsi ex aliis eliciatur motivis quam ex motivis spei vel caritas, est intrinsece supernaturalis.*

Praenotandum hic est scripturam, concilia ac patres nomine illius paenitentiae quae est dispositio requisita ad justificationem, non intendere significare nisi solam detestationem peccatorum, h. e. actum contritionis sive perfectae sive imperfectae. Hujus sensus apertum exemplum occurrit in concil. Trid., sess. VI, c. 6, ubi dicitur peccatorum odium ac detestationem esse eam paenitentiam quam ante baptismum agi oporteat. Et quidem ex mente concilii nomine paenitentiae, prouti significat detestationem salutarem peccatorum et specialia requirit auxilia gratiae, non venire dumtaxat eam peccatorum detestationem quae elicitur ex propriis motivis spei vel caritatis, sed eam etiam quae propter alia motiva concipitur, puta propter intrinsecam peccati turpitudinem vel propter timorem paenarum; hanc, inquam, esse mentem concilii, tametsi forte non satis constet ex sess. VI, cap. 6 et canone 3° idem caput partim compendiante, aperte tamen colligitur ex hisce concilii verbis, sess. XIV, cap. 4: « Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae; declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam *donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis,* quo paenitens adjutus, *viam sibi ad justitiam parat.* » Hoc supposito,

Probatur prima pars ex eo quod paenitentia sumpta pro salutari peccatorum detestatione, dicitur a scriptoribus sacris, patribus et conciliis *Deo tamquam speciali auctori adscribenda esse, esse donum Dei et procedere ex speciali motione Dei.* En praecipua documenta huc attinentia.

Jerem. XXXI, 18, 19: « Converte me et convertar, quia tu Dominus

Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi paenitentiam. » In quem locum Hieronymus (in Jerem.) : « Ergo idipsum, quod agimus paenitentiam, *nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus.* »

II Tim. II, 24-26 : « Servum autem Domini oportet esse... cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati : ne quando Deus *det illis paenitentiam* ad cognoscendam veritatem et resipiscant a diaboli laqueis. » Ubi ne quando, graece μήποτε, facit sensum affirmativum. In quem locum Chrysostomus : « Et quis hoc dat (nempe paenitere), nisi qui respexit Petrum negantem et fecit flentem. »

Concilium Palaestinense, art. 12 : « Ut fateatur (Pelagius) secundum gratiam et misericordiam Dei veniam paenitentibus dari, non secundum merita eorum, quandoquidem *ipsam etiam paenitentiam esse donum Dei* dixit Apostolus, ubi ait : Ne quando Deus det illis paenitentiam, etc. »

Concilium Arausicanum II, can. 4 : « Si quis ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, *non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infusionem et operationem in nobis fieri* confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti : Praeparatur voluntas a Domino, et Apostolo salubriter praedicanti : Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate. » Cf. can. 6 et 9.

Concil. Trident., sess. VI, can. 3 : « Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione et ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut paenitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. »

Argumentamur praesertim ex hoc ultimo testimonio, in subsidium tamen vocatis aliis testimoniis ad verum ejus sensum determinandum. Argumentum est hujusmodi :

Spiritus Sancti inspiratio atque ejus adjutorium quae concilium docet esse necessaria ad paenitentiam salutarem, nequeunt dici esse ipsam infusionem gratiae habitualis, quae informando actum detestationis eum dignificet. Patet id tum a) ex collato ejusdem sess. cap. 6, cujus canon modo citatus est veluti compendium, tum b) ex eo quod usu tum patrum tum ipsius concilii verba praedicta significant motionem Dei transeuntem, non permanentem, tum c) ex eo quod praedicta auxilia dicuntur esse necessaria ad productionem actus paenitentiae, informationi autem per gratiam sanctificantem supponitur hic actus jam productus, tum d) ex eo quod concilium loquitur de paenitentia, prouti est dispositio ad justificationem et prouti per consequens causat in suo genere justificationem, impossibile est autem ut auxilia quae requiruntur ad paeniten-

tiam, prouti haec est causa infusionis gratiae habitualis, consistant in ipsamet hac gratia primum infusa — tum c) ex eo quod, quidquid sit de perspicuitate canonis I sessionis VI, concilium in sess. XIV, cap. 4 jam supra citato aperte declarat attritionem, quae ibidem asseritur esse dispositio ad justificationem, esse *impulsum Spiritus Sancti, non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis.* — Quia ergo per praedicta auxilia gratiae intenditur significari specialis et immediatus Dei concursus ad actus salutares, *vel* illa auxilia juxta concilium sunt necessaria ad actus credendi, sperandi, diligendi ac paenitendi acceptos complexive sive copulatim, ita ut sensus sit totam seriem illorum actuum esse initiandam a motione gratiae excitantis atque adjuvantis, ac subinde idcirco nos sine praedictis auxiliis non posse paenitere sicut oportet ad justificationis gratiam consequendam, quia sine talibus auxiliis nequeant elici actus praecedentes fidei, spei ac dilectionis, a quibus tamquam a regulantibus vel imperantibus pendet actus paenitendi. *Vel* ex mente patrum concilii praedicta gratiae auxilia sunt necessaria ad actus fidei, spei, dilectionis ac paenitentiae acceptos divisive sive copulative, ita ut sensus sit ad unumquemque horum actuum singillatim sumptorum esse necessarium immediatum atque specialem Dei concursum. Atqui prius dici nequit; posterius vero stare non potest, nisi concedatur actum paenitendi esse intrinsece supernaturalem. Ergo.

Probatio minoris quoad 1m partem, nempe impossibile esse ex mente concilii auxilia illa gratiae excitantis atque adjuvantis esse tantum necessaria quoad totam seriem actuum credendi, sperandi, diligendi ac paenitendi collective sumptorum. Hujus nimirum impossibilitas, etiamsi a) non satis colligeretur ex eo quod sic nullibi definitum esset ad actum salutarem spei vel actum salutarem caritatis singillatim acceptos requiri immediatum ac specialem Dei influxum, patet tamen b) ex eo quod sic falsum redderetur id quod affirmatur in citatis scripturae, patrum ac concilii Palaestinensis testimoniis, nempe ipsam paenitentiam nobis *dari a Deo et esse donum Dei.* Quippe tantummodo verum esset dicere *facultatem salubriter paenitendi* nobis dari a Deo et esse donum ipsius. Sane potest aliquis ex motione gratiae divinae tum elicere actum fidei tum etiam actus spei ac incipientis dilectionis Dei, prouti hic nobis est bonus, et tamen non ulterius progredi ad eliciendum actum detestationis peccatorum. Et per consequens quod Deus per specialem motionem suae gratiae excitantis atque adjuvantis det nobis actus fidei et spei et incipientis dilectionis ipsius, id non sufficit ad hoc ut ipse possit dici nobis dare paenitentiam. Adde c) quod ex

interpretatione illa quam impugnamus, sequeretur initium quidem boni operis esse a Deo, sed ejus consummationem esse a nobis Deumque non dare simul *velle et perficere*, adde d) quod concilium Arausicanum II, canonibus suis 6 et 9, aperte affirmat necessitatem immediati concursus gratiae Dei non solum ad omnes sed et ad singulas nostras actiones salutares ; adde e) quod verba illa citata ex sess. XIV, c. 4, attritionem *esse Spiritus Sancti impulsum,* non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, sonant manifeste immediatum gratiae divinae influxum in actum attritionis ; adde denique f) quod propter hasce omnes rationes Scotistae recentiores passim concedunt ad actum paenitentiae salutaris opus esse immediato gratiae divinae influxu, non vero sufficere influxum mediatum.

Probatur itaque secunda pars minoris, nempe stare non posse ad quamcumque salutarem peccatorum detestationem opus esse immediata motione gratiae divinae excitantis atque adjuvantis, nisi ponatur actum peccata salutariter detestandi esse intrinsece supernaturalem. Etenim a) si salutaris peccatorum detestatio, quantum ad omnia sua intrinseca, sit pure naturalis, ea non transcendit physicam possibilitatem naturae ; ac proinde falsum est asserere talem actum non posse fieri absque praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio ; actum enim qui physicam possibilitatem naturae non transcendit, non solum physice, sed etiam moraliter possibile est fieri saltem identidem absque speciali Dei auxilio ; cum nequeat supponi semper, h. e. omni omnino temporis instanti intercurrere circumstantias moraliter impossibilem reddentes physicae hujus potentiae traductionem ad actum. Itidem b) canone illo tertio sessionis VI, verbis, *ut oportet,* manifeste distinguunt concilii patres inter actus quosdam credendi, sperandi, diligendi ac paenitendi qui, eo quod non disponunt ad justificationem, possunt fieri absque speciali Dei auxilio et alios, qui eo quod disponunt ad justificationem, nequeunt fieri absque tali auxilio. Sed si posteriores hi actus, aeque ac priores illi, essent entitative naturales, deesset omnis ratio cur ipsi, non vero priores illi, disponerent ad justificationem. Quid enim ad hoc conferret quod ipsorum, non vero aliorum entitas, immediato ac speciali Dei concursu attingitur? Sane ratio cur ad differentiam alicujus actus contritionis, alius contritionis actus dicatur fieri ut oportet, h. e. conducere per modum dispositionis positivae ad justificationem et salutem ; hujus ratio, inquam, ea solummodo esse potest quod alius iste actus, non vero prior, per se proportionatur effectui justificationis obtinendo. Sed si tam actus contritionis ad quem Deus specialiter

concurrit quam actus contritionis ad quem Deus non specialiter concurrit, sit entitative naturalis, uterque actus est aeque improportionatus effectui justificationis obtinendo ; quandoquidem ea quae per se et intrinsece sunt ordinis naturalis, neque possunt esse *per se* causae neque *per se* fundare exigentiam alicujus intrinsece pertinentis ad ordinem supernaturalem. Quapropter c) vi necessariae consequentiae oportet adversarios dicere actum illum contritionis ad quem Deus specialiter concurrit, esse dispositionem ad justificationem non per se, h. e. propter aliquid ipsi intrinsecum, sed solummodo propter extrinsecam Dei acceptationem. Sed si ita sit, deest omnis ratio cur Deus specialiter concurrat ad talem actum : aeque enim bene potest Deus contritionem naturalem sine speciali ipsius auxilio elicitam acceptare ad justificationem.

73. — B. **Probantur jam communibus rationibus prima ac secunda pars simul sumpta,** nempe *paenitentiam actualem quae salutaris sit, esse intrinsece supernaturalem tum quoad actum peccata detestandi tum etiam quoad intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi.* Uti enim fatentur adversarii, omnes ii actus, etiam in peccatoribus, sunt aliquo modo supernaturales. Si ergo, uti ipsi asserunt, sunt solummodo extrinsece supernaturales, oportet eos trahere hanc suam supernaturalitatem — vel 1) a principiis supernaturalibus eos extrinsece solummodo attingentibus atque in finem supernaturalem ordinantibus, nempe a fide supernaturali eos regulante et a spe aut a caritate supernaturali eos imperante — vel 2) a principio aliquo supernaturali eos intrinsece attingente, nempe a speciali et immediato Dei concursu — vel 3) ab extrinseca Dei acceptatione. — *Non primum ;* quia a) extrinseca ordinatio in finem supernaturalem per fidem et caritatem facta supponit ordinabilitatem in talem finem ; aut ergo actus salutares, de quibus agitur, sunt suapte natura ordinabiles in finem supernaturalem, et sic jam sunt intrinsece, non vero extrinsece supernaturales ; aut in praedictum finem sunt ordinabiles vi legis a Deo libere statutae, et sic sunt supernaturales propter extrinsecam Dei acceptationem. *Non secundum ;* quia si Deus immediato et speciali suo concursu non efficienter attingit praedictos actus secundum intrinsecam aliquam rationem supernaturalem, ipse ad eos non concurrit efficienter tamquam auctor ordinis supernaturalis, sed tamquam auctor ordinis naturalis, proindeque ab ipso, ut sic concurrente, impossibile est actus praedictos trahere supernaturalitatem etiam pure extrinsece ac denominative. *Non tertium ;* quia ut argumentatione prius facta ostensum est, deesset ratio cur opus esset speciali

atque immediato Dei concursu ad praedictos actus. — Restat ergo ut tum salutaris peccatorum detestatio et salutaris Deo satisfaciendi intentio tum generatim omnes actus salutares sint intrinsece supernaturales, atque subinde ut haec eorum intrinseca supernaturalitas sit ratio cur ab homine nondum justificato nequeant produci absque speciali Dei gratia excitante atque adjuvante.

73. — C. **Probatur tertia pars,** *scilicet esse in justificatis praeter virtutes theologicas etiam alias virtutes per se infusas quibus salutaris peccatorum detestatio ac salutaris Deo satisfaciendi intentio eliciantur.*

Rationes, quae, quantum est per se, inferunt conclusionem universalem, sunt tum a) quod potestas salutariter operandi est debita statui justificatorum vi intrinsecae horum elevationis ad ordinem supernaturalem, ac proinde exigit ille status ut talis potestas sibi adsit ab intrinseco et non mere ab extrinseco, sicut contingit in peccatoribus — tum b) quod gratia habitualis est in ordine supernaturali ad instar naturae, omnis autem natura ab intrinseco habet principia omnium earum operationum quae proportionantur fini naturae.

74. — **Objiciunt Scotistae** contra 2^m^ partem. Ex scriptura, patribus et conciliis non colligitur necessitas aut fundamentum statuendi actum paenitentiae, nisi in ordine ad deletionem peccati procurandam per talem actum tamquam per dispositionem praeviam. Quippe neque Tridentinum in sess. VI, capp, 5, 6, 7 et 14 et sess. XIV, capp. 1 et 4, neque etiam alia concilia aut scriptura vel patres alium paenitentiae usum tribuunt. Jam vero paenitentia virtus infusa est inutilis ad talem effectum ; quia hic effectus semper praecedit infusionem ejus. Etenim juxta s. Thomam et ejus scholam paenitentia virtus non infunditur nisi in instanti justificationis et simul cum justitia habituali amittitur.

Respondetur 1° *dist. Maj.* et *ejus probationem :* Scriptura, concilia et patres non praebent fundamentum asserendi actus paenitendi esse necessarios aliis quam existentibus in peccato mortali, *Trans. Maj.* Non praebent fundamentum asserendi actus paenitendi esse summopere utiles et commendandos iis justis qui ante acceptam vel recuperatam justitiam mortaliter peccaverunt, *Neg. Maj.,* et, *concessa Minore, nego Conseq.*

Ex eloquiis scripturae ac patrum nimis manifestum est posse justos laudabiliter tum detestari peccata sua praeterita jam remissa, uti patet v. g. in Davide, tum etiam satisfacere pro reatu paenae remanente post remissum reatum culpae. Immo et pro reatu culpae justi satisfacere possunt — tum quia etiam justi peccant venialiter — tum quia

nemo certo novit se esse justificatum, nisi ex speciali revelatione id didicerit. — Scotistae, dum difficultatem quam modo solvimus, movent, sibi non satis constant ; docent enim cum suo magistro Scoto unumquemque hominem ex lege divina teneri peccata sua praeterita detestari, quotiens ea memoriae occurrerint.

Respondetur 2° *transmittendo tam Maj. quam Min. et negando consequentiam,* quae non tenet, nisi supponatur actus paenitendi esse actus primarios virtutum a quibus eliciuntur, quam suppositionem falsam esse demonstravimus.

CAPUT VI.

De actibus, objecto materiali et proprio subjecto paenitentiae.

75. — Quando quaeritur de actibus paenitentiae, potest fieri sermo vel de actibus paenitentiae virtutis specialis vel de actibus paenitentiae, prouti hoc nomen paenitentiae eodem sensu accipitur atque a conciliis et patribus usurpatum est.

Quod attinet ad paenitentiam virtutem specialem, proprium sive formale ejus objectum probavimus esse aequalitatem ad jus divinum sive servandum sive resarciendum. Ex quo deducitur tali virtute posse elici tum actus prosecutionis circa bonum tum actus fugae circa malum.

Porro actus prosecutivi boni qui tali virtute elici possunt sunt in duplici differentia.

A. Quidam videlicet ex his actibus non praeexigunt peccatum in subjecto virtute paenitentiae utente ad eosdem actus eliciendos. Talesque actus, uti satis liquet ex antea disputatis, sunt actus primarii virtutis specialis paenitentiae. Ipsa tamen ea virtus, prout talium actuum est elicitiva, non est nominanda paenitentia, sed potius justitia quaedam ad Deum. Sunt autem hi actus : a) simplex amor justitiae erga Deum servandae, b) desiderium talis justitiae, c) efficax intentio ejusdem justitiae, d) electio mediorum, h. e. actuum bonorum cujusque generis ex motivo talis justitiae, ac tandem, e) gaudium de hisce actibus jam procuratis, in quantum iis mediantibus jus suum Deo est servatum. Ex quibus patet propositum agendi vitam honestam ac Christianam posse

esse actum elicitum a virtute speciali paenitentiae. Tale quippe propositum, quando concipitur ex amore justitiae erga Deum servandae, reducitur ad tertium et quartum ex actibus modo enumeratis.

B. Alii sunt actus prosecutivi boni a paenitentia virtute speciali eliciti qui praeexigunt peccatum in subjecto ea virtute utente ad hosce actus exercendos. Et quidem praedicta virtus, secundum quod talium actuum est elicitiva, est habitus omnino specialis paenitentiae. Hi porro actus, qui secundarii sunt, recensentur a) simplex amor boni compensationis, b) desiderium hujus boni, c) efficax ejus intentio, d) electio actuum satisfactoriorum ex vi praedictae intentionis, e) gaudium de bono compensationis, h. e. de satisfactione Deo jam exhibita.

Propositum autem novae vitae inchoandae potest a peccatore paenitente dupliciter elici per actum paenitentiae virtutis specialis. *Vel* enim potest ab eo concipi tale propositum propter amorem justitiae jam deinceps erga Deum servandae, et tunc tale propositum non differt ab eo cujus paenitentia virtus specialis potest esse principium in justis qui numquam peccaverunt. *Vel* potest a peccatore paenitente illud propositum concipi propter injuriam, quae Deo peccato illata est, resarciendam, et tunc illud propositum identificatur cum tertio et quarto ex actibus modo enumeratis. Manifestum est enim omnia opera bona quae jam deinceps peccator acturus est, posse ab eo eligi tamquam media Deo pro peccatis satisfaciendi.

Actus vero quibus paenitentia virtus specialis versatur circa malum, illud aversando, sunt et ipsi in duplici differentia.

C. Quidam videlicet ex his actibus non praeexigunt ut praecesserit peccatum in subjecto hosce actus eliciente ; et hoc modo per paenitentiam virtutem specialem potest aliquis a) odisse peccata aliena, formaliter ut sunt Deo injuriosa, b) ea sub eodem motivo detestari, et c) de iis sub eodem motivo dolere sive tristari.

D. Alii vero ex iisdem actibus exigunt ut peccatum praecesserit in subjecto hosce actus eliciente ; hi porro actus qui, sicuti praecedentes, sunt actus secundarii virtutis eas elicientis, recensentur a) simplex odium sive displicentia peccati commissi, propter hoc quod est laesivum juris divini, et sub eodem motivo b) fuga sive retractatio sive detestatio peccati commissi, tum c) dolor sive tristitia de eodem peccato.

Actus vero paenitentiae christianae sunt actus qui sunt proprii paenitentium, in quantum hujusmodi. Qui quinam sint, satis colligitur ex modo dictis, dummodo advertatur actus qui circa propria cujusque peccata praeterita versantur, posse elici ex motivis diversarum virtu-

tum, uti antea ostensum est. Omnes tamen actus paenitentiae christianae commode reducuntur ad tres illos principales de quibus principio hujus tractatus egimus, nempe a) ad detestationem peccatorum antea commissorum, b) ad intentionem pro eis Deo satisfaciendi, et c) ad propositum novae vitae.

76. — Quaeritur hic praesertim de ordine inter hosce actus existente tum secundum rationem prioris et posterioris tum etiam secundum rationem causae et effectus.

A. Et quidem si fiat comparatio duorum priorum actuum ad se invicem, satis patet intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi non posse elici nisi *praecesserit aliqua peccatorum detestatio*. Nam quamdiu aliquis non dolet de peccatis suis, nequit serio moveri ad satisfaciendum pro eis. Est tamen alius actus peccata detestandi qui sequitur ad intentionem Dei satisfaciendi *tamquam praecipuus hujus intentionis effectus*. Nam, uti antea dictum est, actus maxime satisfactorius est peccatorum detestatio ac retractatio; et propterea ex intentione Deo satisfaciendi eligit aliquis detestari peccata et dolere de iis. Ideoque ex praedicta intentione atque electione sequitur actus detestationis ac doloris *tamquam imperatus ab ea*.

B. Quod vero attinet ad comparationem inter actum detestationis peccatorum et propositum novae vitae, sunt qui dicant propositum novae vitae non posse esse nisi effectum detestationis peccatorum, et sic semper praecedere in peccatore actum detestationis et sequi propositum novae vitae instituendae. Sed hoc videtur irrationabiliter dictum. Etenim a) qui actus aeque haberi potest in justo qui numquam peccavit quam in peccatore, non necessario pendet ab actu detestationis tamquam a causa ipsius. Sed, uti antea ostensum est, propositum novae vitae quod a peccatore concipitur, non differt nisi connotative a proposito honeste vivendi quod habetur in justo. Sane b) potest aliquis allectus pulchritudine honestatis, primum eligere vitam bonam, quippe in qua formaliter talis honestas refulgeat, et deinde venire in detestationem suorum peccatorum tali honestati contrariantium.

Nihilominus dicendum est moraliter necessarium esse ut peccator prius detestetur peccata prioris vitae et deinde ex tali detestatione inducatur in propositum vitae mutandae. Et hoc propterea, quia in actibus paenitendi ordinarie attenditur processus quidam ab imperfecto ad perfectum. Prius enim ex motione gratiae Dei excitantis concutitur peccator timore poenarum; ex tali autem timore, uti patet, proxime inducitur in detestationem peccatorum, prouti poenarum sive aeternarum sive etiam temporalium sunt inductivae. Tum ex hac detestatione

devenit in intentionem delendi peccata, Deo pro eis satisfaciendo. Ex hac porro intentione plerumque imperatur dolor aliquis perfectior peccatorum, talis videlicet, qui jam non sit pure servilis. Quem rursum consequitur perfectior aliqua intentio Deo satisfaciendi ; haec autem intentio aut jam includit propositum novae vitae, eo modo qui supra explicatus est, aut proxime illud adducit.

77. — Jam dicendum est *de objecto materiali paenitentiae*. Dicitur autem objectum materiale alicujus virtutis omne id quod virtus ratione proprii atque intrinseci sui motivi objective attingere potest. Eadem autem hic obtinet distinctio quae jam adhibita est in explicandis actibus paenitentiae. Possumus videlicet loqui vel de objecto materiali paenitentiae virtutis specialis, vel de objecto materiali paenitentiae, prouti hoc nomine patres uti consueverunt. Quodnam sit objectum materiale paenitentiae priori modo acceptum colligere licet ex iis quae proxime dicta sunt de actibus paenitentiae virtutis. Pluribusque de eo disserere alienum esset a proprio scopo hujus tractationis. Uti enim jam saepe monuimus, neque omnes neque soli actus paenitentiae virtutis specialis sunt formaliter actus paenitentiae. Intendimus igitur solummodo determinare objectum materiale paenitentiae altero eo modo qui mox indicatus est, acceptae. De quo sit

Propositio.

Paenitentiae, prouti est actus fugae, objectum materiale sunt omnia et sola peccata a paenitente commissa ; ejusdem vero, prouti est actus prosecutionis, objectum materiale sunt futuri actus paenitentis in materia cujuslibet virtutis.

78. — I[a] Pars : *Objectum materiale paenitentiae salutaris, quantum ad actum fugae, sunt omnia et sola peccata praeterita, actualia, propria.*

Probatur. Etenim 1°, uti antea multis adductis testimoniis ostensum est, conceptus paenitentiae christianae, prouti haec est detestativa, nullo modo ampliat, sed tantum modo restringit conceptum paenitentiae proprie quidem sed communiter acceptae. Contrahit nimirum objectum hujus proprii sed communis conceptus ad ea quae qualitercumque continent rationem offensae sive injuriae erga Deum. Cum ergo paenitentia proprie sed communiter accepta non se exporrigat nisi ad ea quae libera nostra voluntate admisimus, concludendum est A) omnia

peccata paenitentis praeterita actualia et propria, sive mortalia sint sive venialia, esse objectum materiale paenitentiae christianae detestativae. Etenim ex una parte omnia ejusmodi peccata, eo ipso quod sunt propria paenitentis peccata, libera hujus voluntate inducta sunt, ex alia vero parte ea omnia continent rationem injuriae Deo irrogatae. Quod quidem de peccatis mortalibus satis demonstratum est in superioribus. At vero etiam de peccatis venialibus id facile ostenditur. Tametsi enim peccata hujus posterioris generis non avertant a Deo fine ultimo neque tollant amicitiam divinam, sunt tamen contra jus quod habet Deus ut omnes nostrae actiones in finem ultimum tendant estque ea causa cur talia peccata fiant contra voluntatem Dei et vere displiceant eidem.

Ex praedicto conceptu paenitentiae christianae detestativae concludendum est B) nihil praeter peccata illa paenitentis praeterita, actualia ac propria pertinere ad objectum materiale ejusdem paenitentiae detestativae. Nempe a) oportet dicere non pertinere ad tale objectum peccata habitualia, *quatenus distinguuntur a peccatis actualibus propriis quibus inducta sunt.* Ratio est quod peccatum habituale non distinguitur ab actuali quo inductum est, nisi eo quod est *hoc peccatum moraliter perseverans.* Haec autem moralis perseverantia non superaddit novam aliquam offensam Dei ei offensae quae includitur in peccato actuali. Non enim statim postquam aliquis mortaliter peccavit, tenetur hoc suum peccatum retractare. Et si quando ipsa haec moralis perseverantia sit culpabilis, propterea quod urgebat praeceptum paenitendi, attamen non est culpabilis, *nisi ratione novi peccati actualis omissionis* quod tunc intervenit. Et sic semper verum manet peccatum habituale non superaddere novam rationem offensae peccato actuali, ideoque ipsum, in quantum distinguitur a peccato actuali, non esse objectum paenitentiae christianae detestativae. Itidem b) non pertinet ad praedictum objectum materiale peccatum originale, quod numquam fuit peccatum actuale ipsius paenitentis. Et hujus ratio est quod illud peccatum non est inductum libera voluntate paenitentis, sed voluntate solius Adae. Ulterius c) non pertinent ad objectum materiale paenitentiae detestativae *imperfectiones* a paenitente commissae, h. e. actiones bonae, *sed non praeceptae,* quas paenitens neglexit facere, sic non cooperans gratiae divinae quae ad has actiones faciendas ei praesto erat. Et hujus ratio est quod dictae imperfectiones non continent offensam Dei. — *Nec juvat dicere* tales imperfectiones esse objectum paenitentiae detestativae propter hoc quod sunt offensa Dei dispositive: propter ipsas videlicet paenitentem privari

gratiis efficacibus quas alioquin Deus ei largitus esset; hanc autem privationem gratiarum efficacium in causa esse cur ille qui commisit imperfectionem, jam deinde incidat in peccata. — *Hoc non juvat dicere,* inquam, quia praecedens imperfectio non est *causa per se* culparum quae deinde sequuntur, sed ad summum est carum causa per accidens. Potest enim ille qui imperfectionem admisit, cooperari gratiis sufficientibus quae ei dantur ad non peccandum, et tunc nulla culpa sequetur. Praeterea d) ad objectum materiale paenitentiae detestativae non pertinent poenae sive aeternae sive temporales quas aliquis peccando incurrit vel meritus est. Et rationes sunt — tum quod poenae rigorose sumptae, non volentibus nobis, accidunt ; objectum autem paenitentiae oportet esse aliquid libera voluntate inductum — tum quod tales poenae, licet sint malum peccatoris, *non tamen sunt malum Dei,* immo, supposito peccato, sunt bonae et propterea a Deo active causantur. Indeque est quod ipse paenitens poenam temporalem, quae post remissum reatum culpae luenda manet, non refugit, sed potius amplectitur, ut se plene conformet voluntati Dei intendentis vindictam peccati. — Tandem e) ad objectum materiale paenitentiae christianae detestativae nullo modo pertinent peccata aliena. Et ratio hujus est manifesta : peccata enim aliena, *in quantum sunt aliena,* nullo modo libera voluntate paenitentis inducta sunt.

79. — Ad primum hoc argumentum ex conceptu paenitentiae detestativae ad analysin revocato petitum accedunt alia argumenta magis positiva. Nimirum 2° semper in scripturis subjectum paenitentiae salutaris exhibentur esse peccatores ad exclusionem quorumlibet aliorum. Sic v. g. apud Luc. v, 32, dicit Dominus pharisaeis : « Non veni vocare justos sed peccatores ad paenitentiam. » Quae certe assertio Christi non esset satis vera, si non sola peccata actualia propria cujusque, sed etiam alia quaedam essent objectum materiale paenitentiae detestativae. Itidem 3° semper in scripturis et patribus paenitentiae detestativae vis in eo reponitur quod per ipsam ad Deum convertimur aut fervorem caritatis recuperamus. Cum igitur non nisi qui a Deo aversi erant, ad eum converti queant, nec nisi qui in caritate tepuerant, ejus fervorem recuperare possint, aversio autem actualis a Deo aut tepor non fiat nisi per proprium peccatum, consequens est paenitentiam detestativam non posse esse nisi de propriis peccatis tamquam de objecto materiali. Tandem 4° paenitentiam detestativam concilia designant nomine contritionis; hujus autem non aliud objectum esse potest quam cujusque peccata propria. Sumiturque hujus ratio vel ex

ipso nomine, quod dicit amotionem cordis a peccato in quo erat induratum; induratio enim illa non erat nisi per liberum arbitrium quod peccato adhaerebat.

80. — **Nec contra haec juvat dicere** 1° objectum materiale paenitentiae, in quantum haec continet actum fugae, in sententia modo asserta insufficienter assignari ; tale quippe objectum non esse tantum peccata paenitentis praeterita, sed etiam peccata quae ipse in futuro committere potest. Accipique id manifeste ex concilio Tridentino dicente in sess. XIV, c. 4, contritionem esse dolorem de peccato commisso *cum proposito non peccandi de cetero.* — Hoc non juvat dicere, inquam; quia modo loquimur de actibus paenitentiae, prouti sunt exclusive proprii paenitentium. Licet autem, uti patet ex verbis concilii modo citatis, propositum non peccandi de cetero sit actus omnino necessarius in paenitente, immo, licet tale propositum necessario sequatur ex contritione, si haec sit seria, non tamen idem propositum est actus omnino proprius solorum paenitentium. Nam etiam ii qui non peccaverunt, debent habere propositum cavendi in futuro a peccato. Et hoc intendit dicere s. Thomas, quando in Sent. IV, d. 17, q. 2, a. 2, quaest. 4, ita perhibet: *Proprius actus ejus* (h. e. paenitentiae) est in objectum proprium, *quod est peccatum commissum,* et ideo ejus actus principalis, scilicet contritio, *secundum suam speciem* respicit tantum peccatum praeteritum, sed ex consequenti respicit futurum, *secundum quod habet aliquid de actu prudentiae adjunctum et non tantum in illud futurum ratione propriae speciei movetur,* et propter hoc ille qui conteritur, dolet de peccato praeterito et cavet futurum: sed non dicitur contritio esse de peccato futuro, sed magis cautio, *quae est pars prudentiae contritioni adjuncta.*

81. — **Nec juvat dicere** 2°, peccato originali aliquem constitui formaliter *peccatorem* et in statu aversionis a Deo, proptereaque hominem tali peccato infectum debere se convertere ad Deum ; cum igitur, uti liquet ex argumento supra adhibito, paenitentia detestativa sit eorum a quibus aliquis convertitur ad Deum, necessario dicendum esse peccatum originale esse objectum materiale praedictae paenitentiae. — Etiam hoc non valet, inquam, quia, licet is qui constrictus sit solo peccato originali, debeat converti ad Deum, non tamen debet ad Deum converti ea conversione quam scriptura appellat *paenitentiam* vel describit per actus paenitentiae.

82. — **Nec juvat dicere** 3° juxta auctorem libri De paenitentiae medicina, c. 2, paenitentiam esse debere ipsius culpae originalis. — Ad hoc enim respondetur verbum paenitere ibi accipi a s. Augustino

sensu illo largissimo quo omne quod aptum natum est dolorem movere, dicitur esse objectum paenitentiae.

83. — **Nec juvat dicere 4°**, unamquamque virtutem diligere bonum suum proprium (objectum suum formale), in quocumque inventum fuerit; quia ergo ejusdem virtutis sit diligere bonum proprium virtutis et odisse malum huic bono contrarium, posse nos propter hoc motivum quod est *aequalitas ad jus divinum*, odisse non solum peccata actualia propria, sed etiam peccatum originale et peccata aliena. Quia ergo omnes tales actus odii ac fugae sint actus paenitentiae virtutis specialis, falsum esse objectum materiale paenitentiae, prouti haec includit actum fugae, non esse peccatum originale et peccata aliena. — ETIAM HOC EST INANE, inquam; quia paenitentia, uti antea ostensum est, non est proprie virtus, eo videlicet sensu ac si omnes actus circa quos versatur aliqua specialis virtus, essent actus paenitentiae. Sed paenitentia non nominat, proprie loquendo, nisi actus secundarios quarumdam virtutum. Et propterea ex eo quod sub eodem motivo sub quo elicitur propriorum peccatorum actualium detestatio, elicitur etiam detestatio peccati originalis et peccatorum alienorum, non est consequens posteriorem hanc detestationem esse actum paenitentiae. Nec vero talis consequentia recte arguitur exinde quod praedicta detestatio elici potest a paenitentia virtute speciali. Uti enim antea ostensum est, talis virtus non dicitur paenitentia proprie et essentialiter, sed improprie et denominative tantummodo.

84. — **Quaeres** utrum, quando dicitur objectum materiale paenitentiae detestativae esse omnia ac sola peccata praeterita, actualia ac propria, generalitate hujus assertionis comprehendantur peccata propria jam dimissa. — **Respondetur** affirmative. Possumus enim vere deflere ejusmodi peccata, uti patet ex exemplo Davidis, apostoli Petri et ceterorum sanctorum quibus contigit aliquando graviter Deum offendisse. Immo et locus est intentioni Deo pro hisce peccatis jam satisfaciendi; quia, seclusa speciali revelatione, non possumus certo scire utrum revera sint dimissa.

85. — **Secunda pars** : *Objectum materiale paenitentiae, prouti haec nominat actum prosecutionis, sunt actus boni futuri ipsius paenitentis in materia quarumlibet virtutum.*

Ratio est quod paenitentia, quatenus nominat actum prosecutionis, est intentio satisfaciendi pro peccatis; talis autem intentio potest versari circa omnes actus futuros bonos, quia nullus est talis actus qui non possit assumi ad praestandam Deo congruam satisfactionem pro peccatis.

86. — **Nec juvat dicere**, etiam hanc secundam theseos partem,

saltem quatenus ejus sensus determinatur per probationem mox allatam, esse diminutam : insufficienter nimirum per eam assignari objectum materiale paenitentiae spectatae praecise quantum ad actus prosecutionis in ea inclusos. Quippe paenitentiam, prouti est boni prosecutiva, non complecti unum dumtaxat actum, uti supposuimus, sed duos, nimirum tum intentionem satisfaciendi tum propositum novae vitae. Et per consequens objectum materiale paenitentiae, prouti est prosecutiva, esse actus bonos futuros, non solum prouti hi habent vim satisfactoriam, sed etiam quatenus praecise considerantur ut actus boni et virtuosi. — **Non valet**, inquam, **talis ratio impugnationis** ; quia, sicut propositum declinandi a malo, ita etiam propositum honeste agendi, licet sit omnino necessarium in paenitentibus, non tamen est proprium paenitentium. Utrumque quippe propositum requiritur etiam in justis qui numquam peccaverint. Et propterea docuimus in superioribus *propositum novae vitae esse proprium paenitentium*, non in quantum nominat actum, sed *in quantum nominat respectum rationis actui supervenientem*, nimirum respectum ad malam vitam quae praecessit.

87. — Restat ut dicatur *de proprio subjecto paenitentiae*. In qua investigatione duplex distinctio adhibenda est. *Primo* distingui hic oportet inter a) paenitentiam actualem b) paenitentiam virtutem specialem et c) paenitentiam virtutem detestativam, quae, uti antea probavimus, non est una sed multiplex virtus. *Secundo* hic distinguendum est inter *subjectum proximum* sive *immediatum*, quod est ea animae facultas quae virtute informatur quodque idem magis proprie dicitur *subjectum quo*, et subjectum *remotum* sive *mediatum*, quod est illud suppositum cui competit virtus quodque idem magis proprie dicitur *subjectum quod*.

His praeiactis, sit

Propositio.

Subjectum immediatum tum paenitentiae actualis tum paenitentiae virtutis quomodolibet acceptae est sola voluntas. Subjectum vero mediatum paenitentiae, si quidem sermo intendatur fieri de paenitentia actuali, nequit esse nisi vel peccator vel justus qui aliquando peccaverit ; si vero sermo intendatur fieri de paenitentia virtute speciali et de paenitentia virtute detestativa quae sit alia a spe theologica, idem illud subjectum sunt omnes ac soli justi, ne exceptis quidem Christo Domino, beata Maria Virgine et protoparentibus adhuc innocentibus.

88. — **Prima pars :** *Subjectum immediatum paenitentiae actualis est sola voluntas.* Ratio est quod omnes actus qui paenitentiae sunt proprii, actus sunt voluntatis. Nam a) odium ac detestatio peccati, quippe quae sit actus fugae, nequit esse nisi in parte animae appetitiva ; cum autem hic actus versetur circa objectum quod sola ratione sit apprehensibile, necesse est dicere eam esse in ea partis appetitivae potentia quae est voluntas. Quod vero attinet b) ad intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi, manifestum est eam non esse nisi in voluntate, cum omnis intentio sit voluntatis actus.

89. — **Secunda pars :** *Subjectum immediatum paenitentiae sive virtutis specialis sive virtutis detestativae est sola voluntas.* — Rationes sunt — tum a) quod habitum operativum, qualis est virtus, oportet esse in ea potentia cujus sunt actus, actus autem in quos inclinat paenitentia sive virtus specialis sive virtus detestativa, sunt actus voluntatis — tum b) quod speciatim attinet ad paenitentiam virtutem specialem, quod ea est pars justitiae, justitia autem est in voluntate, cum sit constans voluntas suum cuique tribuendi.

90. — **Tertia pars :** *Subjectum mediatum paenitentiae actualis nequeunt esse nisi vel peccatores vel justi qui aliquando peccaverint.* — Patet id ex iis quae perhibuimus de objecto materiali paenitentiae. Uti enim probatum est, a) actus paenitendi qui est detestatio, non est nisi de peccatis propriis, ideoque etiam b) actui illi paenitendi qui est intentio satisfaciendi, non est locus, nisi praecesserint peccata propria ; per talem quippe intentionem paenitens nititur in destructionem eorum de quibus est paenitentia detestativa.

91. — **Quarta pars :** *Subjectum mediatum paenitentiae virtutis specialis et paenitentiae virtutis detestativae quae sit alia a spe theologica, sunt omnes ac soli justi.*

A. *Sunt omnes justi.* Patet assertio de iis justis qui aliquando peccaverint. Nam a) uti supra ostensum est, paenitere potest aliquem peccatorum propriorum jam remissorum. Itidem b) justi ferme omnes incidunt identidem in peccata venialia, quae sunt materia sufficiens paenitentiae. — At vero tenet etiam assertio de iis justis qui speciali privilegio numquam, ne venialiter quidem, peccaverunt, ac speciatim de protoparentibus adhuc innocentibus, de B. V. Maria et de Christo Domino. Propterea enim eis deneganda esset virtus paenitentia, quia haec virtus in eis esset frustanea, eo quod in actum transire non posset. Jamvero haec ratio non urget in nostra sententia, quae ponit paenitentiam non esse virtutem essentialiter seu quantum ad actum prima-

rium, sed solummodo denominative seu quantum ad actus quosdam secundarios. Contra, propter hoc ipsum quod nostra sententia docet nullam virtutem, quantum ad suum exercitium, exigere peccatum praecessisse in subjecto eam habente ; propter hoc ipsum, inquam, si admittatur hujus sententiae veritas, necesse est dicere statum justitiae exigere ut omnes omnino virtutes cuilibet justo in instanti justificationis infundantur. Tenetque haec assertio etiam de omnibus parvulis baptizatis ; nam quod parvuli propter defectum aetatis impediantur ab exercendis operibus virtutis, id non obstat quominus ratione gratiae sanctificantis ipsis inhaerentis exigant esse perfecti quantum ad potentiam operandi virtuose. Itidemque quod multi ipsorum immatura morte abripiuntur, antequam virtutibus sibi infusis uti potuerint, id non tollit praedictam exigentiam ex inhaerente ipsis gratia sanctificante emergentem. Haec quippe exigentia est per se, immatura vero mors, omnem virtutum usum antevertens, est per accidens. Accedit quod si virtutes remaneant in patria, ipsae parvulis, sicuti ceteris beatis, erunt ornatui. Utrum autem revera ibi permaneant et utrum per consequens nostra assertio verificetur non modo de justis viatoribus sed etiam de justis jam factis comprehensoribus, immo et de omnibus angelis bonis, non est praesentis tractationis disquirere, adnotasse tamen juverit affirmantem sententiam esse longe probabilissimam.

B. *Sunt soli justi.* Ratio est quod tam paenitentia virtus specialis quam paenitentia virtus detestativa sunt virtutes per se infusae : tales autem virtutes sunt propriae existentium in statu justitiae, uti satis patet ex argumentis quibus capite superiore probavimus necessitatem eas ponendi.

Nec obstat quod fides et spes remanent etiam in mortaliter peccantibus : ratio enim ostendens duas hasce virtutes theologicas tum infundi hominibus baptismum cum obice suscipientibus vel ab haeresi ad fidem, non tamen ad justitiam, revertentibus, tum remanere in hominibus fidelibus justitiam per peccatum mortale amittentibus ; ratio, inquam, hoc ostendens, est omnino specialis, talis videlicet quae non militet pro ceteris virtutibus infusis. Nempe ratione baptismi a se suscepti suaeque per talem susceptionem in corpus Ecclesiae insertionis inest fidelibus baptizatis exigentia ut ab intrinseco habeant principia supernaturalia quibus, saltem imperfecte, possint connaturaliter contendere in finem ecclesiae, quae est supernaturalis animarum salus. Jam vero principia supernaturalia quae sint omnino necessaria ad praedictam tendentiam sunt fides et spes, non vero ceterae virtutes infusae.

Nec dici potest etiam pro virtute paenitentiae militare specialem rationem exigentem eam infundi peccatoribus ; peccatores enim magis indigere hac virtute quam justos. — *Hoc dici non valet*, inquam — tum quia indigentia alicujus quo aliquis peccando factus est indignus, non facit exigentiam — tum quia paenitentia, proprie loquendo, non est virtus, quae proprie ab actu suo primario denominanda est, sed est munus secundarium quarumdam virtutum.

Dixi in assertione : *subjectum paenitentiae virtutis detestativae, quae sit alia a spe theologica, sunt,* etc. Ratio hujus limitationis est partim quidem a) quod spes theologica non convenit solis justis. Uti enim modo dictum est, ea, sicut fides, infunditur hominibus baptismum cum obice quidem suscipientibus, sed non discredentibus neque desperantibus, eademque, sicuti fides, non amittitur nisi per peccatum ei directe oppositum. — Partim vero praedicta ratio est b) quod spes non convenit omnibus justis, sed, sicuti fides, numquam fuit in Christo Domino, eo quod utraque virtus repugnat statui comprehensorum.

CAPUT VII.

De necessitate paenitentiae.

92. — Quaeritur utrum homini lapso in peccatum mortale paenitentia sit necessaria immediate quidem ad remissionem peccatorum, mediate vero ad salutem aeternam et quanta sit haec necessitas.

Procedit autem haec quaestio de sola paenitentia detestativa, prouti tamen haec sibi habet adnexum propositum novae vitae. Nam quod attinet ad intentionem Deo pro peccatis satisfaciendi, non est necesse eam per actum aliquem explicitum haberi : per detestationem enim peccatorum, sive ea intentio habeatur, sive non habeatur, revera recompensatur offensa Deo per peccatum mortale illata. Ipsa autem paenitentia detestativa, cujus necessitas investigatur, est vel contritio perfecta extra sacramentum, vel attritio cum sacramento.

Potest autem intelligi aliquid esse necessarium ad salutem dupliciter, nempe vel *necessitate medii* quae dicitur etiam *necessitas finis,* vel *necessitate praecepti*..

Illud dicitur necessarium necessitate medii, sine quo, etiam si incul-

pabiliter sit omissum, salus obtineri nequit. Unde dicitur *unicum medium,* et ipsius necessitas dicitur etiam *necessitas finis.*

Illud vero dicitur necessarium necessitate praecepti, sine quo, si culpabiliter sit omissum, salus obtineri nequit.

Quando autem quaeritur de necessitate paenitentiae, intenditur quaeri utrum paenitentia sit necessaria ad salutem utroque necessitatis modo, nempe tam necessitate medii quam necessitate praecepti.

93. — Ad cujus quaestionis majorem determinationem jam advertendum est dupliciter posse intelligi paenitentiam esse necessariam necessitate medii ad salutem. Cum videlicet dicitur sine paenitentia, etiamsi ejus omissio fuerit inculpabilis, impossibile esse peccata remitti, possumus loqui de possibili et de impossibili vel secundum potentiam Dei absolutam vel secundum potentiam Dei ordinariam. Illud dicitur esse *impossibile secundum potentiam Dei absolutam,* quod implicat contradictionem vel secundum se vel saltem ex parte Dei agentis, quatenus videlicet repugnat alicui attributo divino, puta divinae sapientiae, divinae bonitati, divinae justitiae et ita porro. Illud vero dicitur esse *impossibile secundum potentiam Dei ordinariam,* quod repugnat solummodo praesenti ordini providentiae divinae. Est autem sententia Scoti atque ejus scholae paenitentiam non esse ita necessariam necessitate medii ad salutem ut impossibile sit secundum potentiam Dei absolutam aliquem qui mortaliter peccaverit, sine paenitentia salvari. Non enim implicat contradictionem, inquit Scotus, Deum sine ullo actu peccatoris omnem culpam ac poenam ei remittere, sive ei infundendo habitum gratiae sanctificantis, sive nullum ei infundendo habitum. Et, etiam supposito Deum peccatum remittere velle mediante aliquo peccatoris actu, adhuc, quantum est per potentiam Dei absolutam, inquit, Deus sine paenitentia illud remittere posset; sicut enim de facto elegit paenitentiam tamquam medium necessarium ad justificationem, ita, inquit, eligere potuisset alium actum, puta temperantiae vel misericordiae. Oppositum videtur sentire s. Thomas in III, q. 84, a. 7, in resp. ad 1^m^ et q. 86, a. 2.

Nos, a tali controversia praescindentes, intendimus hic tantummodo stabilire paenitentiam in praesenti providentiae ordine esse necessariam necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum mortalium quae quisque propria sua voluntate commiserit.

94. — Jam ulterius advertendum est ipsam paenitentiam detestativam, quando ea dicitur esse necessaria necessitate medii ad remissionem peccatorum, posse sumi vel pro paenitentia formali vel pro paenitentia virtuali. Est autem *paenitentia formalis* sive *explicita* sive

expressa ipsemet actus detestationis peccatorum secundum se consideratus. *Paenitentia vero virtualis* sive *implicita* est actus differens a paenitentia, in quo tamen actus paenitendi virtute includitur, quatenus videlicet actus paenitendi ex illo sequeretur, si dum exercetur ille actus, peccata propria memoriae occurrerent. Sic, v. g. si quis peccata sua praeterita, necdum dimissa, ne confuse quidem recordans eliceret actum perfectae caritatis, ille haberet actum paenitentiae virtualis : ex actu enim illo caritatis sponte procederet ad peccata sua detestanda, si haec ejus menti obversarentur. Potest autem talis casus revera intervenire, v. g. si quis ex morbo aliquo contraxisset tantam memoriae debilitatem ut peccata sua praeterita prorsus oblitus esset, vel si quis repente raperetur ad martyrium et propter tormentorum vim totus esset in excitandis actibus fortitudinis atque amoris Dei, adeo ut ea de causa impediretur a cogitando de peccatis quae olim commisisset.

Quamobrem doctrina est Scoti, Suarezii et multorum aliorum, quando dicitur paenitentiam esse necessariam necessitate medii ad obtinendam peccatorum remissionem, eam propositionem non esse intellegendam de sola paenitentia formali, nisi eo saltem adhibito temperamento quod si propter oblivionem peccatorum vel actualem et inculpabilem ad ea inadvertentiam non possit haberi paenitentia formalis, sufficiens medium erit paenitentia virtualis. Quam doctrinam immerito impugnant Canus, Sotus et alii Thomistae.

95. — Sed quaestio est utrum non magis adhuc coarctanda sit necessitas paenitentiae formalis, extensa videlicet ad alios casus exceptione, quae mox apposita est propositioni talem necessitatem enuntianti.

Inventi sunt qui huic quaestioni affirmative responderent. Inducebant casum alicujus hominis existentis in peccato mortali et elicientis actum perfectae caritatis eo tempore quo praeceptum paenitendi non urgeret. Talis homo, dicebant, neque tenetur dolorem de suis peccatis elicere eo ipso tempore quo elicit actum perfectae caritatis, quia supponitur pro eo tempore praeceptum paenitendi nondum obligare ; neque etiam ipse tenetur postea dolere de suis peccatis, quia haec jam remissa sunt propter actum perfectae caritatis qui praecessit et quia per consequens dolor de iis excitatus jam non potest esse medium ad impetrandam eorum remissionem. — Responderi posset hominem obligari in hoc casu ad peccata sua detestanda eo tempore quo praeceptum confitendi urget, quia in Nova Lege omnia peccata actualia, etiam si forte ante confessionem dimissa fuerint, subjicienda sunt clavibus, non possunt autem subici clavibus nisi circa ea eliciatur actus detestationis.

Verum haec responsio est insufficiens — tum quia a) ad summum valet pro statu Novae Legis; paenitentia autem fuit omni tempore necessaria necessitate medii ad impetrandam peccatorum remissionem, — tum quia b), uti manifestum est, peccat mutatione elenchi; ostendit enim tantummodo paenitentiam formalem esse in casu proposito necessariam necessitate praecepti, cum tamen modo quaeratur utrum in eo casu sit necessaria necessitate medii, — tum, et eodem redit, quia c) potest supponi hominem illum peccatorem, postquam per actum caritatis perfectae rediit in gratiam cum Deo, repentina morte opprimi, antequam advenerit tempus quo praeceptum confitendi jam urget, in quo casu manifestum erit eum salvari absque actu paenitentiae formalis. — Aliter ergo responderi potest, negando possibilitatem casus propositi. Fieri enim nequit ut is qui ad peccata sua saltem confuse advertit, eliciat actum perfectae dilectionis Dei absque hoc quod vi talis actus peccata sua detestetur tanquam quaedam bonitati divinae contrariantia. Immo, si casus quem fingunt adversarii, possibilis esset, jam negandum foret actum caritatis perfectae esse virtualem paenitentiam. — Verum haec responsio adhuc patitur difficultatem. Esto enim, non stet actus caritatis perfectae absque hoc quod ex eo sequatur actus contritionis perfectae; remanebit nihilominus verum actum hunc contritionis non esse necessarium in casu proposito nisi tamquam aliquid quod de necessitate sequitur ex actu perfectae dilectionis Dei, non vero tamquam tale quod necessarium sit necessitate medii. Sicut si impossibile esset haberi actum detestationis peccatorum absque hoc quod excitaretur dolor in parte sensitiva animae, non propterea dolor iste sensibilis diceretur esse necessarius necessitate medii ad justificationem obtinendam. Et ratio sic dicendi est manifesta; eo ipso enim quod actus contritionis supponitur elici vi praecedentis actus caritatis perfectae, contritio illa, quando producitur, invenit peccata jam remissa, quod autem advenit, postquam peccata remissa sunt, non potest esse medium necessarium ad remissionem peccatorum. Praestat ergo dicere paenitentiam, quae in eo casu in quo nec intervenit oblivio peccatorum nec actualis ad eadem inadvertentia, defenditur esse necessaria necessitate medii ad salutem, consistere vel in formali peccatorum detestatione vel in actu perfectae dilectionis Dei habente sibi necessario adjunctam formalem peccatorum detestationem.

96. — Ut plane elucidetur sensus thesees mox enuntiandae, restat videndum utrum paenitentia illa virtualis quae, deficiente possibilitate paenitentiae formalis, sufficiens est ad obtinendam peccatorum remis-

sionem, semper et in omni casu debeat consistere in actu caritatis perfectae, ut quidam dicunt. Et videtur quaestio haec negative resolvenda esse. Verior enim videtur sententia affirmans in casu martyrii contritionem imperfectam, puta eam quae concipitur ex metu gehennae, esse sufficientem etiam extra sacramentum ad obtinendam remissionem peccatorum. Et hoc propterea, quia ipsum martyrium est ad instar sacramenti et veluti novus baptismus. Supponamus ergo casum jam supra propositum, nempe aliquem in peccato mortali existentem tam subito rapi ad martyrium ut eum sine ejus culpa non subeat cogitatio praeteritorum suorum peccatorum. Supponamusque insuper eum nonnisi metu gehennae moveri ad fidem non ejurandam et ad subeundum ea de causa martyrium. Id enim possibile est propter hoc ipsum quod possibile esse admittitur aliquem non habentem nisi contritionem imperfectam subire martyrium. Manifestum est autem eum qui in casu proposito modo praedicto subit martyrium, neque habere actum paenitentiae formalis neque etiam actum caritatis perfectae. Et tamen quis tenens sententiam Scoti supra relatam, infitias iverit eum obtenturum esse remissionem peccatorum propter vim quasi sacramentalem martyrii? Videtur igitur dicendum paenitentiam illam virtualem, quae, ubi deest possibilitas paenitentiae formalis, sufficiens est medium ad obtinendam remissionem peccatorum, consistere *vel* in actu caritatis perfectae virtualiter continente contritionem perfectam, *vel* in actu virtualiter continente contritionem imperfectam, si contingat posteriorem hunc actum conjungi cum martyrio. His praestitutis, sit

Propositio.

In praesenti providentiae ordine homini mortaliter lapso paenitentia necessaria est necessitate medii ad salutem. Quam ordinarie oportet esse formalem; si tamen hujus possibilitas desit, sufficit paenitentia virtualis perfecta, immo, in casu martyrii, vel sola paenitentia virtualis imperfecta.

Thesis quoad primam partem est de fide, quam tradit concilium Tridentinum, sess. XIV, c. 4, ubi sic loquitur: « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. »

97. — Prima pars: *In praesenti providentiae ordine homini mortaliter lapso paenitentia est necessaria necessitate medii ad salutem.*

Primum argumentum *sumitur ex eo quod scriptura universaliter enuntiat paenitentiam esse conditionem necessariam ad consequendam remissionem peccatorum.* Argumentum est hujusmodi. Ut universales enuntiationes scripturae de necessitate paenitentiae restringi possent ad casus ubi omissio paenitentiae fuerit culpabilis, deberet ratio talis restrictionis accipi vel ex ipsa scriptura vel ex natura rei, nempe ex conditione subjecti de quo efferuntur hae enuntiationes. Atqui neque scriptura memorat aliquam exceptionem apponendam praedictis suis universalibus enuntiationibus, immo ipsa potius omnem talem exceptionem aperte excludit ; neque etiam ratio locutiones scripturae de re praesenti restringendi accipi potest ex conditione proprii subjecti illius paenitentiae de qua nunc agimus, quod subjectum est homo in statu peccati mortalis existens : sive enim talis homo culpabiliter sive inculpabiliter paenitentiam omiserit, propter hoc ipsum quod est in peccato mortali, dignus est aeterna damnatione. Ergo.

In hoc argumento Major est per se manifesta, modo stet suppositio ex qua procedit ; ex duabus vero partibus Minoris solummodo prior probanda restat, quandoquidem alteri parti sua probatio jam adjecta est.

Probatur itaque suppositio quae includitur in Majore, nempe in scriptura necessitatem paenitentiae asseri non pro casibus quibusdam particularibus, sed universaliter. Nempe 1° universalem paenitentiae necessitatem satis insinuat scriptura pluribus in locis ubi a paenitentia, tamquam a conditione sine qua non, Deus reddit dependentem restitutionem suae gratiae quam peccatoribus offert. Sic v. g. Jerem. XVIII, 8 : « Si paenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego paenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. » Perinde est ac si dicat Deus : Si egerit paenitentiam, agam et ego, et non alias.

Objici tamen posset, ex eo quod aliquis affirmat se, quapiam condicione posita, aliquid facturum esse, minime concludi posse ipsum, tali condicione non posita, idem in nullo casu facturum esse.

At vero 2° haec instantia repellitur ex eo quod aliis in locis scriptura tam vetus quam nova necessitatem praedictae condicionis diserte et universaliter affirmat. Sic. v. g. Eccli II, 22 : « Si paenitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei et non in manus hominum. » Et Lucae XIII, 3 et 5 : « Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. »

Dices haud absimiliter dixisse Christum Dominum apud Jo. VI, 54 : « Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem,

non habebitis vitam in vobis, » nec tamen ex hisce verbis posse inferri receptionem sacramenti eucharistiae esse necessariam necessitate medii ad salutem.

Respondetur ex ipsa conditione subjecti recipientis sacramentum eucharistiae limitari necessitatem praedictis Christi verbis enuntiatam ad necessitatem praecepti. Quippe justi qui, quantum est per se, sunt immediatum subjectum sacramenti eucharistiae, nequeunt excidere statu gratiae divinae nisi propria sua culpa, et per consequens non inculpabilis, sed solummodo culpabilis omissio receptionis sacramenti eucharistiae potest ipsis esse causa amittendi vitam spiritualem. At vero, uti supra probavimus, non est afferre ex parte subjecti proprii paenitentiae aliquid propter quod universales scripturae locutiones de necessitate paenitentiae aliquali exceptione restringendae sint.

Jam probatur prior pars Minoris argumenti superius facti, scilicet non modo nuspiam scripturam universalia illa sua de paenitentiae necessitate effata exceptione aliqua restringere, sed potius omnem prorsus exceptionem diserte excludere. Huc maxime attinent Ezechielis cc. XVIII et XXXIII quae integre legenda sunt. Nos quae notabiliora sunt, ex iis excerpimus.

Ezech. XVIII, 20-32 : « Anima quae peccaverit, ipsa morietur,.... justitia justi *super eum erit, et impietas impii erit super eum.* Si autem impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis, quae operatus est,.... vita vivet et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet. *Numquid voluntatis meae est mors impii*, dicit Dominus, *et non ut convertatur a viis suis et vivat ?* Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in praevaricatione qua praevaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis : Non est aequa via Domini ! Audite ergo, domus Israel : Numquid via mea non est aequa, et non magis viae vestrae pravae sunt? Cum enim averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis : in injustitia, quam operatus est, morietur. Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit.... Et dicunt filii Israel : non est aequa via Domini ! Numquid viae meae non sunt aequae, domus Israel, et non magis viae vestrae pravae ? *Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo,* domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus

vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum, et quare moriemini, domus Israel? *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini et vivite.* »

Ezech. XXXIII, 7-20 : « Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium : Impie, morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua : ipse in iniquitate sua morietur : porro tu animam tuam liberasti. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel : Sic locuti estis, dicentes : Iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo vivere poterimus ? Dic ad eos : Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel ? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua, et justus non poterit vivere in justitia sua in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo quod vita vivat et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio : Morte morieris et egerit paenitentiam a peccato suo,... vita vivet et non morietur. Omnia peccata ejus quae peccaverit, non imputabuntur ei, judicium et justitiam fecit, vita vivet. Et dixerunt filii populi tui : Non est aequi ponderis via Domini, et ipsorum via injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia sua feceritque iniquitates, morietur in iis. Et cum recesserit impius ab impietate sua feceritque judicium et justitiam, vivet in iis. Et dicitis : non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo de vobis, domus Israel. »

In utroque hoc Ezechielis capite necessitatem paenitentiae exhiberi tamquam talem quae respectu nullius aliqua exceptione coarctari possit, patet quadrupliciter. *Primo* ex eo quod postquam Deus significasset illud suum judicium : « Impius in peccato suo morietur », eatenus solummodo valiturum esse, quatenus impius non egerit paenitentiam, benignam suam circa impium providentiam manifestat, dicens « Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. » Hac videlicet propositione Deus duas voluntates ex adverso inter se opponit,

unam, quam negat se habere et cujus objectum est mors impii, alteram, quam affirmat se habere et cujus objectum est vita impii, prouti est obtinenda per impii conversionem. Quia ergo hasce duas voluntates vi oppositionis quae inter eas inducitur, oportet esse ejusdem amplitudinis objectivae, objectum autem prioris voluntatis, uti satis constat ex iis quae demonstrantur de voluntate Dei salvifica, nullam prorsus admittit exceptionem, necesse est dicere etiam voluntatem Dei de salute impii non aliter quam per paenitentiam procuranda nullam admittere exceptionem. *Secundo* idem arguitur ex eo quod Deus, comparans inter se providentiam suam circa peccatores et providentiam suam circa justos, significat tam necessariam esse paenitentiam ad recuperandam vitam spiritualem quam necessarium est peccatum mortale ad eam tollendam. Inde videlicet rursum est consequens, nullum peccatorem sine paenitentia salvatum iri, quandoquidem neque justus aliquis sine admisso peccato mortali salute excidere potest. *Tertio* idem arguitur ex eo quod in praedicta comparatione instituenda Deus intendit ostendere vias suas esse justas, aequalibusque se ponderibus uti erga omnes, haec videlicet pondera esse actiones sive bonas sive malas in quibus unusquisque inventus fuerit ; unde suae in negotio salutis oeconomiae quasi apologiam concludit hac propositione. « Unumquemque juxta vias suas judicabo. » Hinc videlicet rursum est consequens peccatorem omnem qui in peccato non retractato inventus fuerit, judicio Dei condemnandum esse. *Quarto* demum idem arguitur ex eo quod Deus diserte negat impossibilitatem ut peccator absque paenitentia salvetur, restringi ad eos casus in quibus nulla excusatio omissae paenitentiae obtendi possit. « Si me dicente ad impium, inquit, impie, morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat impius a via sua, *ipse impius in iniquitate sua morietur,* sanguinem autem ejus de manu tua requiram. »

Dices ex sermone illo Dei ad Ezechielem constare quidem conversionem peccatoris esse necessariam necessitate medii ad salutem, minime tamen inde clarere conversionem illam peccatoris consistere in actu detestationis peccatorum praeteritorum.

Respondetur, qualis sit illa conversio quam Deus apud Ezechielem requirit, satis constare ex aliis scripturae locis parallelis, ubi ea manifeste reponitur in interiore peccatorum detestatione. Sic v. g. Joel II, 12 : « Convertimini ad me in toto corde vestro.... et scindite corda vestra et non vestimenta vestra. » Cf. etiam locus supra citatus ex Luc. XIII, 5.

98. — Secundum argumentum sumitur ex eo quod secundum doctri-

nam scripturae sacrae nullus homo, cui usus libertatis sit concessus, pertinget ad beatitudinem nisi per proprium suum actum. Assumptum probatur ex Eccl. XV, 14-18: « Deus ab initio constituit hominem rectum, et reliquit illum in manu consilii sui... Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. *Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* » Eodem sensu dicit Deus apud Ezech. XVIII, 30 et XXXIII, 20: « Unumquemque juxta vias suas judicabo. » Et apostolus, Rom. II, 6: « Qui reddet unicuique secundum opera sua. » Probatque inde apostolus Deum non esse personarum acceptorem. Quam probationem ipse Deus instituit apud Ezech. XXXIII, 17-20, se videlicet aequis ponderibus uti erga omnes ex eo arguit quod unumquemque juxta vias suas judicaturus sit. — Ex tali porro assumpto sequi intentum, nempe inde erui homini in mortale peccatum lapso paenitentiam esse necessariam necessitate medii ad salutem, a) videtur posse desumi ex ipsa natura rei; qui enim proprio suo actu se avertit a Deo, non aliter videtur posse proprio suo actu redire ad Deum, nisi praeteritum suum factum retractet, illud detestando. At vero b) idem perspicue colligitur ex Ep. ad Rom., loco proxime citato (II, 3-9), ubi ex eo quod Deus reddet unicuique secundum opera sua, arguit apostolus absolutam necessitatem paenitentiae pro iis qui aliquando mortaliter peccaverint: « Existimas, inquit, o homo, qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? *Ignoras quoniam benignitas Dei ad paenitentiam te adducit? Secundum* autem duritiam tuam et *impaenitens cor* thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei, *qui reddet unicuique secundum opera ejus...* Non enim est acceptio personarum apud Deum. »

99. — **Tertium argumentum** sumitur ex patribus qui nihil frequentius inculcant quam necessitatem ut peccatores paenitentiam agant, quia hoc sit illis unicum salutis remedium; unde, inquit Augustinus, Ep. 50: « Nisi egeris paenitentiam, salvus esse non poteris. » Qua ratione etiam solemne est patribus paenitentiam vocare « *secundam post naufragium tabulam,* » qua veluti unico subsidio post fractam innocentiae navim e naufragio eripimur et portum salutis intramus (Cf. Hieron., Epp. 8 et 47 et in cap. III. Isaiae, — Ambrosium, l. Ad virg. laps. c. 8; Tertullianum, l. De paenit.). Dicitur autem secunda post naufragium tabula, quia prima est baptismus, quo homo naufragus ex peccato originali salvatur.

100. — **Secunda pars**: *Paenitentiam quae necessitate medii sit necessaria ad peccatorum remissionem, oportet ordinarie esse paenitentiam formalem.*

Ordinarie, h. e. quotiens adest possibilitas paenitentiae formalis, quod ordinarie contingit.

Probatur. Nam 1° ita exigit perspicuitas scripturae. Etenim si vox paenitentiae aliaeve idemmet significantes voces, quae in allatis aliisque ferme innumeris scripturae testimoniis occurrunt, non essent intellegendae sensu proprio ac formali, omnis scripturae interpretatio evaderet arbitraria, immo scriptura redderetur prorsus inintelligibilis. — Itidem 2° aut scriptura in testimoniis supra adductis inculcat necessitatem paenitentiae formalis, quando haec est possibilis, et sic habetur intentum; aut unice inculcat necessitatem paenitentiae virtualis. Sed hoc posteriùs manifeste implicat. Nam qui exigit veluti necessarium aliquem actum, prouti virtualiter includit alterum, ille exigit actum non secundum se, sed secundum quod alter actus, sublatis impedimentis, ex eo necessario secuturus esset et, per consequens, ille vult alterum illum actum formaliter et secundum se poni, quotiens id possibile est.

101. — Tertia pars: *Si propter peccatorum sive oblivionem sive actualem inconsiderationem desit possibilitas paenitentiae formalis, sufficit paenitentia virtualis perfecta, h. e. actus perfectae caritatis, ad consequendam veniam peccatorum.*

In assertione manifeste supponitur peccatorum praeteritorum oblivionem vel defectum actualis ad ea advertentiae, etiamsi forte fuerit voluntarius et culpabilis in causa, eo tamen tempore quo jam adest, esse involuntarium, quia secus non deesset possibilitas paenitentiae formalis.

Probatur I° ex eo quod juxta scripturam dilectio Dei super omnia est conciliativa amicitiae divinae et perfecte remissiva peccati. — Prov. VIII, 17, verba sunt sapientiae increatae: « Ego diligentes me diligo. » I Jo. IV, 16: « Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo. » Jo. XIV, 21: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum. » Luc. VII, 47: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » I Pet. IV, 8: « Caritas operit multitudinem peccatorum. »

102. — Probatur II° *rationibus theologicis.* Nam a) dilectio Dei supernaturalis et efficax est ex natura sua perfecta conversio creaturae ad Deum; uti per se liquet; ergo statim illi respondet conversio Dei ad creaturam, juxta illud Zach I, 3. « Convertimini ad me, et convertar ad vos » (Cfr. Ezech. XVIII, 30 ; XXXIII, 11). — b) Alioquin posset intervenire casus in quo peccator faciens quod est in se, h. e. cooperans gratiae divinae, destitueretur omni medio salutis; hoc autem est contra

scripturam exaggerantem misericordiam divinam et dicentem Deum non velle mortem peccatoris sed ejus vitam ; nec prius deserere quam deseratur.

103. — **Nec juvat** a) *ita argumentari* cum Cano, Petro Soto et aliis oppositae sententiae assertoribus : Si loca scriptura absolutam necessitatem paenitentiae inculcantia possunt in aliquo casu de sola paenitentia virtuali explicari, in omni casu talem explicationem admittere poterunt, et per consequens falsum erit id quod ipsimet defendimus, nempe regulariter paenitentiam formalem esse necessariam ad salutem; paenitentia quippe in tantum dumtaxat necessaria est, in quantum laudatis scripturae locis inculcatur. — *Non juvat*, inquam, *ita argumentari,* — tum quia a), uti patet ex argumentatione facta pro prima propositionis nostrae parte, eo ipso quod exigitur a scriptura paenitentia saltem virtualis, regulariter ab ea exigitur paenitentia formalis, — tum quia b) ad salvandam proprietatem verborum scripturae, sufficit ut, quantum est per se, requiratur paenitentia formalis, licet per accidens hujus vicem possit identidem supplere paenitentia virtualis. Quippe scriptura utitur modo loquendi apud homines usitato; in rebus autem nominandis solent homines eas significare secundum id quod iis competit per se, non vero secundum id quod iis competit per accidens.

104. — **Nec juvat dicere** b) non aliter inculcari in scripturis absolutam necessitatem fidei ad consequendam salutem quam absolutam necessitatem paenitentiae ad consequendam peccatorum veniam; fidem autem formalem ita esse necessariam necessitate medii ad salutem ut numquam sufficiat fides implicita et virtualis, ergo etiam paenitentiam formalem ita esse necessariam necessitate medii ad consequendam peccatorum veniam ut numquam sufficiat paenitentia virtualis. — Neque juvat *ita argumentari*, inquam, — tum quia a) hoc argumentum habet instantiam in casu baptismi: hoc nimirum sacramentum scripturae similiter inculcant esse necessarium necessitate medii ad salutem, et nihilominus sufficit illud suscipere implicite et in voto, si ejus susceptio in re sit impossibilis, — tum quia b) non tenet paritas inter fidem et paenitentiam, quantum attinet ad virtualem earum inclusionem in alio actu: fides enim, eo ipso quod est initium et fundamentum justificationis, nequit virtualiter contineri in aliquo actu entitative supernaturali eam praecedente, hujus vero oppositum apparet de paenitentia, uti liquet ex explicationibus thesi praemissis.

105. — **Quarta pars.** *In casu martyrii, interveniente inculpabili peccatorum sive oblivione sive inadvertentia, sufficit ad consequendam peccatorum*

veniam paenitentia virtualis imperfecta, h. e. propositum fidem legemque divinam non deserendi, conceptum ex metu gehennae vel ex alio quocumque motivo quod sufficiens esset ad eliciendum actum attritionis de peccatis commissis, si ea memoriae occurrerent.

Ratio manifesta sumitur 1) ex speciali martyrii privilegio asserto hisce Christi verbis apud Matth. x, 32, 39: « Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est... qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. » Quibus consonant haec verba unius ex 24 senioribus ad Joannem habita Apoc. vii, 13-15: « Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt et unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi, tu scis; et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, *et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte.* » Colligitur etiam nostra assertio 2) ex patribus estque sententia expressa a s. Thoma tum in p. iii, q. 66, a. 11, — tum apertissime ibid., q. 87, a. 1, in resp. ad 2^{um}. Ubi ait « martyrium purgare ab omni culpa et veniali et mortali, *nisi actualiter voluntatem peccato invenerit adhaerentem.* »

106. — **Quinta pars** : *Paenitentia est etiam necessaria necessitate praecepti ad consequendam peccatorum remissionem.*

Est contra Victoriam et alios quosdam, qui dixerunt paenitentiam non esse necessariam necessitate praecepti, sed solum necessitate medii, atque ideo peccatorem non paenitentem damnari solum ob peccatum cujus eum non paenituit et non ob aliud novum impaenitentiae peccatum.

107. — **Probatur** 1° *ex scripturis.* Ezech. xviii, 30: « Convertimini et agite paenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. » Joel ii, 12-13: « Convertimini ad me.... et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. » Matth. iv, 17: « Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. » Quae verba utique praeceptum sonant. — Si tamen contendas verba allata aliaque his similia esse pure exhortatoria; probatur assertio aliter, ex eo quod scriptura reprehendit homines propter non actam paenitentiam; reprehensio autem supponit violationem praecepti. Jer. viii, 6: « Nullus est qui agat paenitentiam super peccato suo dicens: Quid feci? » Rom. ii, 5: « Secundum duritiam tuam et impaenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei. »

108. — **Probatur** 2° *ex eo quod homini existenti in peccato mortali paenitentia est necessaria necessitate medii ad salutem.* Quod est necessarium

et unicum medium ad salutem, necessario cadit sub praeceptum divinum rigorose obligans. Sicut enim Deus non potest non velle ut homo tendat ad finem sibi praestitutum, ita non potest non velle ut homo adhibeat media quae sunt absolute necessaria ad eumdem finem consequendum. Atqui etc. Ergo. — Et patet vis hujus rationis ex eo quod non aliunde probat ratio naturalis exsistentiam legis naturalis quam ex necessaria connexione quorumdam tamquam mediorum cum fine ultimo naturali hominis.

Solvuntur difficultates.

109. — A. Contra primam partem dicentem paenitentiam esse necessariam necessitate medii ad reconciliationem peccatoris cum Deo

Objicitur 1°: Illud non est necessarium necessitate medii respectu finis alicujus, praeter quod suppetunt alia media sufficientia ad finem illum procurandum. Atqui juxta doctrinam scripturae praeter paenitentiam suppetunt alia media sufficientia ad obtinendam remissionem peccatorum. Ergo.

Probatur minor. Talia nempe media secundum scripturarum doctrinam sunt — a) *eleemosyna :* Luc. xi, 41 : « Date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis, » — b) *remissio injuriarum :* Matth. vi, 14 : » Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester caelestis delicta vestra, » — c) *correctio fratris a via mala :* Jac. v, 20 : « Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte et cooperiet multitudinem peccatorum, » — d) *oratio :* « Dimitte nobis debita nostra, » quae petitio ex verbis Christi apud Matth. xxi, 22, habet infallibilem promissionem.

110. — **Respondetur** *concedendo Maj.* et *negando Min.* Ad probationem Minoris *sic distinguitur :* Pia illa opera sunt admodum utilia ad obtinendam remissionem tum peccatorum venialium tum etiam poenae temporalis quae post remissam culpam solvenda manet, item sunt utilia ad obtinendam remissionem culpae mortalis, non tamen per modum dispositionis proximae, sed solum per modum dispositionis remotae vel adeo per modum simplicis impetrationis, *Conc.* Sunt utilia per modum dispositionis proximae, quo modo oporteret ea esse utilia ad hoc ut verum esset dicere ea sine paenitentia esse media sufficientia ad salutem, *Neg.*

In praedictis locis scriptura tribuit eleemosynis, orationi aliisque ejusmodi piis operibus vim obtinendi remissionem peccatorum, quatenus eis de congruo meremur auxilia gratiae ad paenitendum de peccatis

mortalibus nondum dimissis. — Ceterum opera recensita non solum a) non sunt sufficientia ad consequendam remissionem peccatorum, et per consequens nullatenus ipsis excluditur absoluta necessitas paenitentiae, sed etiam b) nullum ex ipsis est simpliciter necessarium ad praedictum effectum. Nam quod attinet ad ipsam orationem, quae maxime videri posset necessaria, erroneum est dicere ipsam esse necessariam necessitate medii ad impenetrandam peccatorum veniam. Contingit enim Deum etiam non petenti dare gratiam efficacem ad paenitendum.

111. — **Objiciunt** 2°: Chrysostomus, in Hom. 22 ad populum, non solum sicuti Origenes (hom. 2 in Leviticon) et Augustinus (l. 2 contra Cresconium), numerat multa remedia peccati praeter paenitentiam, sed diserte affirmat quoddam ex hisce remediis, nempe mutationem vitae, sufficere sine paenitentia detestativa. « Non habes pecuniam (ad dandam eleemosynam), non habes compunctionem, ecce propheta clamat : Prohibe linguam tuam a malo, etc., *et ad salutem tibi sufficit.* » Ergo.

112. — **Respondetur** *negando Antecedens.* Ad probationem Antecedentis *sic distinguitur :* Nomine compunctionis Chrysostomus loco citato intellegit dolorem sensibilem, mutatio vero vitae quam ibidem ait sufficere ad salutem complectitur ex ejus mente non solum propositum vitae novae sed etiam detestationem vitae veteris, *Conc.* Nomine compunctionis ipse significat paenitentiam detestativam, mutatio vero vitae, quam veluti sufficientem commendat, consistit secundum ipsum in sola vita nova, *Neg.*

Ratio sic respondendi est quod in Hom. 42 in Matth., ubi similiter sanctus doctor enumerat varia remedia peccati, *ipse diserte distinguit compunctionem a contritione cordis et hanc dicit apprime requiri.*

113. — B. Contra ultimam partem dicentem paenitentiam peccatori esse necessariam necessitate praecepti

Objicitur 1° : Omnia praecepta continentur vel formaliter vel virtualiter in decalogo; sed non est assignare inter praecepta decalogi aliquod praeceptum quod formaliter vel virtualiter imponat obligationem paenitentiae. Ergo.

114. — **Respondetur** 1° *sic distinguendo :* Omnia praecepta legis naturalis aliquo modo continentur in decalogo, *Trans.* Praecepta divina positiva, *Neg.*

Haec tamen responsio est insufficiens. Revera enim asserendum est paenitentiam de peccatis commissis esse juris naturalis, uti recte asserit s. Thomas, in III p., q. 84, a. 7, in corp. et in resp. ad 1^m^. Nec

aliud intenditur negari ab auctoribus praedicto modo objicientibus.

115. — **Respondetur** 2° cum Vasquez et Lugo *simpliciter negando Antecedens.* Nulla enim apparet necessitas reducendi omnia praecepta legis naturalis ad praeceptum aliquod decalogi. Immo videtur aperte constare quaedam hujusmodi praecepta esse praeter decalogum, v. g. praeceptum dilectionis Dei et praeceptum de operibus misericordiae.

116. — **Instant**: Si paenitentia esset de jure naturali, oporteret posse assignari certum motivum quod *ex natura rei* inferat obligationem paenitendi; sed non est assignabile tale motivum.

Respondetur *concedendo Maj. et negando Min.* Obligatio videlicet paenitendi oritur ex fine ultimo tum objective tum subjective spectato. Utroque nimirum modo homo finem ultimum procurare tenetur. Quocirca obligatur peccator ad agendum paenitentiam — tum ex motivo dilectionis Dei, quia finis ultimus objective inspectus est ipse Deus, — tum ex motivo ordinatae dilectionis sui, quia finis ultimus subjective spectatus est beatitudo hominis. Ad haec duo motiva accedit tertium, nempe motivum justitiae erga Deum; tenetur enim homo ex titulo justitiae reparare, quantum potest, injuriam quam Deo peccando intulit, uti fuse explicatum est agendo de paenitentia virtute speciali.

117. — Haec tamen responsio non est ita intellegenda ac si ex tribus motivis sive titulis enumeratis peccatum non paenitendi traheret tres malitias specie distinctas, uti putant Suarez et alii quidam. Asserit videlicet doctor eximius hominem qui unum dumtaxat peccatum mortale commisisset, non cum uno sed cum quatuor peccatis mortalibus ex hac vita decessurum esse, si ex culpabili omissione eum ante mortem unius illius peccati non paeniteret. At vero haec ejus sententia videtur esse manifeste falsa.

Nempe I° *impossibile esse apparet rationem injuriae Deo illatae et rationem culpabilis omissionis sese a peccato ad Deum tamquam ad finem objective ultimum convertendi esse in peccato impaenitentiae duas malitias specifice distinctas.* — Etenim a) propterea peccator non paenitendo peccat contra justitiam erga Deum, quia culpabiliter omittit reparare injuriam quam Deo peccando intulit; sed propter hoc ipsum quod omittit reparare hanc injuriam, ipse culpabiliter remanet in statu aversionis a Deo fine simpliciter ultimo; ergo in hoc quod est impaenitentiam esse contra jus divinum essentialiter imbibitur per eam peccatorem permanere in statu aversionis a Deo fine simpliciter ultimo; et per consequens haec duo in peccato impaenitentiae reperta non nominant duo peccata mortalia specifice distincta, sed unum idemque peccatum. — Sane b) uti ipse

docet Suarezius, non stat aliquam culpam esse peccatum mortale absque hoc quod sit injuria in Deum; sed culpabilis omissio conversionis peccatoris ad Deum tamquam ad finem ultimum nominat peccatum mortale; ergo in hac culpabili omissione imbibitur ratio injuriae erga Deum, non vero injuria erga Deum est aliqua malitia ei specifice superaddita. Itidem c) ejusdem est malitiae culpabiliter inducere statum habitualis aversionis a Deo fine ultimo, atque in tali statu semel inducto culpabiliter permanere; sed per omne peccatum mortale culpabiliter inducitur status habitualis aversionis a Deo, nec tamen culpabilis inductio talis status nominat in peccato mortali malitiam specifice distinctam a ratione injuriae quae et ipsa in omni peccato mortali reperitur; ergo neque culpabilis permansio in statu aversionis a Deo quae invenitur in peccato impaenitentiae, importat malitiam aliquam specifice distinctam a ratione injuriae erga Deum, quae similiter in peccato impaenitentiae includitur.

II° *Impossibile esse apparet culpabilem permansionem in statu aversionis a Deo fine objective ultimo, et culpabilem permansionem in statu exclusionis a beatudine fine subjective ultimo, esse in peccato impaenitentiae duas malitias specifice distinctas.* — Etenim a) Deus voluit inseparabiliter esse inter se connexas liberam aversionem a se tamquam a fine objective ultimo et exclusionem a beatitudine, et per consequens aliquis culpabiliter permanet in statu exclusionis a propria beatitudine per hoc ipsum quod culpabiliter permanet in statu aversionis a Deo fine objective ultimo; non ergo culpabilis negligentia propriae salutis in peccato impaenitentiae reperta superaddit specialem aliquam malitiam culpabili permansioni in statu aversionis a Deo in eodem peccato repertae. — Sane b) omni offensae Dei sive culpae propria sua poena a Deo est statuta; si ergo, uti vult Suarezius, culpabilis permansio in reatu poenae aeternae nominat culpam mortalem specifice distinctam a culpabili permansione in statu aversionis a Deo; ergo huic culpae specifice distinctae propria sua poena eademque aeterna erit constituta; sed culpabilis incursio hujus novae poenae erit et ipsa culpa quaedam a praecedentibus distincta cui propria sua poena debeatur, et sic abibitur in infinitum, quod absurdum est. Itidem c) ejusdem est malitiae culpabiliter inducere reatum poenae aeternae atque in tali reatu culpabiliter permanere; sed per omne peccatum mortale actuale culpabiliter inducitur reatus poenae aeternae, nec tamen culpabilis haec inductio constituit in peccato malitiam aliquam specifice distinctam a culpabili inductione habitualis aversionis a Deo, quae similiter in omni peccato actuali reperitur; ergo neque

culpabilis permansio in reatu poenae aeternae, quae reperitur in peccato impaenitentiae, nominat culpam aliquam specifice distinctam a culpabili permansione in statu aversionis a Deo, quae similiter in peccato impaenitentiae reperitur.

Atque hinc colligitur ratio generalis contra sententiam Suarezii consideratam quoad omnes suas partes complexive sumptas. Ratio est hujusmodi : In omni peccato mortali, praeter malitiam specificam quae cuique peccato est peculiaris quaeque attenditur penes conversionem peccatoris ad talem vel talem rem creatam tamquam ad finem simpliciter ultimum ; in omni, inquam, peccato mortali, praeter hanc malitiam specificam inveniuntur haec tria, nempe ratio injuriae Deo illatae, ratio aversionis a Deo fine ultimo et incursio exclusionis ab aeterna beatitudine ; nec tamen haec tria dicunt in peccato mortali totidem malitias distinctas a specifica malitia peccati mortalis, quia sunt veluti conditiones transcendentales quae in specifica cujusque peccati mortalis malitia intrinsece imbibuntur ; ergo a pari neque in peccato impaenitentiae haec tria, quae sunt injuria Deo illata propter culpabilem omissionem compensationis Deo debitae, culpabilis permansio in statu aversionis a Deo et culpabilis permansio in reatu poenae aeternae, sunt totidem malitiae quarum unaquaeque seorsum ab alia constituat peccatum aliquod mortale. Ergo.

118. — Objicitur 3° ex auctoritate s. Thomae in 2ª IIᵃᵉ, q. 14, a. 2, in corpore, ubi ait s. doctor « impaenitentiam, eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, *non esse speciale peccatum, sed quamdam peccati circumstantiam*, at secundum quod importat propositum non paenitendi, esse speciale peccatum in Spiritum Sanctum. » Quod idem expressit in Sent. II, d. 43, q. 1, a. 3, ad 3ᵐ : « Dicendum, inquit, quod sicut perseverantia dicitur dupliciter : uno enim modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque ad finem, et alio modo est circumstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum usque ad mortem ; ita etiam et impaenitentia, secundum quod dicit propositum non paenitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum, secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati paenitentiam, sic est accidens vel circumstantia aliorum peccatorum. »

Unde ita : Juxta s. Thomam, quotiens impaenitentia non nominat positivum propositum non paenitendi, sed simplicem omissionem paenitentiae sive permansionem in statu peccati, etiamsi talis permansio duret usque ad mortem, impaenitentia non est peccatum speciale,

sed circumstantia peccati ; sed hoc falsum esset, si paenitentia esset necessaria necessitate praecepti ; tunc enim, quotiens urgeret praeceptum paenitendi, simplex permansio in peccato esset novum peccatum mortale, non vero simplex circumstantia aliorum peccatorum ; ergo juxta s. Thomam paenitentia non est necessaria necessitate praecepti.

119. — **Respondetur** 1° indirecte : S. Thomas, in III, q. 85, a. 1, aperte dicit de paenitentia exstare praeceptum Christi hisce verbis expressum apud Matth. IV : « Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. » Item ibidem, q. 84, a. 7, asserit paenitentiam esse juris naturae. Ergo impossibile est verba in objectione adducta eum prae se ferre sensum quem ei affingunt adversarii.

In interpretandis tamen hisce s. Thomae verbis, quod necesse est ad directe diluendam difficultatem factam, mirifice inter se dissident Vasquez, Suarez, Lugo, de Coninck aliique auctores. Verior erit profecto ea interpretatio quae et conformis sit scopo a s. doctore in locis citatis intento et severe inhaereat proprietati verborum et salvet comparationem a s. doctore institutam inter impaenitentiam et perseverantiam in bono.

120. — Et propterea *dicendum est* 1° in locis citatis non considerari a s. Thoma nisi eam culpabilem impaenitentiam quae aliquo modo, h. e. in re vel in proposito, sit permansio in peccato usque ad finem vitae. Patet id a) ex scopo s. doctoris. Intendebat enim s. doctor determinare utrum aliqua impaenitentia et quaenam sit peccatum speciale in Spiritum Sanctum. Quia ergo in articulo proxime praecedente jam generaliter determinaverat per peccata specialia in Spiritum Sanctum, quantum est praecise ex parte hominis peccantis, irremediabiliter abjici media salutis, de impaenitentia autem manifestum est per eam non irremediabiliter abjici media salutis, nisi ipsa vel in re vel in proposito se extendat usque ad finem vitae ; idcirco impertinens erat ad scopum s. doctoris de alia impaenitentia locis citatis considerare quam de ea quae vel in re vel in proposito est permansio in peccato usque ad finem vitae. Ceterum assertum patet ulterius — tum b) ex verbis s. doctoris satis clare significantis se loqui de ea impaenitentia quae vel in re vel in proposito perduret usque ad mortem — tum c) ex eo quod s. doctor asserit de impaenitentia a se considerata loquendum esse proportionaliter ad modum quo loquimur de perseverantia in bono. Perseverantia scilicet illa in bono cum qua contendit impaenitentiam a se consideratam, non est nisi ea perseverantia quae vel in re vel in proposito sit permansio in actibus virtutis usque ad finem vitae.

121. — Hinc consequenter ad hoc primum assertum *dicendum est 2°* ab impaenitentia a s. doctore locis citatis considerata excludi impaenitentiam, prout haec nominat formaliter et praecise speciale illud impaenitentiae peccatum quod consistit in omissione paenitentiae tunc temporis interveniente quando praeceptum paenitentiae jam urget. — Ratio est quod speciale illud peccatum omissionis unice constituitur in ratione specialis peccati propter transgressionem legis paenitentiae quae tunc temporis urgebat. Hinc videlicet est consequens ut malitia propria et specifica illius peccati *tota quanta contrahatur in primo instanti quo lex paenitentiae urgebat* et ut per consequens illud peccatum, quantum est ex specifica ejus ratione, non dicat aliquam permanentiam in peccando, nedum dicat permanentiam in peccando usque ad mortem. Quapropter, licet permanentia in peccato etiam mere habituali jam evadat culpabilis, postquam lex paenitentiae incepit urgere, non tamen haec permanentia erit secundum se speciale peccatum, sed erit *circumstantia* illius specialis peccati, quod est transgressio legis paenitentiae. Nempe permanentia illa in peccato habituali jam erit culpabilis, non praecise et formaliter secundum quod est permanentia in peccato habituali, sed secundum quod est *duratio in actuali peccato omissionis paenitentiae lege praescriptae;* duratio autem in actualiter peccando non nominat, uti manifestum est, speciem aliquam peccati, *sed circumstantiam sive accidens peccati. Neve dicatur* eo ipso quod aliquis culpabiliter omittit adimplere legem paenitentiae, cum habere propositum culpabiliter permanendi in peccato, et per consequens permanentiam in peccato non quidem in re, sed in proposito pertinere ad essentiam specialis illius peccati impaenitentiae quod consistit in transgressione legis paenitentiae. *Hoc non valet dici*, inquam, quia transgressio legis paenitentiae, quantum est per se, est peccatum purae omissionis ; non autem in peccato purae omissionis essentialiter includitur peccatum commissionis, quale est formale propositum non paenitendi.

122. — Porro stantibus duobus assertis modo probatis, jam *dicendum est 3°* culpabilem illam impaenitentiam de qua sola locis citatis s. Thomas considerat, recte et complete dividi a s. doctore in a) speciale aliquod peccatum in Spiritum Sanctum et b) circumstantiam aliorum peccatorum actualium. Uti enim probando primam assertionem ostensum est, s. doctor, pro substrata materia principalis suae considerationis, solummodo considerat in locis citatis eam impaenitentiam quae aliquo modo est permansio in peccato usque ad finem vitae. Ut ergo determinet quaenam paenitentia sit speciale peccatum in Spiritum

Sanctum, notat permansionem illam in peccato usque ad mortem posse considerari vel prouti est in re vel prouti est in proposito, quae certe bimembris divisio est omnino completa. Jamvero a) permansio in peccato usque ad mortem, prouti est in re, est permansio vel in peccato habituali vel in peccato actuali. Si sit permansio in peccato habituali, ipsa, quamdiu haec permansio est inculpabilis, non pertinet ad eam permansionem de qua procedit investigatio, quia haec est sola permansio in peccato quae nominat impaenitentiam culpabilem. Si sit permansio in peccato habituali, quatenus haec jam est culpabilis, ipsa non est speciale peccatum, sed circumstantia peccati, nempe duratio in actuali peccato omittendi adimpletionem legis paenitentiae, uti supra ostensum est. Si vero praedicta permansio in peccato usque ad mortem sit permansio sive duratio in peccatis actualibus, est circumstantia horum peccatorum, uti per se est manifestum. Ulterius b) permansio in peccato usque ad mortem, prouti est in proposito, h. e. prout est objectum alicujus propositi, quod sane quolibet vitae tempore haberi potest; permansio, inquam, in peccato usque ad mortem, si tali modo accipiatur, est manifeste speciale peccatum in Spiritum Sanctum, quia consistit in abjectione et contemptu alicujus pertinentis ad bonitatem Spiritui Sancto appropriatam, nempe in abjectione et contemptu motivorum retrahentium a peccando. Concludendum est igitur bimembrem illam divisionem quam per partes explicavimus, recte reduci a s. Thoma ad divisionem in impaenitentiam quae sit circumstantia peccati et impaenitentiam quae sit speciale peccatum in Spiritum Sanctum. Simul patet verba s. doctoris modo explicata non praebere fundamentum asserendi paenitentiam homini mortaliter lapso non esse necessariam necessitate praecepti, quem in sensum s. doctorem perperam interpretatus est Victoria. Quod enim in locis citatis s. Thomas non meminit impaenitentiae, prouti haec consistit in culpabili transgressione praecepti paenitentiae, hujus ratio est quod, uti ostendunt probationes factae pro secunda nostra assertione, consideratio impaenitentiae praedicto modo acceptae impertinens erat ad propositum s. doctoris (1). At vero, ubi jam ex professo tractat de virtute et de sacramento paenitentiae

(1) Communis error Vasquezii, Suarezii, Cardinalis de Lugo et aliorum auctorum testimonia s. Thomae modo explicata interpretantium, in eo consistit quod supponunt s. doctorem loqui in hisce locis de ea etiam impaenitentia quae est speciale peccatum consistens in culpabili omissione paenitentiae lege divina praescriptae.

Et quidem Vasquez ait culpabilem illam paenitentiae debitae omissionem esse eam de qua s. Thomas asserit eam non esse speciale peccatum, sed solum circumstantiam

s. doctor aperte affirmat et probat paenitentiam esse necessariam non modo necessitate medii, sed etiam necessitate praecepti.

123. — Ad impugnandam eandem necessitatem praecepti

---

sive accidens aliorum peccatorum. Non enim s. Thomam intendere negare culpabilem illam in peccato permansionem quam vocat circumstantiam aliorum peccatorum, esse, simpliciter loquendo, speciale peccatum ; sed ab eo tantummodo negari talem in peccato permansionem esse speciale peccatum secundum certum aliquem modum considerationis. Quia videlicet scopus s. Thomae in locis citatis esset determinare quae et quotnam sint species peccati in Spiritum Sanctum, idcirco eum in impaenitentia non aliam considerare malitiam quam eam quam habet ex sui oppositione ad Spiritum Sanctum. Quia ergo Angelicus in articulo immediate praecedente (in 2ª IIae, q. 14, a. 1) distinxisset duplicem malitiam contra Spiritum Sanctum, unam quae sit circumstantia sive condicio peccati, eo quod communiter inveniatur in omni peccato, alteram quae constituat speciale peccatum in Spiritum Sanctum, eo quod oriatur ex abjectione et contemptu eorum quae tamquam effectus bonitatis divinae Spiritui Sancto appropriantur, idcirco quando s. Thomas asserit culpabilem paenitentiae omissionem non esse speciale peccatum, sed circumstantiam peccatorum, ab eo solummodo intendi asseri culpabilem illam paenitentiae omissionem non esse speciale peccatum in Spiritum Sanctum, sed habere dumtaxat communem illam ad Spiritum Sanctum oppositionem, quae sit circumstantia in omni peccato inventa.

Verum haec interpretatio non modo est violenta, sed etiam inducit s. Thomam quam ineptissime loquentem. — Quippe a) tametsi in culpabili paenitentiae omissione invenitur communis illa ad dona Spiritus Sancti oppositio quae invenitur in omni peccato, non magis tamen potest propterea illa omissio vocari accidens sive circumstantia aliorum peccatorum, quam alia peccata propter eamdem illam causam possunt vocari accidens sive circumstantia culpabilis paenitentiae omissionis. Sane b), stante interpretatione Vasquezii, sermo s. Thomae non solum non esset proprius ac formalis, sed esset omnino falsus ; redderet enim sensum omnino diversum ab eo quem intendisset s. doctor. Quippe immane quantum inter se discrepant propositio dicens permansionem in actualiter peccando esse circumstantiam aliorum peccatorum, quae est propositio a s. Thoma enuntiata, et propositio dicens in permansione in peccando inveniri circumstantiam quamdam in omni peccato inventam, quae est propositio a Vasquezio sancto doctori imposita.

Suarez tentat tres vias diversas exponendi textus ex s. Thoma supra recitatos. Quod certe sufficienti est indicio eum veram s. doctoris mentem non esse assecutum. Tertia ejus interpretatio ita perhibet : Culpabilis illa impaenitentia quam s. Thomas vocat circumstantiam aliorum peccatorum, est culpabilis omissio servandi praeceptum paenitentiae eademque ab ea impaenitentia quam s. doctor vocat speciale peccatum in Spiritum Sanctum, non differt nisi penes hoc quod ipsa est indirectum propositum non paenitendi, altera vero impaenitentia est directum propositum non paenitendi. Quapropter duae hae impaenitentiae non differunt quantum ad specificam suam malitiam. Voluntarium enim directum et voluntarium indirectum non variant speciem malitiae, si alioquin in objecto sit sufficiens convenientia. Nec obstat quod s. Thomas solum directum propositum non paenitendi vocat speciale peccatum in Spiritum Sanctum. Propterea enim s. doctor ita decernit, quia ex ejus mente ad hoc ut peccatum aliquod sit specialiter contra Spiritum Sanctum, non sufficit ut habeat hanc vel illam malitiam Spiritui Sancto specialiter contrariantem, sed requiritur ut haec malitia per directum sive formale propositum intendatur.

Haec Suarezii interpretatio peccat a) eo quod s. Thomae tribuit absonum illum loquendi modum quem in reprehendenda Vasquezii expositione nuper notavimus. Permansio videlicet illa in peccato quam s. doctor pronuntiat non esse speciale peccatum, sed tantum circumstantiam aliorum peccatorum ; ipsissima, inquam, haec permansio, si Suarezio credendum sit, foret juxta s. doctorem speciale peccatum, nempe culpabilis paenitentiae omissio. Adeo ut s. doctor plane oppositum illius quod intendit significare, ediceret Quin immo b) stante interpretatione Suarezii, adhuc absurdior evadit modus

Objicitur 2°: Si paenitentia esset mortali peccato inquinatis necessaria necessitate praecepti, possent assignari tempora in quibus vel ex

---

loquendi s. Thomae quam si accipiatur interpretatio Vasquezii. Nempe quando s. Thomas asserit duos illos modos impaenitentiae de quibus disserit, distingui inter se sicut id quod non est nisi circumstantia aliorum peccatorum, distinguitur ab eo quod secundum se est speciale peccatum, id secundum Suarezium ad eum sensum trahendum esset quod singuli ac duo illi modi impaenitentiae essent peccata numerice distincta ab omnibus aliis, quodque iidem, quantum ad suam specificam malitiam, a se invicem non differrent, quodque idcirco non aliter inter se distinguerentur quam sicut voluntarium indirectum distinguitur a voluntario directo. At quis non videt propositionem quam s. Thomas enuntiat non solum nihil habere commune cum propositione quam ei imponit Suarezius, sed reddere sensum qui aperte excludat sensum quem comminiscitur Suarez ? Ulterius c) falsissimum est id quod ad tuendam suam interpretationem Suarez necesse habet asserere, nempe impaenitentiam, prouti nominat peccatum in Spiritum Sanctum, non habere ex mente s. Thomae malitiam aliquam specificam sibi exclusive propriam. Patet nimirum falsitas hujus asserti Suareziani a) vel ex eo solo quod impaenitentiam, prouti nominat peccatum in Spiritum Sanctum, asserit s. Thomas esse *peccatum speciale ;* sive enim spectes proprietatem verborum, sive attendas ad perpetuum usum loquendi s. Thomae, nomine *peccati specialis* necesse est intelligi peccatum habens specificam malitiam sibi exclusive propriam. Idem ulterius patet — tum b) ex eo quod argumenta quae sibi opponit s. doctor, tendunt ad impugnandam specificam differentiam peccatorum in Spiritum Sanctum a se invicem et ab aliis peccatis — tum c) ex eo quod in solvendis his argumentis s. doctor specificam illam differentiam defendere conatur, uti constat ex 2^{a} II^{ae}, q. 14, a. 2, ad 2^{m}, et praesertim ex Sent. II, d. 43, q. 1, a. 3, ad 3^{m}. At vero d) nihil opus est hisce argumentis, quandoquidem s. doctor in Sent. II, d. 43. q. 1, a. 3, diserte affirmat et data opera probat omne peccatum in Spiritum Sanctum specifice differre ab iis peccatis quae non sunt in Spiritum Sanctum. Duos videlicet ibi ponit modos quibus intelligi potest peccatum aliquod esse in Spiritum Sanctum ; ex hisce porro modis priorem rejicit, posteriorem accipit, ea nixus ratione quod non secundum priorem, sed secundum posteriorem tantum modum verificetur peccata in Spiritum Sanctum commissa, esse species quasdam peccati ab omnibus aliis distinctas. Tum argumentationem hanc suam concludit dicens : « Secundo modo (ex duobus assignatis) (peccatum in Spiritum Sanctum) speciale peccatum dicitur, quod ex electione contingit. *Quia speciale peccatum dicitur ex speciali objecto* : *hoc autem est speciale objectum voluntatis in quo* (per peccatum in Spiritum Sanctum) peccatur, scilicet hoc quod a peccato natum erat *retrahere, cui voluntas dissentit,* sponte ab eo recedens. Peccatum autem in Spiritum Sanctum non proprie dicitur illud quod ex electione procedit primo modo, sed quod secundo modo ex electione procedit; *quia peccata et specificantur et nominantur ab objectis ; objectum autem in hoc peccato* (contra Spiritum Sanctum) *est hoc quod a peccato retrahebat,* et istud est bonitas quaedam vel aliquis effectus Spiritui Sancto appropriabilis ; et ideo peccatum in Spiritum Sanctum determinatum genus peccati nominat. » En vides secundum s. doctorem omne peccatum in Spiritum Sanctum, in quantum est peccatum in Spiritum Sanctum, habere ex suo objecto propriam ac specificam malitiam, et per consequens impossibile esse peccatum in Spiritum Sanctum convenire in eadem specie malitiae cum peccato quod non sit contra Spiritum Sanctum. Quod certe sufficit ad penitus subruendam interpretationem Suarezii. (Cf. 2^{a} II^{ae}, q. 14, a. 1, in fine corporis et in resp. ad 3^{um}).

Cardinalis de Lugo asserit eam culpabilem impaenitentiam quam s. Thomas vocat circumstantiam aliorum peccatorum, revera non esse ex mente s. doctoris nisi circumstantiam cujuslibet peccati actualis, nempe circumstantiam durationis in peccato. Et quantum ad hoc omnino vera est ejus interpretatio. At vero abreptus et ipse praejudicata hac sententia, considerari nempe a s. Thoma in locis citatis eam etiam impaenitentiam, quae consistit in culpabili omissione paenitentiae lege praescriptae ; tali, inquam, praejudicata sententia abreptus, longe deinde aberrat a vera s. doctoris mente, asserens sub impaenitentia quam s. Thomas ponit esse speciale peccatum in Spiritum Sanctum, comprehendi propositum tum formale tum virtuale non paenitendi, propositum autem

jure naturali vel saltem ex jure positivo divino oporteret agere paenitentiam, sed nulla talia tempora sunt assignabilia.

Itidem **objicitur 3°**: In statu naturae purae perfecta contritio fuisset necessaria necessitate medii ad salutem ; unde si, uti contendimus, paenitentia jure naturali praeciperetur, oporteret dicere detestationem peccatorum per actum perfectae contritionis esse de jure naturae praecipiente ; sed hoc apparet esse falsum ; quia ex hoc est consequens, etiam in statu naturae reparatae, quando urget praeceptum virtutis paenitentiae, esse eliciendum actum perfectae contritionis ; praecepta enim juris naturalis vigent pro omni statu, quia sunt immutabilia et indispensabilia.

Duabus hisce difficultatibus solvendis inservient duae sequentes quaestiones.

124. — Quaeritur 1° pro quo tempore obliget praeceptum paenitentiae.

Conveniunt omnes tale praeceptum obligare — tum a) in articulo mortis — tum b) instante gravi periculo vitae, puta si decertandum sit cum hostibus in proelio, vel periculosa navigatio sit suscipienda. Ratio asserti quoad utramque partem accipitur ex tribus radicibus praecepti

---

virtuale non paenitendi esse culpabilem omissionem paenitentiae debitae. Objicit quidem sibi doctissimus cardinalis per culpabilem omissionem paenitentiae, in quantum hujusmodi, non abjici sive contemni motiva retrahentia a peccato, quod tamen requiritur ad hoc ut impaenitentia sit peccatum in Spiritum Sanctum. Ad hoc respondet s. Thomam in 2ª IIae, q. 14, a. 1, assignasse tres modos quibus intellegi possit peccatum aliquod esse in Spiritum Sanctum : licet autem tertius ex hisce modis requirat contemptum alicujus pertinentis ad bonitatem Spiritus Sancti, non tamen s. doctorem in assignandis speciebus peccati contra Spiritum Sanctum sese huic tertio modo alligasse, sed etiam duos alios adhibuisse.

At vero quam a mente s. Thomae sit aliena secunda pars interpretationis ab eminentissimo cardinali adhibitae, patet ex eo quod omnino tenet objectio quam ipsemet contra eam movet quodque falsa sit responsio qua eam solvere conatur. Scilicet a) mos est s. Thomae, quando plures sententias refert, ut ultimo loco propriam suam sententiam declaret, proindeque ex tribus illis modis quibus dicit a diversis intellectum esse peccatum aliquod esse in Spiritum Sanctum, tertius dumtaxat continet propriam ejus sententiam. Quod ceteroquin b) manifeste colligitur ex eo quod tum alibi saepe tum speciatim in Sent. II, d. 43, q. 1, a. 2, ad 4^m, s. doctor *ex propria sua sententia* asserit omne peccatum in Spiritum Sanctum fieri *ex contemptu gratiae* quae Spiritui Sancto appropriatur. « Dicendum, inquit, quod contrariari gratiae contingit dupliciter. Primo directe per se, et hoc fit dum aliquis gratiam actualiter despicit vel aliquid ad gratiam pertinens, *et sic opponitur gratiae peccatum in Spiritum Sanctum.* » Denique c) in 2ª IIae, q. 14, a. 2, s. doctor incipiens respondere quaesito quod proponebatur per titulum articuli, aperte asserit se sex species peccati in Spiritum Sanctum assignaturum esse secundum tertium ex tribus modis quibus articulo praecedente asseruerat accipi posse peccatum aliquod esse in Spiritum Sanctum. « Dicendum, inquit, quod *secundum quod peccatum in Spiritum Sanctum tertio modo accipitur*, convenienter praedictae species ei assignantur. »

paenitentiae, quae supra, respondendo ad primam objectionem, indicatae sunt.

Verum in assignandis aliis temporibus quibus praeceptum paenitentiae obliget, discrepant inter se auctores. Sunt duae extremae sententiae. Prima asserit praeceptum paenitentiae non obligare nisi in articulo mortis vel instante periculo quod aequivaleat articulo mortis. Et haec sententia est aperte falsa, — tum quia a) quem per totam vitam suorum peccatorum non paenitet, is maximo se periculo exponit ut vel in ipso articulo mortis paenitentiam non agat, — tum quia b) vita eum in finem est a Deo concessa ut in ultimum finem tendamus, cui Dei intentioni manifeste refragatur qui tota vita sua in statu peccati permanet, — tum quia c) qui usque ad mortem paenitentiam differt, maximum suae animae infert detrimentum; nulla quippe ejus opera decursu vitae peracta sunt meritoria vitae aeternae, — tum demum d) quia homo tenetur pluries in vita elicere actum dilectionis, unde saltem ex consequenti necesse erit eum detestari sua peccata, si nondum remissa sint; uti enim supra ostensum est, non stat peccatorem qui peccatorum suorum recordetur, habere actum dilectionis Dei et cum vi talis actus non prorumpere in detestationem suorum peccatorum. Immo ex eo quod etiam justi obligantur ad eliciendum identidem actum dilectionis, efficaciter infertur peccatorem ex praecepto paenitentiae immediata obligatione adstringi ad eliciendum actum detestationis suorum peccatorum; est enim par ratio utrimque, uti facile attendenti patebit.

Altera est sententia extrema peccatorem, statim postquam mortaliter lapsus est, teneri praecepto paenitentiae ad detestanda et retractanda sua peccata. Quod alii mitigant, dicendo eum ad hoc teneri singulis diebus festis. Alii adhuc magis id mitigant, dicendo eum ad hoc teneri quotiens ei memoria suorum peccatorum occurrerit. Verum etiam haec sententia, sive simpliciter accepta, sive iis restrictionibus quas indicavimus, temperata, rejicienda est. *Et quidem non teneri peccatorem ad statim agendam paenitentiam*, patet ex eo quod praeceptum de paenitentia est praeceptum affirmativum; praeceptum autem affirmativum, *licet obliget semper* ad non habendum actum actui praecepto contrarium, *non tamen obligat pro semper* ad habendum actum qui per ipsum praecipitur. — *Neque teneri peccatorem ad detestanda sua peccata singulis diebus festis,* patet ex eo quod dies festi instituti sunt ad reddendum Deo cultum debitum; talis autem cultus potest reddi Deo etiam ab existente in peccato mortali. *Denique non teneri peccatorem ad detes-*

tanda sua peccata, quotiens ea menti occurrerint, patet ex eo quod hoc gratis et sine ullo fundamento asseritur. Sola enim ratio hoc asserendi esse potest, quia secus adest periculum complacentiae in peccatis praeteritis; sed praeterquam quod sic praeceptum paenitentiae non urgeret per se, sed per accidens, falsum est tale periculum semper instare; potest enim aliquis divertere mentem a cogitatione suorum peccatorum sibi occurrente.

Vera ergo sententia distinguit inter tempora quibus praeceptum paenitentiae virtutis obligat per se, et tempora quibus obligat per accidens. Quod attinet ad obligationem per se et vi solius praecepti advenientem, dicendum est praeceptum paenitentiae virtutis, sicut praeceptum cultus divini, esse indeterminatum, quantum ad tempora quibus obligat, proptereaque hoc praeceptum indigere ulteriore determinatione adveniente ex lege positiva humana. Quo modo v. g. pro christianis tempus hoc determinatum est lege ecclesiastica annuae confessionis. Quod si forte omne praeceptum positivum deficeret, standum esset morali aestimationi ac consuetudini prudentium suaeque salutis studiosorum. Per accidens vero obligat praeceptum paenitentiae, quando peragenda est actio quae requirit statum gratiae, v. g. si suscipiendum sit sacramentum vivorum vel administrandum sacramentum ecclesiae. Sunt qui addant per accidens teneri ad excitandum actum detestationis suorum peccatorum qui gravi tentatione pulsatur. Sed hoc non satis est manifestum. Si enim peccator in instanti gravis tentationis habet auxilium proxime sufficiens ad detestanda peccata sua praeterita, videtur etiam habere auxilium proxime sufficiens ad vitanda peccata nova. Jam vero nonnisi ratione talis auxilii obtinendi posset per accidens obligari ad eliciendum actum detestationis de suis peccatis.

125. — **Quaeritur 2°** qualis sit detestatio peccatorum quae vi praecepti virtutis paenitentiae requiritur.

Certum est apud omnes paenitentiam detestativam quae in lege tam naturae quam Moysis fuit hominibus in mortale peccatum lapsis necessaria, fuisse actum contritionis perfectae. Colligitur id ex concilio tridentino, quod sess. XIV, c. 1, docet « fuisse paenitentiam universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessariam, » quam paenitentiam infra, c. 4, declarat pro antiquis patribus fuisse contritionem perfectam.

Quod vero attinet ad quaestionem quaenam paenitentia detestativa in lege nova requiratur, *prima* est *sententia* Valentiae dicentis quotiens-

cumque praeceptum paenitentiae virtutis urget, peccatorem vi hujus praecepti teneri ad eliciendum actum contritionis perfectae de omnibus iis peccatis mortalibus de quibus usque ad hoc tempus nondum talem actum excitasset, etiamsi forte per sacramentum paenitentiae cum attritione susceptum ea peccata jam remissa essent. Ratio ejus est quod nomine paenitentiae intellegitur in scriptura contritio perfecta, praeceptum autem quod de paenitentia sic accepta latum est in vetere lege, Christus, antequam institueret sacramentum paenitentiae, innovavit in nova hisce verbis : « Paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. » Quia ergo de paenitentia et de confessione dantur in scripturis praecepta distincta, praeceptum autem datum de uno actu non adimpletur per alium actum, concludendum esse etiam modo in nova lege peccatorem vi praecepti paenitentiae obligari ad eliciendum actum contritionis perfectae de iis peccatis circa quae talem actum nondum habuisset. — Haec sententia est certissime falsa et communiter rejicitur — tum quia a), si vera esset, dicendum esset onus paenitentiae in nova lege duplicatum esse ; teneremur enim ad omne id ad quod praeceptum paenitentiae in antiqua lege obligabat, et praeterea nobis incumberet onus instituendi confessionem sacramentalem, — tum quia b) secundum explicationem concilii tridentini, in sess. XIV, c. 4, nomine legitimae et perfectae paenitentiae non tantum intellegitur contritio perfecta, sed etiam attritio cum sacramento, ita ut in nova lege praeceptum paenitentiae per utrumque disjunctim adimpleri possit. — Ex quo secundo argumento patet responsio ad argumentum Valentiae. Dicendum est videlicet praeceptum paenitentiae virtutis valere procul dubio etiam pro statu legis evangelicae ; per institutum tamen a Christo sacramentum confessionis inductum esse novum modum quo illud praeceptum adimpleri possit.

Secunda est *sententia* Suarezii, Sanchez, Tanneri et aliorum dicentium saltem in articulo mortis peccatorem teneri ad detestandum sua peccata, non solum per attritionem cum confessione, sed etiam per actum contritionis perfectae. — Fundamentum eorum est quod in re gravissima et in extremo mortis periculo teneatur homo tutissimum adhibere remedium, et hoc ex caritate erga seipsum ; tale autem remedium sit contritio perfecta superaddita confessioni sacramentali, si haec cum sola attritione suscepta fuerit, idque patere tum a) ex eo quod homo nequit esse certus utrum in sacramento sive ex parte sacerdotis sive ex parte sui non intervenerit aliquis defectus, — tum quia b) non est omnino certum attritionem cognitam ut talem ad sacramentum sufficere. —

Verum etiam haec sententia rejicienda est — tum quia in hora mortis, sicut in aliis temporibus, sufficit ab homine eligi medium salutis moraliter certum, non vero tenetur homo ad medium tutissimum, — tum quia post declarationem traditam a concilio tridentino, sess. XIV, c. 4, jam omnino certum est attritionem cum sacramento confessionis sufficere ad obtinendam remissionem peccatorum.

Dices : Saltem tenetur homo in hora mortis actum dilectionis Dei super omnia elicere, ut communis tenet opinio ; sed hic actus, ut ipsimet supra adstruximus, necessario secum trahit actum contritionis perfectae de omnibus peccatis quae aliquis aliquando commisit.

Respondetur : Si homo tenetur in hora mortis ad actum dilectionis Dei, haec obligatio oritur ex praecepto caritatis, non vero agimus de obligatione oriente ex hoc ultimo praecepto.

Tertia ergo et vera *sententia* est in nova lege peccatorem vi praecepti paenitentiae obligari ad hoc disjunctum, nempe vel ad contritionem perfectam cum voto sacramenti, si non habeat copiam confessarii, vel ad attritionem cum sacramento.

Facilis autem est responsio ad difficultatem principio factam, quae petebatur ex eo quod praeceptum paenitentiae per contritionem peragendae est de lege naturali ; lex autem naturalis est immutabilis et indispensabilis. — Ad hoc videlicet dicitur in praecepto legis naturalis de paenitentia detestativa per contritionem perfectam praestanda includi hanc hypothesin : nisi Deus significaverit se vel gratis remittere id quod homo ei debet pro peccato, vel tale debitum se in aliud commutare. Porro in nova lege Deum intuitu infinitae satisfactionis sibi pro peccatis a Christo in cruce exhibitae mutasse debitum eliciendi pro peccatis mortalibus actum contritionis in debitum praestandi illud disjunctum quod supra explicatum est. Neque propterea factum esse in praecepto naturali paenitentiae mutationem formalem, sed mutationem materialem tantummodo. Sicut quando creditor gratis liberat debitorem ab obligatione reddendi pecuniam quam ipsi debebat, cessat lex naturalis obligare debitorem ad reddendum debitum, non quia ipsamet haec lex mutata sit, sed quia mutata est materia circa quam versabatur. Idem prorsus contingit in nostro casu. Lex videlicet naturalis praescribit actum contritionis, in quantum talis actus titulo justitiae est debitus Deo pro peccatis commissis; tale autem debitum potest Deus vel omnino auferre vel in aliud commutare.

PARS POSTERIOR.

DE PAENITENTIA SACRAMENTO.

CAPUT I.

De potestate a Christo ecclesiae suae facta remittendi peccata post baptismum commissa.

126. — Duplex est in ecclesia potestas, scilicet potestas ordinis et potestas jurisdictionis.

Potestas ordinis est potestas quae in susceptione sacramenti ordinis sacerdotibus traditur vi indelibilis characteris per tale sacramentum impressi. Eaque duplex distinguitur, scilicet potestas super corpus Christi verum, quae est potestas conficiendi sanctissimum eucharistiae sacramentum, et potestas super corpus Christi mysticum, quae est potestas remittendi et retinendi peccata (cf. *conc. trid.,* sess. XIV, c. 6 et can. 10 et sess. XXIII, c. 1 et can. 1). Quia tamen, uti postea ostendemus, posterior haec potestas exercetur ad modum judicii, actus autem judicialis non exercetur nisi in subditos requiritque per consequens jurisdictionem in exercente hunc actum, idcirco non modo ad liceitatem, sed etiam ad validitatem actus remittendi vel retinendi peccata non sufficit potestas ordinis, sed requiritur jurisdictio a legitimo superiore ecclesiastico, ac proin ultimato a romano pontifice, qui fons est omnis ecclesiasticae jurisdictionis, collata. Et licet potestas ordinis, in quantum hujusmodi, nullo pacto confundenda sit cum potestate jurisdictionis, contra quam dividitur, potest tamen haec potestas, in quantum dicit respectum ad actum remittendi vel retinendi peccata, vocari *jurisdictio aptitudinalis* in foro interno vel *jurisdictio in potentia proxima* in tali foro. Et hoc propterea, quia nonnisi habentibus potestatem ordinis potest conferri jurisdictio in foro interno.

127. — *Potestas jurisdictionis* est potestas omnis quae intra ecclesiam exercetur in membra ecclesiae tamquam in subditos. Dividiturque in *potestatem magisterii authentici* sive auctoritativi et *potestatem regiminis*. Sunt qui potestatem jurisdictionis dividant contra potestatem magisterii ecclesiastici et sic trimembrem inducant divisionem potestatis ecclesiasticae, eam partientes in potestatem ordinis, potestatem magisterii et potestatem jurisdictionis. Quae divisio tolerari quidem potest, peccat tamen contra regulas legitimae divisionis. Quippe magisterium authenticum atque auctoritativum respicit subditos tamquam proprium suum terminum proindeque proprie ac formaliter est pars potestatis jurisdictionis.

Ad nostram rem attinet solummodo pauca quaedam delibare de ea potestate jurisdictionis quae vocatur potestas regiminis. Potestas jurisdictionis ecclesiasticae sic diminute accepta est adhuc amplissima; comprehendit enim omnem potestatem legiferam, judiciariam, coactivam atque exsecutivam quae est in ecclesia.

Ad subjectum praesentis considerationis ea solummodo potestas jurisdictionis pertinet, quae dicitur potestas judiciaria.

Potestas jurisdictionis, prouti dicitur de hac ultima potestatis specie, rursum est duplex: dividitur nempe in potestatem judiciariam in foro externo sive in foro contentioso et potestatem judiciariam in foro interno sive in foro conscientiae (in foro paenitentiali, in foro sacramentali) [1].

Jurisdictio in foro interno est ea de qua supra perhibuimus eam non posse conferri nisi habenti potestatem ordinis. Ejus quippe actus consistit in judicio quo remittuntur vel retinentur peccata.

128. — Porro frequentissimo usu tum patrum tum conciliorum potestas remittendi ac retinendi peccata vocatur potestas ligandi atque solvendi (Cf. concil. trid., sess. XIV, can. 10). Non quod sit tota potestas ligandi ac solvendi quam Christus Matth. XVI, 19, XVIII, 18, se ecclesiae suae collaturum promisit, sed est hujus potestatis pars quaedam. In his nempe Christi verbis ad apostolos directis : « Quaecumque ligaveritis » etc., « quaecumque solveritis » etc., verba ligare ac solvere sumuntur metaphorice pro inductione vel relaxatione alicujus vinculi sive liga-

(1) Per se liquet potestatem jurisdictionis ecclesiasticae, qua late patet, posse dividi in potestatem jurisdictionis in foro externo et potestatem jurisdictionis in foro interno. Si tamen fiat comparatio hujus divisionis ad eam qua sola potestas ecclesiastica judiciaria bipartito dividitur, non invenitur ampliari priore illa divisione nisi prius divisionis membrum; potestas nempe jurisdictionis in foro interno non comprehendit nisi eam potestatem jurisdictionis quae remittendo vel retinendo peccata exercetur.

minis moralis. Est autem triplex vinculum morale quo aliquis potest ligari : potest nempe quispiam adstringi vel a) vinculo alicujus praecepti, vel b) vinculo peccati, vel c) vinculo poenae pro delicto solvendae. Et quidem vinculum peccati solus ille qui peccat, inducit directe et positive, ministri tamen ecclesiae tali vinculo peccatorem adstringunt quasi indirecte et negative, in quantum videlicet sententia judiciali illud non solvendum esse pronuntiant. Porro triplici vinculo morali praedicto respondet triplex solutio a vinculo, nempe a) solutio a vinculo praecepti, b) solutio a vinculo peccati et c) solutio a vinculo poenae. Potestas ligandi ac solvendi quae consistat in impositione praecepti ac in abrogatione praecepti vel in derogatione praecepti dispensationeve a praecepto pertinet ad forum ecclesiasticum externum. Potestas ligandi ac solvendi quae consistat in impositione ac relaxatione poenarum, exercetur tum in foro ecclesiastico externo tum in foro ecclesiastico interno. Demum potestas ligandi ac solvendi quae consistat in retentione vel remissione peccatorum, exercetur in solo foro interno.

Porro sacerdos respectu paenitentis quem a suis peccatis absolvit, exercet tum actum solvendi tum etiam actum ligandi. Nam, in quantum ei absolutionem impertitur, exercet actum solvendi, in quantum vero ei opera quaedam satisfactoria imponit, exercet actum ligandi. Respectu vero peccatoris quem indignum absolutione judicat, sacerdos exercet solummodo actum ligandi, retinendo ejus peccata.

Patet igitur quomodo potestas peccata remittendi ac retinendi contineatur ad modum partis in potestate ligandi atque solvendi quam Christus generaliter ecclesiae suae promisit apud Matth. XVI, 19, XVIII, 18.

129. — Eadem potestas remittendi ac retinendi peccata dicitur etiam *potestas clavium*. Et quidem, uti aliqui statuunt, potestas clavium, prouti dicitur de praedicta potestate peccata remittendi retinendique, nominat solam potestatem ordinis, secundum alios vero nominat tum potestatem ordinis tum potestatem jurisdictionis. Ratio vero cur potestati remittendi peccata accommodetur hoc nomen *potestatis clavium*, accipitur ex eo quod apud Matth. XVI, 19, Christus, postquam pollicitus erat Petro se ei traditurum esse claves regni caelorum, deinde sive totam potestatem nomine clavium symbolisatam sive partem aliquam hujus potestatis determinate promisit hisce verbis : « Quodcumque ligaveris etc., quod cumque solveris etc. »

Est tamen sciendum traditione illa clavium de qua sermo est apud Matth. XVI, 19, Christum intendisse significare *supremam potestatem*

ecclesiasticam in solo Petro ejusque successoribus residentem. Quod certe non obstat quominus ipsa potestas remittendi ac retinendi peccata verissime asseratur contineri in potestate clavium Petro promissa.

Quantum enim ad rem praesentem attinet, de potestate clavium oportet loqui proportionaliter ad modum quo loquimur de potestate ligandi ac solvendi ; quandoquidem, uti mox notavimus, potestatem clavium vel totaliter vel partialiter acceptam Christus determinatius expressit nomine potestatis ligandi atque solvendi. Potestas autem ligandi ac solvendi ita est tota ac suprema in solo Petro ejusque successoribus, ut tamen per derivationem a Petro et in subordinatione ad Petrum per partes communicetur inferioribus ecclesiae ministris. Ergo etiam potestas clavium, quantum ad aliquos ejus actus, potest inveniri in inferioribus ecclesiae ministris. Quod si contra haec dicas potestatem remittendi ac retinendi peccata, *eo quod sit potestas ordinis*, singulis sacerdotibus conferri a Deo immediate, et non per derivationem a Petro ; *respondetur* potestatem remissivam et retentivam peccatorum singulis sacerdotibus ita immediate conferri a Deo, ut tamen actum hujus potestatis nequeant habere sacerdotes inferiores sine jurisdictione derivata a successoribus Petri ; hoc porro sufficere ut exercitium potestatis remissivae ac retentivae peccatorum dicatur esse exercitium potestatis clavium Petro promissae.

Explicantes autem theologi cur potestas remittendi ac retinendi peccata nomine plurali *clavium ecclesiae* designetur, aiunt in usu hujus potestatis duplicem clavem intervenire, nempe a) *clavem scientiae*, qua judex ecclesiasticus auctoritative cognoscit de causis in foro interno, sic discernendo inter ligandos ac solvendos, et b) *clavem potestatis,* qua idem judex aliis aperit regnum caelorum, eorum peccata solvendo, aliis vero regnum caelorum claudit, eorum peccata ligando.

130. — Quaeritur modo utrum in ecclesia Christi sit vera ac proprie dicta potestas remittendi omnia peccata post baptismum commissa, idque non solum quantum ad reatum poenae, sed etiam quantum ad reatum culpae.

In decidenda hac quaestione erraverunt non modo haeretici, sed etiam scholastici quidam medii aevi.

Inter haereticos qui jam antiquitus ecclesiae visi sunt denegare proprie dictam potestatem remittendi peccata, recensentur a quibusdam *Massaliani*, qui, ut accipitur ex Damasceno, De haeres., haer. 80, Augustino, De haeres. ad Quodvultdeum, c. 57, et Epiphanio, De haeres., haer. 80, eos qui gravissimis delictis inquinati ad se confu-

giebant, absque ullo fructu paenitentiae, *sine sacerdotis auctoritate*, se studiosa sua oratione expiaturos esse profitebantur. Dicti sunt etiam Euchitae, quia, ut inquit Augustinus, adeo orabant ut incredibile videretur, precibusque hisce suis tribuebant vim impetrativam remissionis peccatorum. Ejusdemque fuisse erroris refert Epiphanius Euphemitas, Martyrianos et Salaminianos.

131. — Qui tamen antiquis temporibus directe et data opera potestatem ecclesiae concessam peccata post baptismum commissa remittendi impugnaverunt, sunt praesertim Montanistae et Novatiani.

1° Montanistae, qui et Cataphryges nuncupati, auctorem sectae habuere Montanum, hominem e Mysia Phrygiae provincia oriundum. Praeter alios multos errores docebant non esse in ecclesia potestatem concedendi veniam iis qui post baptismum lapsi essent. Quem errorem Tertullianus, Montanista factus, fuse defendit toto suo libro De pudicitia. Ubi distinguit inter peccata quae sint remissibilia et ea quae sint irremissibilia ab ecclesia. Utrum vero numero peccatorum quae ab ecclesia remitti nequeant, Montanistae comprehenderint omnia peccata mortalia post baptismum admissa, an vero peccata quaedam graviora dumtaxat, difficile est definire. Tertullianus certe, opere modo citato, maxime pugnat a) lapsum in idololatriam, b) moechiam ac fornicationem et c) homicidium non posse condonari ab ecclesia. Capite tamen 19 videtur sola delicta quotidianae incursionis (peccata venialia) excludere e censu peccatorum irremissibilium. Asseritque Hieronymus, in Ep. 41 ad Marcellam, « Montanistas ad omne pene delictum ecclesiae fores obserasse. ».

Non tamen negabant Montanistae posse a Deo impetrari veniam eorum peccatorum quae, non nisi ratione habita potestatis ecclesiae collatae, statuebant esse irremissibilia. « Haec enim erit paenitentia, inquit Tertullianus, opere citato, c. 19, quam et nos deberi quidem agnoscimus multo magis, sed de venia Deo reservamus. » Et ibid., c. 3: « Ad Dominum enim remissa (paenitentia) et illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, *quod eam a solo Deo exorat,* quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod ecclesiae mavult erubescere quam communicare.... Et si pacem hic (in ecclesia) non metit, apud Dominum seminat : nec amittit, sed praeparat fructum : non vacabit ab emolumento, si non vacaverit ab officio. *Ita nec paenitentia hujusmodi vana,* nec disciplina ejusmodi dura est. »

132. — 2° Novatianorum haeresis saeculo tertio auctore Novatiano erupit. Erat Novatianus presbyter ecclesiae romanae, qui, mortuo

Fabiano papa, in ejus locum suffici ambiverat. Cum vero communibus ferme suffragiis Cornelius in pontificem electus esset, contendit Novatianus ejus electionem esse invalidam, eo quod cum iis qui in persecutione lapsi essent, communicasset. Ordinatusque episcopus a tribus episcopis fraude deceptis, primus omnium antipapa factus est, vindicans sibi cathedram eam episcopalem quam Cornelio denegabat. Missisque epistulis ad omnes ecclesias, jussit ne ad communionem admitterentur qui idolis immolaverant.

Ei se adjunxit Novatus, presbyter ecclesiae carthaginiensis, qui cum adhuc in Africa consisteret, contenderat lapsos in idololatriam sine ulla imposita paenitentia ad communionem et pacem admittendos esse; cum vero postea, ut imminentem a Cypriano censuram effugeret, Romam se contulisset, ibi ad errorem priori suo errori extreme oppositum animum appulit. Porro propter similitudinem nominum factum est ut historici graeci passim, uti etiam e Latinis Augustinus et Ambrosius, Novatianum cum Novato in unum confunderent.

Novatiani semetipsos appellabant *Catharos* sive *mundos,* quasi gloriantes de eo quod cum graviter post baptismum lapsis communicare nolebant. Ceterum eorum error, quantum ad rem praesentem attinet, fuit simillimus errori Montanistarum. Nempe a) haud inficiabantur posse a Deo impetrari veniam peccatorum quorum remittendorum negabant potestatem esse datam ecclesiae. Ita expresse asserit Ambrosius, l. I. De paenitentia, c. 2. « Sed aiunt, inquit, se Deo deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. » Itidem b) discrimen faciebant inter peccata leviora, quorum condonandorum penes ecclesiam esset potestas, et peccata graviora, quae a solo Deo possent remitti. Quod significat idem Ambrosius, ibid., c. 3: « Sed aiunt se, inquit, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. » Ubi leviora vocat peccata non quae non sint mortalia, sed quae respectu aliorum gravissimorum sint leviora.

Utrum vero hoc temperamentum erroris a posterioribus Novatianis primum introductum sit, an vero ipsum Novatianum auctorem habuerit, non est undequaque manifestum. Ambrosius loco citato asserit ipsum Novatianum omnibus omnino peccatis, nempe mortalibus, aditum veniae praeclusisse. Sic enim pergit dicere post verba citata : « Non hoc quidem auctor vestri erroris (Novatianus), *qui nemini paenitentiam dandam putavit*, ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret : ne ligando sperari a se faceret solutionem. »

Ambrosio consentiunt Epiphanius, Haer. 59, Philostratus, Haer. 34, et Socrates, l. IV Hist., c. 28.

Oppositum tamen videtur colligi ex Cypriano, cui certe potissimum in re praesenti credendum est, non solum quia testis est coaevus et quia presbyter ejus fuerat Novatus, quem praecipue ad schisma suum conflandum Novatianus habuit impulsorem et adjutorem, sed vel maxime quia totam seriem rei gestae didicerat a Cornelio papa et totis viribus incubuit ut schisma vixdum exortum comprimeretur. Porro Novatianum iis *tantum* qui in persecutione lapsi essent, reconciliationem ab initio denegasse, indicat Cyprianus, Epist. 52 ad Antonianum, ita scribens: « Si se cordis et renum scrutatorem constituit et judicem Novatianus, per omnia aequaliter judicet: et.... *fraudatores et moechos* a latere atque comitatu suo separet: quando multo et gravior et prior sit moechi quam libellatici causa... Nec sibi in hoc novi haeretici blandiantur, quod se dicant idololatris non communicare, *quando sint apud illos et adulteri et fraudatores.* » Cfr. Cyprianus lib. De lapsis et Ep. 57 ad Cornelium.

Sunt qui testimonia Cypriani concilient cum testimoniis auctorum supra citatorum, dicendo Novatianum principio suae haereseos non denegasse reconciliationem nisi solis lapsis in idololatriam, at postea consequentia erroris abreptum et ut se liberaret argumentis a Cypriano in eum contortis, indiscriminatim a communione repulisse omnes qui letali peccato se contaminassent.

133. — Ad haereticos posteriorum temporum quod attinet, Wicleffus, ut refert Waldensis, in Doctrinali fidei, tom. II, c. 145, *fictitiam* appellavit *clavium potestatem* in 4 Trialogo, c. 32, et aperte negavit hanc potestatem in L. IV De confessione. Apertissime tamen hanc potestatem sustulerunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus atque ceteri pseudo-reformatores saeculi XVI. Ipse nimirum Lutherus, qui qualitercumque visus est retinere sacramentum paenitentiae, negat verba absolutionis esse remissiva peccatorum, sed ait per ea solummodo excitari fidem. Quae quidem ejus doctrina consequenter cohaeret cum principali ejus haeresi in materia de justificatione. Contendit videlicet justificationem non contingere nisi per fidem, et quidem non per fidem catholicam, quam *historicam* vocat, sed per fidem *particularem*, qua quisque de se credit sibi applicari generales promissiones de gratuita peccatorum remissione in evangelio factas.

Ut porro explicent protestantes verba Christi apud Joan. XX : « Quorum remiseritis peccata » etc., ad duas interpretationes recurrunt.

Prima eorum interpretatio est, ibi solummodo agi de remissione vel retentione peccatorum quae fiat per admissionem ad baptismum vel exclusionem ab eo. Potestatemque remittendi vel retinendi peccata sic explicatam extendunt Calviniani ad ea etiam peccata quae post baptismum commissa sunt: aiunt videlicet per memoriam baptismi, *quatenus est excitativa fidei,* etiam ejusmodi peccata remitti.

Secunda est protestantium interpretatio, potestatem illam remittendi peccata quam Christus apostolis contulit apud Joan. xx, consistere in ministerio verbi, h. e. in munere praedicandi evangelium. Quatenus nempe per verbum praedicatum excitatur fides, per ipsam vero fidem apprehenditur remissio peccatorum, eatenus per munus praedicandi exerceri potestatem remittendi peccata. Quod Lutherani paulo aliter declarant, dicendo per ministerium verbi (quod juxta ipsos exercetur etiam in absolutione impertienda) pastores ecclesiae auctoritative declarare sua resipiscentibus peccata dimissa esse.

134. — Jam errores quorumdam scholasticorum medii aevi circa proprium effectum potestatis clavium enarrandi sunt.

Fuit celebris sententia Magistri (in Sent. IV, d. 18), quam plures scholastici secuti sunt, virtutem clavium non se extendere ad hunc effectum qui est absolutio a peccatis quantum ad reatum culpae. Solius quippe Dei esse liberare animam a morte peccati. Ideoque sacerdotem, proferendo verba absolutionis: « Ego te absolvo a peccatis tuis », non vere remittere peccata, sed tantummodo ostendere sive declarare peccata esse remissa. Id igitur quod est proprius effectus potestatis clavium esse solutionem peccatoris a reatu poenae.

Probant autem praedicti auctores suam sententiam ita explicatam ex eo quod juxta doctrinam patrum suscitatio Lazari a morte est exemplum suscitationis peccatoris a morte peccati. Jam vero, inquiunt, nonnisi postquam Lazarus a Christo vivificatus esset et, prodeundo foras, aliquem jam actum vitae edidisset, ipse a Christo traditus est discipulis ut eum solverent. Ergo, concludunt, etiam in spirituali suscitatione peccatoris, solus Deus vivificat peccatorem, eum a macula culpae per infusionem gratiae sanctificantis mundando ; postquam vero peccator vitam spiritualem jam recuperavit, ipse per ministerium sacerdotum solvitur a reatu poenae. Adduntque secundum talem sensum diserte institui comparationem illam inter corporalem Lazari suscitationem et spiritualem suscitationem peccatoris a Gregorio papa, in hom. 26 in Evang. Ibi videlicet in haec verba : « Lazare, veni foras, » sic loqui pontificem : « Ex qua consideratione intuendum est quod illos tantum

debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare, *quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati...* Veniat itaque foras mortuus,... solvant discipuli, ut pastores ecclesiae ei poenam debeant amovere quam meruit. »

Fulciunt etiam hi auctores suam sententiam, in quantum procedit de purgatione peccatoris a reatu culpae, adducta in medium auctoritate s. Hieronymi. Aiunt videlicet juxta hunc ecclesiae patrem sacerdotes novae legis se habere in emundatione a culpa eodem modo atque sacerdotes antiquae legis in mundatione a lepra, ita videlicet ut solummodo ostendant mundatos eos quos Deus mundaverit.

In explicando tamen quomodo virtute clavium peccator solvatur a reatu poenae, differunt inter se praedicti auctores.

Quidam eorum dixerunt peccatorem vere paenitentem, non obstante hoc quod ante absolutionem sacerdotis ei sua peccata jam dimissa sunt, manere obligatum *reatu poenae aeternae,* donec a tali reatu absolutione sacerdotis solvatur. Si tamen contingat ut peccator morte praeveniatur, antequam confiteri potuerit, Deum ei etiam reatum poenae aeternae ex misericordia relaxare. Ita Hugo a s. Victore et Ricardus a s. Victore.

Reliqui vero auctores praefatae sententiae docent cum Magistro reatum poenae aeternae remitti a Deo simul cum reatu culpae, ac subinde ad neutrum reatum solvendum se extendere virtutem clavium. Virtutem tamen clavium aiunt operari ad relaxandum aliquid de poena temporali in quam post dimissam culpam, commutatur a Deo poena aeterna. Et sic ponunt sacerdotem exercere in foro paenitentiae potestatem clavium quoad utrumque actum solvendi atque ligandi. Nam quatenus absolutionem impertitur, aiunt ipsum solvere paenitentem a parte aliqua illius poenae temporalis quae post dimissam culpam luenda manet ; quatenus vero satisfactionem imponit, aiunt eum ligare paenitentem obligatione praescriptam poenam praestandi. Tenent autem sententiam sic explicatam Magister, in Sent. IV, d. 18, Alexander Alensis, in Summae p. IV, q. 21, et Bonaventura, in Sent. IV, d. 18, item Antissiodorensis, Major, Marsilius, Ockam, Gabriel, Abulensis et Thomas de Argentinas.

Hic tamen ultimus auctor dicit claves ecclesiae habere etiam efficaciam in remittendo reatum culpae, quatenus videlicet paenitenti non remittuntur sua peccata propter contritionem quam jam ante absolutionem habuit, nisi prouti haec ejus contritio continet claves in voto. Immo Medina dicit hunc modum dicendi esse communem inter auctores

quorum nomina praemisimus. Quod verum est, si solummodo intendatur dici omnes hosce auctores docere per contritionem perfectam non remitti in nova lege reatum culpae, nisi quatenus ea aut conjungitur cum voto explicito absolutionis sacramentalis aut saltem tale votum implicite continet. — Patet tamen propter tale votum sive explicitum sive implicitum contritioni adjunctum perperam affirmari a Thoma de Argentinas in sua sententia ipsas claves operari ad remissionem reatus culpae. Ad summum enim verum erit dicere votum clavium operari ad talem effectum. Sane actus clavium non est nisi actus sacerdotis in corpus mysticum Christi potestatem habentis, hunc porro actum ponunt praedicti auctores semper praeveniri ab actione Dei immediate remittentis peccata.

Ceterum radix sententiae hactenus explicatae ea fuit quod Magister et auctores qui eum in re praesenti secuti sunt, existimaverunt actum detestationis peccatorum qui ex parte paenitentis ad condigne recipiendam absolutionem sacramentalem praerequiritur, esse actum contritionis perfectae. Hoc enim ceu principio praestituto, de necessitate sequebatur semper et omni in casu reatum culpae jam esse dimissum, priusquam sacerdos utatur potestate clavium, paenitentem absolvendo.

Differt autem opinio Magistri ab errore haereticorum eo quod aliquam vim clavium in peccata, h. e. in eorum poenam, agnoscit, dum contra, haeretici omnem vim clavium simpliciter auferunt. Praeterquam quod alia sunt discrimina, quae tamen ad id quod modo agimus, non attinent. Nihilominus concedendum est opinionem Magistri affinem esse errori haereticorum atque adeo mirandum non esse protestantes, perperam licet, auctoritatem Petri Lombardi in patrocinium suae causae advocasse.

Propositio.

Facta est ecclesiae a Christo Domino perpetua potestas vere ac proprie remittendi omnia peccata post baptismum commissa, idque non solum quantum ad reatum poenae, sed etiam quantum ad reatum culpae.

135. — Propositio, quatenus per eam excluditur error protestantium potestatem peccata remittendi revocantium ad auctoritatem praedicandi evangelium vel eamdem potestatem constituentium in nudo ministerio declarandi peccata esse remissa, est de fide, definita in concilio tri-

dentino, sess. XIV, capp. 1 et 6, et canonibus 3 et 9. Nempe sess. XIV, cap. 1, postquam citassent patres concilii verba Christi apud Joan. XX, 22: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis etc., » pergunt dicere: « Quo tam insigni facto [insufflationis] et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione ecclesia catholica tamquam haereticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi evangelium nuntiandi contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent. » — Ibid., cap. 6: « Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio; tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata. » — Ibid., can. 3: « Si quis dixerit verba illa Domini salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis etc., non esse intellegenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento paenitentiae, sicut ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem praedicandi evangelium, anathema sit. » — Ibid., can. 9: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi peccata esse remissa, modo tantum credat se esse absolutum,... anathema sit. »

Quatenus vero propositione excluditur sententia Petri Lombardi ejusque sequacium, ea est certa ita ut opinio illa quorundam scholasticorum jam sit habenda pro aperte erronea. Nam ut demus concilium tridentinum noluisse in suis canonibus damnare sententiam ab illustribus doctoribus scholasticis quondam defensam, at certe per doctrinam quam decursu capitulorum sessionis XIV^ae^ inculcat de proprio effectu potestatis clavium, sententia ea consequenter excluditur. Sic capite 3: « Res et effectus hujus sacramenti », inquiunt patres, *quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet*, reconciliatio est cum Deo. » Et ibid., in ipso capitis exordio: « Docet concilium, inquiunt, sacramenti paenitentiae formam, *in qua praecipue ipsius vis sita est*, in illis ministri verbis positam esse: « Ego te absolvo etc. » — Ex quibus duobus patrum assertis mutuo collatis necessario est consequens proprium absolutionis, h. e. usus potestatis clavium, effectum cerni in reconciliatione peccatoris cum

Deo, h. e. in remissione peccati quoad maculam culpae. In eamdem conclusionem deducunt ea quae c. 4 tradit concilium *de sufficientia attritionis* ad impetrandam in sacramento remissionem peccatorum.

136. — **Probatur I°** *ex verbis Christi apud Joa. XX, 21-23 :* « Dixit eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. »

Contendimus porro propositionem quoad omnes suas partes contineri hisce Christi verbis : « Quorum remiseritis, etc... Quorum retinueritis » etc. Quod ut plene elucescat, jam de tribus determinandum est, scilicet 1° *de potestate* quam Christus hisce verbis confert apostolis, 2° *de objecto* quod actu sive exercitio hujus potestatis attingitur et 3° *de propria ratione sive natura ipsius hujus actus.*

137. — **Dicimus ergo 1°** : *Christus praedictis verbis confert apostolis veram aliquam et proprie dictam potestatem relate ad eum effectum quem designat ut remissionem et retentionem peccatorum.* Patet id dupliciter. *Primo* ex sententia Christi per se expensa. Sic videlicet arguimus : Conferre alicui potestatem ad aliquem effectum, nihil est aliud quam eidem tribuere vim et efficaciam ad eumdem effectum attingendum ; sed Christus hisce verbis « quorum remiseritis » etc., « quorum retinueritis » etc., tribuit apostolis vim et efficaciam ad attingendum hunc effectum quem designat ut peccatorum remissionem retentionemve passivam ; dicere enim : Quorum remiseritis peccata, *remittuntur eis*, et quorum retinueritis, *retenta sunt*, idem est atque dicere remissionem vel retentionem peccatorum activam ab apostolis exercitam fore efficacem, h. e. ad hanc eorum remissionem vel retentionem peccatorum activam secuturam esse veluti effectum remissionem vel retentionem peccatorum passivam in iis quorum peccata remittunt vel retinent ; ergo. *Secundo* idem patet ex nexu sententiae hujus Christi : « Quorum remiseritis etc., quorum retinueritis » etc., cum verbis antecedentibus. Haec scilicet Christi sententia connectitur cum verbis immediate ante a Christo ad apostolos directis, sicuti propositio aliqua consequens connectitur cum generali principio ipsam continente. Sive aliter, uti manifestum est ex consequenti serie verborum Christi, remissio peccatorum de qua Christus apud Jo. xx, 23, est definita pars illius operis quod apostolis generaliter committitur peragendum hisce Christi verbis, ibid., 21 : « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » Si ergo per haec verba confertur apostolis vera et proprie dicta potestas relate ad totum illud

opus quod ipsis committitur peragendum, necesse est dicere ipsis etiam committi veram ac proprie dictam potestatem relate ad eam functionem quam Christus loc. cit., 23, appellat remissionem vel retentionem peccatorum. Est autem manifestum verbis Christi contentis versiculo illo antecedente 21 conferri apostolis veram ac proprie dictam potestatem ad totum illud opus quod ipsis committitur peragendum. Id quippe colligitur a) ex eo quod nomen *missionis* importat derivationem potestatis a mittente in missum ; idem est nimirum aliquem a legitimam potestatem habente mitti ad aliquod opus atque ipsi delegari potestatem ad peragendum illud opus. Idem colligitur b) ex similitudine a Christo instituta inter missionem qua ipse missus est a Patre et missionem qua apostoli mittuntur ab ipso. Similitudo enim ista non stat, nisi dicatur apostolos mitti ad idem opus ad quod missus est Christus et cum potestate analoga ei potestati cum qua missus est Christus. Quapropter verba Christi hunc reddunt sensum : Sicut ego, accepta a Patre potestate, missus sum ad constituendam ecclesiam meam in ordine ad procurandam hominum salutem, ita et ego modo vos tamquam ministros meos mitto cum simili potestate ad regendam hanc ecclesiam meam, h. e. ad procurandum in ea et per eam opus salutis hominum.

Dices : Si, uti supponimus, missio apostolorum sit similis missioni Christi quantum ad terminum missionis et quantum ad collationem potestatis, oporteret dicere apostolos, sicuti Christum, missos esse ad redemptionem mundi et ad gratias hominibus merendas easdemque gratias a se partas hominibus largiendas. Consequens est falsum ; ergo et antecedens. — **Respondetur** redemptionem et merita Christi, ut sunt completa, esse fundamentum omnis omnino potestatis quae a Christo derivetur in apostolos ; pertinet quippe haec potestas ad applicationem ministerialem redemptionis ac meritorum Christi. Impossibile est autem ut missio apostolorum se extendat ad opus quod praesupponendum est jam esse completum ad hoc ut potestas apostolis a Christo delegari possit. Proptereaque non diximus missionem apostolorum esse identicam missioni qua Christus missus est a Patre, sed eam esse analogam huic missioni. — Ceterum nostram versiculi 21 interpretationem praedicta restrictione temperatam firmant commentationes patrum in eumdem versiculum. Sic v. g. Chrysostomus, Hom. 86 in Joan. : « Cum igitur omnia sublata sint impedimenta, inquit, et victoriam splendidam statuerim, et omnia sint restaurata (per mortem crucis) ; inde tandem ait : Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Hic eorum animos erigit, et fide eos dignissimos exhibet, *siquidem ipsius opus suscepturi erant ;* nec jam

invocatio Patris est, *sed sua propria auctoritate dat eis potestatem.* » Cf. s. Cyrillus Alexandrinus, in Joan., l. XII.

138. — **Dicimus II°** : *Objectum quod attingendum est actu potestatis a Christo apostolis collatae sunt peccata quoad reatum culpae, et non quoad reatum poenae solummodo.*

Sane non intendimus negare saepenumero in scripturis nomen peccati accipi metonymice — vel a) *pro effectu peccati*, quo sensu 2 Macch. XII, 46, dicitur : « Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur », vel b) *pro aliquo inclinante in peccatum,* quo sensu concupiscentia, quae est effectus peccati et inclinat in peccatum, dicitur peccatum ab apostolo, Rom. VII, — vel c) pro *sacrificio* sive *victima quae offertur pro peccato,* quo sensu dicit apostolus de Christo, 2 Cor. V, 21 : « Eum qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum fecit. »

At vero apud Jo. XX, 23, in hac sententia Christi : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, » verbum *peccatum* non posse accipi figurate, sed accipiendum esse proprie pro culpa, patet 1° ex eo quod verba Christi, maxime in iis quae pertinent ad fundamenta fidei, proprie sunt accipienda, nisi obstet manifesta vel saltem probabilis ratio, nulla autem ratio ejusmodi in re praesenti adduci potest. Neque enim talis ratio accipitur ex contextu, neque ex aliis locis parallelis, neque ex conditione subjecti cujus peccata remittenda vel retinenda sunt, quod subjectum sunt homines obstricti non solo reatu poenae, sicuti animae purgatorii, sed etiam reatu culpae, neque tandem praedicta ratio accipitur ex natura rei. Licet enim solus Deus possit peccata, quantum ad reatum culpae, remittere auctoritate principali, nihil tamen repugnat quominus hominibus Deus conferat ad hunc effectum attingendum potestatem ministerialem. Crescit autem vis hujus probationis ex usu loquendi Christi. Etenim apud Matth. IX, 5, 6 ; Marc. II, 10 ; Luc. V, 20, VII, 47, 48, 49 ; Christus utitur iisdem hisce verbis ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, quibus utitur apud Jo. XX, 23. Utitur autem iisdem in omnibus illis locis ad significandam remissionem peccatorum quoad reatum culpae, et non quoad reatum poenae tantummodo. — At vero non solum ex usu loquendi Christi sed vel maxime ex verbis proxime antecedentibus verba versiculi 23 accipitur ratio positiva asserendi in hoc versiculo vocem peccati (ἁμαρτίας) accipi sensu omnino proprio.

Nempe patet assertum nostrum 2° ex nexu versiculi 23 cum versiculo 21. Uti videlicet est consequens ex posteriore probatione facta pro primo asserto, intelligendus est Christus loqui in versiculo 23 de

peccatorum remissione pertinente ad illud opus salutis ad quod procurandum ipse affirmat in versiculo 21 mitti a se apostolos sicut ipse fuerat missus a Patre. Sed ad hoc opus salutis, qui est finis proprius missionis apostolorum, maxime pertinet interior peccatorum remissio, quantum ad reatum culpae. Quippe a) Christus, de propria sua missione loquens, non semel protestatus fuerat se venisse quaerere peccatores (Marc. II, 17, Luc. XV), se venisse salvare quod perierat, (Matth. XVIII, 11, Luc. XIX, 10) etc., etc. Itidem b) juxta apostolum Rom. IV, V, Hebr. IX, X, character proprius oeconomiae novae legis distinguensque hanc oeconomiam ab oeconomia veteris legis in eo situs est quod applicatione meritorum passionis Christi fit in lege nova interior remissio peccatorum quantum ad reatum culpae (cf. Jerem. XXXI, 33). Quia ergo potestas remissiva peccatorum apostolis a Christo collata pertinet ad oeconomiam novae legis et ad media quibus applicantur merita Christi in cruce passi, necesse est concludere hanc potestatem esse remissivam peccatorum quantum ad culpam et non quantum ad poenam tantummodo.

Ceterum eadem conclusio liquido fluit 3° ex nexu versiculi 23 cum versiculo 22. Ibi videlicet tum hisce verbis: « Accipite Spiritum sanctum, » tum praemisso symbolo insufflationis sensum horum verborum magis determinante significat Christus per interius datum Spiritum sanctum conferri apostolis potestatem remittendi peccata. Adeo ut apostoli in remittendo peccata agant instrumentaliter in virtute Spiritus sancti utque proinde remissio peccatorum ab ipsis facta sit effectus qui speciatim approprietur Spiritui sancto. Sed ea remissio peccatorum quae in novis scripturis speciatim appropriatur Spiritui sancto, est remissio peccatorum quoad culpam. Hinc videlicet est quod Rom. V, 5, charitas Dei dicitur diffusa in cordibus justificatorum per Spiritum sanctum qui datus est iis (Rom. V, 5), quod justificatio legis dicitur impleta in fidelibus pertinentibus ad novam legem eo quod non secundum carnem ambulant sed secundum Spiritum (Rom. VIII, 4), quod abluti dicimur et sanctificati et justificati in Spiritu Dei nostri, (1 Cor. VI, 11), quod in baptismate, in quo fit plena peccatorum remissio, dicimur renasci ex aqua et Spiritu sancto (Jo. III, 5), quod peccando dicimur contristare Spiritum sanctum Dei (Eph. IV, 30), etc. etc.

139. — Dicimus III° : *Objectum quod attingitur actu potestatis apostolis a Christo collatae Jo.* XX, 23, *sunt omnia omnino peccata.*

Etenim 1°) sententia Christi est universalis ac indefinita : « *Quorum remiseritis peccata* » proindeque ab objectiva amplitudine potestatis

remissivae peccatorum apostolis collatae nullum peccati genus excluditur. Vel saltem in sententia illa Christi *terminus* ad quem refertur potestas illa remissiva ac retentiva peccatorum apostolis collata universaliter ac indefinite significatur. Terminus videlicet iste sunt omnes peccatores: « Ἄν τινων ἀφῆτε, ἄν τινων κρατῆτε, » sed non stat terminum qui praedicta potestate respicitur, esse universalem, absque hoc quod objectum quod actu ejusdem potestatis attingitur, sit universale. Falsum est videlicet dicere omnibus peccatoribus peccata posse remitti ab apostolis, nisi etiam omnia ipsorum peccata remitti possint. Et hoc propterea, quia existentis in peccato mortali unum peccatum non potest remitti absque ceteris. — Ceterum 2° potestas illa remissiva ac retentiva peccatorum apostolis a Christo collata apud Jo. XX, 23, est pars potestatis ligandi atque solvendi quam Christus apostolis pollicitus est apud Matth. XVIII, 18. Quippe potestas ibi promissa complectitur omnem potestatem quam Christus aliquando suis apostolis collaturus esset. Jam vero apud Matth., loco citato, dicitur: « Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelis, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis. » Quia ergo hisce verbis objectum actus ligandi atque solvendi universaliter ac indefinite significatur, concludendum est per actum peccata remittendi retinendique, quippe qui sit aliquis actus ligandi atque solvendi, posse universaliter attingi omnia peccata. Adeo ut, quemadmodum ex Jo. XX, 23, directe accipitur potestatem remittendi retinendive peccata apostolis a Christo collatam esse universalem quantum ad terminum qui per eum respicitur (quantum ad peccatores), ita ex collatione hujus loci facta cum Matth. XVIII, 18, directe accipiatur eamdem potestatem esse universalem quantum ad objectum quod ipsius actu attingitur (quantum ad peccata).

140. — **Dicimus IV°** : *Omnia illa peccata quae actu potestatis apostolis Jo.* XX, 23, *a Christo collatae attinguntur, sunt peccata post baptismum commissa.* Sive, quod idem est, contendimus potestatem remissivam ac retentivam peccatorum quam Christus loco citato suis apostolis impertitus est, esse distinctam a potestate baptizandi.

Hujus tamen oppositum videri posset dicendum esse. Consentanee enim ad praeceptum apostolis a Christo datum apud Matth. XXVIII, 19, minister ecclesiae administrat baptismum in haec verba : « Ego te baptizo (abluo) in nomine Patris » etc. Idem autem est abluere sive mundare a peccatis atque remittere peccata ; proindeque ipsamet verborum formula qua in administrando baptismate utitur minister

ecclesiae, is protestatur se uti potestate remissiva peccatorum apostolis a Christo collata apud Jo. XX, 23.

At vero distinctio hujus potestatis a potestate baptizandi patet multipliciter. Etenim 1° potestates quarum uni competit actus qui alteri non competit, impossibile est inter se identificari. Sed ad potestatem apostolis collatam apud Io. XX, 23, pertinet, praeter actum remittendi peccata, etiam actus ea retinendi; hic vero secundus actus non pertinet ad potestatem baptizandi ; qui enim repellit aliquem a baptismate, non exercet actum potestatis, sed solummodo non utitur potestate sibi concredita. Itidem 2° potestates quae respiciunt terminos formaliter diversos, impossibile est inter se identificari ; sed potestatis apostolis collatae apud Io. XX, 23, et potestatis baptizandi termini sunt essentialiter diversi ; prior enim potestas, propter hoc ipsum quod duplex est ejus actus, actus videlicet remittendi peccata atque actus ea retinendi, nequit exerceri nisi per sententiam judicialem, proptereaque talis potestas essentialiter refertur ad subditos ecclesiae ; contra, potestas baptizandi essentialiter refertur ad nondum subditos ecclesiae, quia nonnisi per acceptum baptismum aliquis fit membrum ecclesiae. Ergo. — Sed esto, peccata quorum remittendorum potestas fit apostolis apud Io. XX, 23, sint etiam peccata ante baptismum commissa ; nihilominus tamen 3° verum est dicere ad ea etiam pertinere peccata post baptismum commissa. Et hoc propterea, quia, uti in probatione facta pro asserto tertio ostensum est, verba potestatis collativa a Christo ad Apostolos directa universaliter et indefinite procedunt de omnibus peccatis, ac proinde significatione hac sua universali se extendunt etiam ad peccata quaecumque post baptismum commissa. — Sive, quod idem est, 4° ex ipso modo quo secundum verba Christi relata apud Io. XX, 23, exercenda est haec potestas, accipitur quidem ratio objectivam ejus amplitudinem iisdem verbis significatam restringendi ad peccata post baptismum commissa; contra vero, etiamsi concedendum esset peccata ante baptismum commissa objecto hujus potestatis comprehendi, nulla tamen sive ex contextu sive aliunde suppetit ratio universalem verborum Christi significationem ad posteriora haec peccata restringendi. Quamobrem, si verum esset verba Christi apud Io. XX, 23, aliquo modo intellegi posse de potestate remittendi peccata ante baptismum admissa, oporteret dicere hanc Christi enuntiationem : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » universalioris esse significationis quam hanc alteram ejus enuntiationem : « et quorum retinueritis, retenta sunt. » Ita ut priore propositione duplex significaretur potestas, una ad quam

non pertineret nisi actus peccata remittendi, et haec foret potestas baptizandi ; altera ad quam pertineret actus remittendi retinendive peccata, et haec foret potestas remittendi peccata post baptismum admissa.

141. — **Dicimus V°:** *Actus potestatis apud Io.* XX, *23, apostolis a Christo collatae neque consistit in pura declaratione peccata a Deo remissa esse, neque in praedicatione remissionis peccatorum in evangelio promissae et per fidem apprehensae, sed in vera ac proprie dicta remissione activa peccatorum, h. e. in actu quo causalitate efficiente vera, licet instrumentali, immediate attingitur interna justificatio peccatoris.*

Sane in hac Christi asseveratione : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » verbum *remittere* intellegendum esse de vera ac proprie dicta remissione peccatorum, patet — tum a) ex usu loquendi Christi, Matth. IX, 2, 5, 6 ; Marc. II, 5 ; Luc. V, 21, 23, 24, VII, 47, 48, — tum b) ex defectu omnis rationis detorquendi verba Christi in re adeo solemni et fundamenta fidei attingente ad sensum improprium. Quae rationes sufficienter explicatae sunt in argumentatione facta pro secundo asserto. — Verum ad communes hasce rationes accedunt rationes particulares petitae ex cohaerente serie verborum Christi. Nempe c) si Christus intellegendus sit loqui de potestate mere declarativa remissionis peccatorum, sermo ipsius evadit absurdum in modum aequivocus. Quia videlicet saltem remissio quae fit a Deo, est vera ac proprie dicta remissio, idcirco, stante interpretatione illa protestantium, oporteret dicere in priore inciso hujus brevissimae propositionis : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » verbum *remittere* accipi sensu omnino dispari ab eo quo accipitur in posteriore inciso. Quod quis usus loquendi unquam sivit ? Itidem d) supposita illa protestantium interpretatione, ordo verborum Christi evadit praeposterus. Quippe propositione Christi indicatur remissionem in caelo factam, quae significatur posteriore inciso, subsequi remissionem in terris factam, quae priore inciso significatur. Jam vero talis sensus esset falsus, si in priore inciso verbum *remittere* acciperetur pro hoc quod est *declarare peccata esse a Deo remissa.* Consequenter quippe ad talem interpretationem dicendum foret remissionem in terris factam subsequi remissionem in caelis factam. At vero e) nulla est hic opus argumentatione ; manifestum est quippe verbis Christi induci nexum inter remissionem activam peccatorum ab apostolis factam (quorum remiseritis) et remissionem peccatorum passivam (remittuntur eis), ita ut prior remissio significetur esse causa posterioris. Adde f) quod si vera esset illa protestantium interpretatio, potestas remissiva peccatorum apostolis a Christo collata evaderet

inutilis ; quomodo enim, sèclusa speciali revelatione, possunt ministri ecclesiae scire et sic cum veritate declarare peccata esse a Deo remissa?

Rationibus quae sub litteris a), b) et d) assignatae sunt, excluditur etiam altera protestantium interpretatio, ponens apud Jo. XX, 23, non tribui apostolis nisi potestatem praedicandi remissionem peccatorum in evangelio promissam.

142. — *Nec* ad argumentationem hactenus factam exinaniendam *juvat dicere* 1° ex Luca, qui cap. XXIV, 36-49, eamdem Christi apparitionem narrat atque Joannes XX, 19-23, clare patere verba illa Christi : « Quorum remiseritis » etc., intellegenda esse de remissione quae fiat per sacramentum baptismi sive primo administratum sive deinde memoria repetitum. Sic videlicet verba illa Christi narrari loco citato apud Lucam : « Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et *praedicari in nomine ejus paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* » Ubi perspicuum esse Christum loqui de remissione peccatorum quae praedicetur gentibus nondum in ecclesiam cooptatis, cujusmodi remissio fiat per sacramentum baptismi. Et confirmari conclusionem ex eo quod etiam Matthaeus XXVIII, 19-20, et Marcus XVI, 15-16, non meminerint alius potestatis a Christo post suam resurrectionem apostolis traditae, nisi potestatis praedicandi evangelium et baptizandi. — *Hoc non juvat dicere,* inquam, propter duo. *Primo,* quia non est consuetudo evangelistae Joannis ut ea narret quae ab aliis evangelistis jam sufficienter relata sunt, sed studet potius ut narrationi suae intexat ea quae ab aliis evangelistis omissa fuerunt. Sic v. g. Joannes tacet de promissione primatus facta Petro, quia hanc sufficienter expresserat Matthaeus XVI, 18-19. Sed factum collationis primatus, quod silentio praetermiserant alii tres evangelistae, ipse diserte refert c. XXI, 14-17. Haud absimiliter non meminit Joannes promissionis conferendi potestatem ligandi atque solvendi toti collegio apostolorum factae, quia etiam hanc clare memoraverat Matthaeus XVIII, 18. Sed factum collationis hujus potestatis, quod non refertur in narratione aliorum evangelistarum, ipse clare perhibet c. XX, 21. Itidem tres alii evangelistae perspicuis verbis retulerunt factum institutionis sacramenti eucharistiae ideoque id factum sibi non recensendum duxit Joannes. At promissionem hujus institutionis, de qua nihil tradiderant tres alii evangelistae, ipse fuse refert capite VI sui evangelii. Consimili igitur ratione mandatum praedicandi gentibus easdemque baptizandi a Christo redivivo apostolis traditum non duxit Joannes sibi esse memorandum ; expresserant enim hoc mandatum tres alii evange-

listae. Sed factum collatae a Christo apostolis potestatis remittendi ac retinendi peccata quaecumque ipse in sua narratione distincte notavit, idque procul dubio propterea quia hujus facti nulla fuerat facta mentio ab evangelistis ceteris. — *Secundo* patet causam protestantium nihil juvari verbis ex Luca adductis, quia falso asseritur de eadem re loqui Joannem et Lucam. Aliud quippe est praedictum esse a prophetis praedicandam esse gentibus paenitentiam et remissionem peccatorum, quod scribit Lucas; aliud vero accepisse apostolos a Domino potestatem remittendi ac retinendi peccata, quod scribit Joannes. Apud Lucam Christus *docet* apostolos, eis aperiens sensum scripturarum, apud Joannem Christus apostolis *confert potestatem.*

143. — *Nec juvat dicere* 2° verba Christi apud Joa. XX, 23, passim interpretari patres de remissione quae fiat partim per baptismum, partim per evangelii annuntiationem. Sic enim haec verba explicare Cyrillum in Jo. l. XII, c. 56. Huc etiam recurrere expositionem Hieronymi in suo commento in Isaiam lib. VI, c. 14, ita dicentis : « Solvunt eos apostoli sermone Dei et testimoniis scripturarum et exhortatione virtutum. » Textum ergo illum Joannis nihil aliud importare quam verba haec Christi apud Matth. XXVIII, 20 : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, » etc. — *Etiam inde,* inquam, *non juvatur causa protestantium.* Nam 1) quod ad eos patres attinet, qui Jo. XX, 23, apostolis censent esse collatam potestatem in baptismo et per baptismum remittendi peccata, eorum haec interpretatio non est exclusiva, immo conceptis verbis perhibent praeter modum illum peccata remittendi, consistentem in administratione baptismi, esse alterum modum remittendi peccata post baptismum admissa. Ita v. g. Cyrillus Alex., ipsomet illo loco qui in objectione citatus est : « Remittunt porro peccata vel retinent Spiritu afflati homines, inquit, duobus, ut arbitror, modis ; vel enim dignos ad baptismum vocant, vel prohibent et a gratia divina arcent eos qui nondum digni sunt ; *vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent,* nempe cum filios ecclesiae peccantes corripiunt vel paenitentibus ignoscunt. » Ita etiam Ambrosius, Lib. I De paenitentia, c. 8. — Ceterum alii patres merito negant potestate remittendi ac retinendi peccata a Christo apostolis collata Jo. XX, 23, comprehendi potestatem baptizandi. Sic v. g. Pacianus notat hanc potestatem esse partem potestatis ligandi atque solvendi promissae apud Matth. XVIII, 18, infertque inde necesse esse eam esse disparem a potestate baptizandi, cum potestas ligandi atque solvendi non sit data a Christo ecclesiae nisi respectu subditorum ecclesiae. Certe, quia sibi persuaserat Cypri-

anus potestatem baptizandi contineri amplitudine potestatis remittendi peccata apostolis collatae apud Jo. XX, 23, deductus est in falsam opinionem baptismum non posse valide administrari ab haereticis (Cf. Cyprianus, Epist. 73 ad Jubaianum).

2. Quod attinet ad Hieronymum, is in loco adducto non loquitur de verbis Christi apud Jo. XX, 23 : « Quaecumque remiseritis, quaecumque retinueritis. » Sed appellans verba Christi apud Matth. XVIII, 18 : « Quaecumque solveritis, » ait apostolos *imitantes magistrum suum*, solvere posse funes atque vincula peccatorum sermone Dei, testimoniis scripturarum et exhortatione virtutum. Quae certe ejus verba ad diversos sensus trahi possunt. Sic v. g. posset contendi nomine *sermonis Dei* significari ab Hieronymo ipsam absolutionem sacramentalem, quam sacerdos profert tamquam minister Dei. — Sed esto, verba s. Hieronymi intellegenda sint de annuntiatione verbi Dei, nihil tamen inde contra argumentationem factam. Multis quippe locis suorum operum agnoscit s. Hieronymus proprie dictam potestatem remittendi peccata in sacerdotibus N. L. Proptereaque dicendum erit interpretationem horum verborum « quorum solveritis » etc., quam tradit loco citato, non esse exclusivam, immo ne esse litteralem quidem, sed accommodatitiam.

144. — *Nec juvat dicere 3°* saltem, nobis ipsis id concedentibus, potestatem remittendi ac retinendi peccata contineri sub potestate illa solvendi atque ligandi de qua Christus apud Matth. XVIII, 18. Jam vero ex contextu patere actum hujus potestatis unice consistere in exercitio correptionis fraternae. — *Etiam hoc non valet*, inquam ; nam a) protestantes in interpretandis verbis Christi apud Matth. XVIII, 18, subdole confugiunt ad contextum mediatum ; cum tamen sensus illorum verborum determinandus sit ex contextu immediato. Licet enim Christus loco citato praemisisset quis ordo sit tenendus in correptione fraterna, inde tamen postea devenerat ad inculcandum tum officium ex parte subditorum audiendi ecclesiam, tum jus ex parte praepositorum ecclesiae excommunicandi subditos rebelles. Inde porro occasione accepta, continuo promittit collegio apostolico supremam potestatem jurisdictionis in ecclesia. Quae quanta sit et ad quaenam se extendat accipiendum est tum ex fine ecclesiae tum ex exsecutione promissionis relata apud Jo. XX, 21. — Ulterius b) obstat interpretationi allatae locus parallelus apud Matth. XVI, 19, ubi manifestum est actibus ligandi atque solvendi significari actus personae publicae totique ecclesiae praesidentis, non vero actus correptionis fraternae qui exerceatur a persona privata erga personam privatam.

145. — *Nec juvat dicere 4°* propriam vim horum verborum metaphoricorum *ligare* atque *solvere*, apud solum Matthaeum idque bis tantummodo occurrentium, petendam esse ab usu Judaeorum in quorum idiomate Matthaeus scripsit et Christus locutus est. Jam vero patere ex libris talmudicis, usu Judaeorum *ligare* idem sonasse atque *declarare aliquid esse prohibitum, solvere* vero idem sonasse atque *declarare aliquid esse permissum.* Non ergo Christum apud Matth. XVI, 19, XVIII, 18, aliam potestatem ecclesiae detulisse quam potestatem declarandi quid sit licitum illicitumve. — *Neque juvat sic dicere*, inquam ; nam a) ex usu illo talmudico non satis apte colligitur quisnam fuerit usus tritus ac vulgaris horum verborum metaphoricorum *ligare* atque *solvere* apud Judaeos. Sive enim haec verba in ore populari ampliorem sensum admitterent, sive eum non admitterent, illud perspicuum est, in schola talmudica, quippe cujus magistri praecipue occupabantur in interpretanda lege sive scripta sive orali Moysis, oportuisse ut quam saepissime verba illa usurparentur sensu adstrictiore, nempe pro declaratione doctrinali illius quod est vetitum vel permissum. Ceterum b) in Mischna aliisque libris talmudicis haud raro verba *ligare* ac *solvere* accipiuntur pro eo quod est *leges condere*, *immutare*, *abrogare.* Nec tamen c) duplici illo horum verborum usu in libris talmudicis occurrente exhauriri eam eorumdem verborum significationem quae iis inerat ex usu populari, satis constat ex Flavio Josepho, De bello judaico, l. I, c. 5, n. 2 (1). — Denique d) nihil hic est opus recurrere ad usum Judaeorum ; quippe quonam sensu quave significationis amplitudine accipienda sint verba *ligare* atque *solvere* apud Matth. XVI et XVIII, satis colligitur partim quidem ex nexu verbis Christi promissoriis inducto inter ligationem in terris et ligationem in caelis, solutionem in terris et solutionem in caelis, partim vero ex contextu et verbis quibus Joannes XX, 21, refert factam esse collationem potestatis apud Matth. XVIII, 18, promissae. — Hisque deficientibus, e) sufficeret sane ad excludendam adstrictam istam significationem a protestantibus defensam perpetua traditio ecclesiastica jam inde a primis saeculis repetenda. — Verum jam data opera argumentum ex traditione patrum adstruendum est.

146. — **Probatur** nempe propositio II^{a} *ex auctoritate patrum, eorum praesertim qui contra Novatianos pugnaverunt.*

---

(1) En verba Josephi loco citato : « Illi autem (Pharisaei) in feminae simplicis (Alexandrae reginae) consuetudinem paulatim se insinuantes, *statim res omnes gubernant et moderantur*, ita ut quosvis pro libitu in exilium pellant aut ab eo revocent, *solvant ligentque*.

Circa vim hujus argumenti advertendum est Novatianum ejusque asseclas jam inde ab exordio suae sectae esse habitos ab universa ecclesia christiana, non solum ut schismaticos propter secessionem quam fecerant a legitimo pontifice Cornelio, sed etiam ut haereticos propter dogma suum de non reconciliandis lapsis. Illico enim in hoc ipsorum dogma insurrexit lumen ecclesiae africanae Cyprianus et post Cyprianum data opera illud confutaverunt Pacianus, s. Ambrosius, s. Epiphanius aliique patres. Damnataque est haec haeresis in concilio romano sub Cornelio, ut refert Eusebius, Hist. eccl. VI, 43, rursumque in concilio primo occumenico nicaeno. Quamobrem, si eluxerit qualis fuerit status controversiae inter Novatianos atque catholicos, vel ex ipso facto historico hujus haereseos invictum suppeditabitur argumentum ad falsitatis convincendam protestantium doctrinam. Ut autem colligitur ex supra citatis patribus atque ex historicis ecclesiasticis et vel ex ipso praecursore Novatianorum Tertulliano, erat status controversiae talis. Abjudicabant ecclesiae Novatiani potestatem peccata quaedam enormia post baptismum admissa condonandi; contra, potestatem hanc ecclesiae competere affirmabant patres. Supponebant porro Novatiani non posse ecclesiae competere ejusmodi potestatem, nisi ea sit distincta a potestate baptizandi, unde ex eo suum errorem firmare nitebantur quod in solo baptismate peccata relaxare liceat. Suppositionem Novatianorum admittebant patres; sed in oppositione ad eos probabant potestatem remittendi ac retinendi peccata, de qua Joannes, XX, 23, potestatemque ligandi atque solvendi, de qua Matthaeus XVI, 19, et XVIII, 18, esse diversam a potestate baptizandi. Ita nominatim Pacianus et Ambrosius. Porro potestas haec remittendi peccata a patribus asserta et a Novatianis negata, erat potestas attingens peccata quantum ad reatum culpae idque per actum qui sit vere ac proprie remissivus culpae et non solummodo sive declarativus remissionis a Deo praestitae sive praedicativus remissionis a Deo praestandae. Quod facile patebit attendenti ad argumenta quae utrinque afferebantur. Sane Novatiani de ea peccatorum remissione agebant quae soli Deo reservanda sit, quae in solo baptismate nec nisi semel contingat cujusque impertiendae potestas si ecclesiae tributa esset, consequens foret Deum praebuisse incentiva ad peccandum. Catholici vero pro ea peccatorum venia ab ecclesia concedenda pugnabant, cujus donandae si ecclesia potestate careret, consequens foret paenitentiam *esse sine fructu* peccatoresque in desperationem abreptum iri. Itidem comparabant inter se baptismum et exercitium potestatis ligandi ac solvendi,

asserentes per utrumque fieri remissionem peccatorum. Denique inculcabant eos, quibus antequam morerentur, adesse non potuissent ministri ecclesiae ad reconciliationem iis dandam, periculum aeterni exitii incurrere. Quae omnia ex jam subjiciendis patrum testimoniis constabunt.

Tertullianus, De pudicitia, c. 3, sic inducit catholicos arguentes : « Si aliqua paenitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frusta agetur paenitentia, si caret venia. Omnis autem paenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequetur, ne frustra agatur ; quia non erit, si frustra agatur. Porro frustra agitur, si venia carebit. » Tum sic respondet Tertullianus : « Merito itaque opponunt [catholici], quod hujus quoque paenitentiae fructum, id est veniam [ipsius culpae] *in sua potestate usurparunt.* »

Cyprianus, in Ep. 52 ad Antonianum, cap. 29, ubi refellit Novatianum : « Quod si invenimus a paenitentia agenda neminem debere prohiberi et *deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam*, secundum quod misericors et pius est, *per sacerdotes ejus pacem posse concedi ;* admittendus est plangentium gemitus et *paenitentiae fructus dolentibus non negandus.* »

Pacianus, episcopus barcinonensis, qui ante Augustinum floruit et, Theodosio imperante, jam summa erat senecta, in Epistula 1ª ad Sympronianum Novatianum, ita eum redarguit : « Solus hoc (peccata condonari), inquies, Deus poterit. Verum est, sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod apostolis dicit : Quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelis, et quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in caelis. Cur hoc, si ligare hominibus et solvere non licebat. An tantum hoc solis apostolis licet. Ergo et baptizare solis licet et Spiritum Sanctum dare solis et solis gentium peccata purgare, quia hoc non aliis quam apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est... *Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum, ad episcopos inde descendit ; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi.* »

Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum, c. 7 : « Sed paenitenti, inquis, peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum et paenitentium lacrymas non refellit. Ceterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini... *Quare sive baptizamus, sive ad paenitentiam cogimus, seu veniam paenitentibus relaxamus. Christo id auctore tractamus.* »

Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum, c. 11 : « Jam quam argute caput illud absolvis quod ego posui, datam episcopis potestatem ut quae ligassent in terra, ligata essent et in caelis. Dicis hoc non ad fideles, sed ad catechumenos pertinere, ut baptizandis adhuc scilicet populis solvi liceret crimina vel teneri. Duorum denique evangelistarum capitula conjungis, ut unum esse videantur, et adjicis quod Matthaeus minus integre prosecutus sit, complevisse Joannem, ut quia apud Matthaeum dixerat Dominus : Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, apud Joannem impleverit dicens : Si cujus dimiseritis peccata, dimittentur illi, cujus retinueritis, et tenebuntur : ut hoc dimittere vel ligare ad gentes quae baptizandae erant pertinuisse videatur, quia prior evangelista de gentibus praelocutus sit, de solvendo autem et ligando posterior impleverit.

Quid ais ? evangelistae duo dimidiatos invicem sensus et semiintegros retulerunt ?... Quid quod apud Matthaeum ipsum ante passionem suam Dominus dixerat : Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo ; et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo. Apud Matthaeum hoc praedixerat Dominus et nullam ibi gentium fecerat mentionem... Totum ergo quod quaeris apud Matthaeum habes... Quid solvo gentibus quod non est ligatum ?.. Quid ligo quod nullo jure constringo? Gentilis homo liber est legi. Vide nunc e contrario an in baptizatum utraque conveniant. Solvitur venia, quia peccato tenebatur ; ligatur anathemate, quia solutus fuerat fide et per gratiam liberatus. Quod si ad gentes hanc solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam, multo magis ad baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit vel ligari qui non habuit vinculum, quanto magis ille quem fidei jura tenuerunt. »

S. Ambrosius, De paenitentia, Lib. I, c. 2 : « Sed aiunt (Novatiani) se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam ei cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Jesus : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur, et quorum detinueritis, detenta sunt; quis est qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam ut peccatum et alliget et relaxet. »

S. Ambrosius, ibid., c. 8 : « Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. *Quid interest utrum per paenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum*

sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. » Sicut igitur potestas remittendi peccata per baptismum vere convenit ecclesiae, ita et eidem convenit potestas ea remittendi per paenitentiam, et sicut baptismus, ita et paenitentia sacramentum est ecclesiae administrationi concessum.

S. Hieronymus, Epist. 1. ad Heliodorum: « Absit ut de his (de sacerdotibus) quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, *qui claves regni caelorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant, qui sponsam Domini sobria castitate conservant.* »

S. Augustinus, Epist. 228 ad Honoratum, de hostilis persecutionis angustiis loquens, haec habet notatu dignissima de vi remissiva reconciliationis, h. e. de vi absolutionis sacerdotalis: « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec potestas est ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, *aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam paenitentiae ipsius actionem,* omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? *Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati.* »

S. Augustinus, in libro De agone christiano, n. 33, Novatianos hisce verbis redarguit : « Nec eos audiamus qui negant ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt et nolunt credere datas ecclesiae claves regni caelorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui.... supra doctrinam apostolicam se praedicant mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocarent. Nolentes enim, si peccaverint, corrigi, nihil aliud delegerunt nisi cum hoc mundo damnari. »

S. Augustinus, Serm. 99, n. 9, ubi exponit quo sensu peccata per sacerdotes dimittantur, nempe non potestate principali, sed potestate ministeriali: « Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, inquit, et ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intellegi dimitti peccata. Nam quid es, homo, nisi aeger sanandus? Vis mihi esse medicus? Mecum quaere medicum. Nam ut hoc evidenter ostenderet Dominus, a Spiritu sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait, resurgens a mortuis: « Accipite Spiritum sanctum, » et continuo subjecit: « Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur eis »: hoc est, Spiritus dimittit, non vos, Spiritus autem Deus est; Deus ergo dimittit, non vos. Sed audi Spiritum. Quid estis vos? Nescitis quia templum Dei estis, et

Spiritus Dei habitat in vobis? Et iterum : Nescitis quia corpora vestra templum est in vobis Spiritus sancti, quem habetis a Deo? Deus ergo habitat in templo suo: hoc est in sanctis suis fidelibus, hoc est in ecclesia sua: per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest et dimittere praeter hominem. »

S. Joan. Chrysostomus, l. III De sacerdotio, c. 6, ubi de sacerdotibus ait: « Neque enim solum cum nos regenerant, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent....* Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judaeorum sacerdotibus solis licebat... At vero *nostris sacerdotibus* non corporis lepram, verum *animae sordes*, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. »

S. Cyrilli Alexandrini commentationem in haec Christi verba: « Quorum remiseritis » etc., jam supra adduximus.

Solvuntur difficultates.

147. — **Objiciunt** I° ex Matth. XII, 31-32: « Ideo dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro. » Inde arguitur saltem blasphemiam in Spiritum sanctum esse irremissibilem, ac proin falso contendi apud Jo. XX, 23, ecclesiae esse collatam potestatem omnia omnino peccata in hac vita commissa dimittendi.

148. — Sunt qui respondeant *transmittendo Antecedens* et *negando Consequens.* Aiunt videlicet, etiamsi concedendum foret peccatum aliquod esse irremissibile, non tamen inde posse argui ecclesiae non esse concessam sufficientem potestatem ad condonanda omnia peccata. Quod enim peccatum illud sit irremissibile, id non provenire ex eo quod ecclesiae desit potestas ad condonandum illud peccatum, sed ex eo quod in ipso peccatore desit possibilitas paenitendi. Inde videlicet fieri ut ex parte peccatoris nequeat poni condicio praerequisita ad hoc ut potestas condonandi, sive demum haec sit Dei, sive sit ecclesiae, circa ipsius peccatum exerceri queat. — At vero haec responsio est inanis. Propter hoc ipsum enim quod ecclesia nequit exercere suam potestatem condonandi peccata nisi circa peccata quorum paenitentia praecesserit, necesse est dicere, ecclesiam non recepisse a Christo potestatem condonandi ea peccata quorum paenitentia est impossibilis. Quod enim objectum nequit attingi actu alicujus potestatis, ad illud se non extendit

ea potestas. Et propterea ut defendi queat potestatem peccata condonandi, ecclesiae a Christo collatam, esse ex parte sui objecti indefinitam sive universalem, necesse est consequenter defendere nullum omnino peccatum esse simpliciter irremissibile. Nec tenet paritas quae ab auctoribus praedicto modo respondentibus instituitur, quantum ad rem praesentem, inter potestatem condonandi Deo competentem et potestatem condonandi ecclesiae concessam. — Non tenet haec paritas, inquam ; — tum a) quia de potentia absoluta posset Deus condonare peccata, etiam absque hoc quod ex parte peccatoris praecessisset horum peccatorum paenitentia; hoc autem modo peccata condonare non potest ecclesia — tum quia b) nonnisi dependenter a voluntate Dei contingere potest ut aliquod peccatum sit impaenitibile atque ea de causa irremissibile, neutrum vero horum pendet a voluntate ecclesiae. Ex hac videlicet differentia fit ut irremissibilitas alicujus peccati, consequens ad immutabilitatem voluntatis divinae, a Deo quidem non tollat potentiam illud peccatum condonandi, sed solummodo exercitium talis potentiae, ab ecclesia vero tollat ipsam potentiam idem peccatum condonandi.

149. — **Respondendum** *est itaque aliter, sic distinguendo Antecedens :* Blasphemia in Spiritum sanctum est irremissibilis secundum quid, h. e. eo sensu quod, quantum est praecise ex vi istius peccati, excluditur omnis causa propter quam idem peccatum remitti possit, *Conc. Antec.* Talis blasphemia est simpliciter irremissibilis, *Neg. Antecedens.* Eodem recurrit aliorum responsio qui sic distinguunt : Blasphemia in Spiritum sanctum dicitur a Christo esse irremissibilis, quia ejus remissio est valde difficilis et quadantenus miraculosa et quia per consequens illud plerumque non remittitur, *Conc. Antec.* Quia est simpliciter impossibile illud remitti sive a Deo, sive, si minus a Deo, saltem ab ecclesia, *Neg. Antec.*

Ut vis hujus responsionis percipiatur, sciendum est Pharisaeos, postquam audiissent hominem daemonium habentem eumdemque caecum et mutum a Christo curatum fuisse (Matth. XII, 22), dixisse Christum in Beelzebub principe daemoniorum ejicere daemones (ibid. 24.) Hoc nempe eorum dictum est id quod Christus (ibid. 31, 32) vocat blasphemiam in Spiritum sanctum, uti clare notavit Marc. III, 30. Propterea autem dixit Christus talem blasphemiam esse peccatum in Spiritum sanctum, quia excludebatur per eam aliquid retrahens a peccando, nempe manifesta veritas fidei idque ex directa intentione et per consequens ex formali contemptu sive ex certa malitia. Quippe divinitatem Christi clare sibi manifestatam directe impugnabant Pharisaei,

quando opera manifeste miraculosa, quae patrabantur a Christo in testimonium suae divinitatis, ipsi causabantur esse opera daemoniorum. — Sunt autem quaedam peccata mortalia, quae, quantum est per ipsa sola, non excludunt omnem causam propter quam remitti possint, et haec sunt omnia peccata quae committuntur ex ignorantia vel ex infirmitate. Nam praeterquam quod hujusmodi peccata habent aliquam excusationem et sic sunt minore poena digna, per ea non excluduntur ea quibus homo paulatim possit retrahi a peccando et adduci ad paenitendum. Sicuti v. g. etiam in actualiter vivendo libidinose potest aliquis retinere fidem et identidem concuti timore judiciorum Dei et erigi in spem propter misericordiam divinam et considerare tum turpitudinem peccati tum brevitatem voluptatis qua peccando homo fruitur et propter has omnes causas adduci paulatim in serium propositum paenitendi. Et propterea de talibus peccatis pronuntiat Christus ea esse remissibilia. Cujusmodi peccatum ipse docet esse blasphemiam in Filium hominis, puta blasphemiam quorumdam qui, non advertentes in ipso nisi infirmitatem carnis, eum vocabant voratorem et potatorem vini et publicanorum et peccatorum amicum (Matth. XI, 29). At vero peccata ex certa malitia commissa, quae sunt peccata in Spiritum sanctum, non solum non habent aliquam excusationem propter quam minore poena sint digna, sed directe et per se excludunt causas resipiscendi a peccato et merendi remissionem peccatorum. Et propterea de talibus peccatis asserit Christus ea esse irremissibilia. Sicut etiam morbus aliquis dicitur incurabilis, quando per eum tolluntur ea quibus morbus curari posset, puta si talis morbus auferat vires et inducat fastidium ciborum ac medicinarum.

150. — *Dices :* Licet, quando aliquis actu peccat peccato contra Spiritum sanctum, ipse directe a se excludat ea quae sunt retractiva a peccando et inductiva ad resipiscendum, non tamen potest talis homo sine interruptione perseverare in actualiter peccando tali peccato. Quando ergo jam ab actu illius peccati cessavit, potest ipse supernis illustrationibus atque inspirationibus efficaciter moveri et sic adduci ad paenitentiam. Vel saltem, quando talis homo post interruptam omnem operationem actualem liberam, puta post somnum, rursum inchoat seriem aliquam operationum, omnis ipsius operatio libera praevenitur a cogitationibus et appetitionibus quibusdam indeliberatis inter quas non minimam partem sibi vindicant illustrationes atque inspirationes supernae. Ergo tunc saltem poterit talis homo moveri efficaciter motione gratiae et impelli ad resipiscendum, non ergo intellegitur cur

peccatum in Spiritum sanctum dicatur, quantum est per se, excludere omnem causam remissionis peccatorum, atque ita reddere paenitentiam summopere difficilem.

151. — *Ad hoc dicitur*, attento modo ordinario agendi hominum, non contingere ut aliquis repente se convertat ex summa malitia ad operationem virtutis. Obstant enim plerumque habitus mali nimis inveterati. Et propterea, licet contingat liberos actus hominis peccantis in Spiritum sanctum praeveniri salutaribus motionibus gratiae excitantis, raro tamen contingit ut ex talibus motionibus hujusmodi homo subito inducatur ad mutandam vitam. Aliunde, quia, quamdiu idem homo perseverat in actuali sua malitia, ipse per liberam suam operationem directe a se excludit ea quae sunt retractiva a peccando, fit ut non, sicut is qui peccat ex ignorantia vel ex infirmitate, ipse saltem paulatim adducatur in propositum paenitendi.

152. — Ostenditur tamen per objectionem factam peccatum contra Spiritum sanctum, licet sit quadantenus irremissibile, quantum est per media ordinaria, non tamen esse irremissibile, quantum est per media extraordinaria et quasi miraculosa.

Quamdiu enim peccator remanet in vita, ejus liberum arbitrium remanet vertibile ex malo in bonum, et propterea possibile est eum qui peccat in Spiritum sanctum, subito se convertere ab hac sua malitia, praevenienti illuminationi atque inspirationi Spiritus sancti libere consentiendo. Et hujus oppositum defendi non potest, nisi asseratur Deum non dare omnibus peccatoribus, quamdiu vivunt, gratias saltem remote sufficientes. Cujusmodi doctrinae falsitas patet — tum ex eo quod Ezech. XVIII, XXXIII, Joel II, Zach. IV, Deus generaliter et sine ulla limitatione omnes peccatores invitat ad paenitentiam ; ridicula enim esset haec invitatio, si paenitentia omni peccatori non esset possibilis, — tum ex eo quod Joa. XX, 23, ecclesiae generaliter et indefinite collata est potestas remittendi peccata ; inde enim, uti supra diximus, est consequens, nullum peccatum esse in hac vita irremissibile, — tum quia ita satis diserte docent patres. — Falsum est scilicet id quod contendit Morinus (De administr. paenit. l. IX, c. 28) quosdam patres existimasse blasphemiam in Spiritum sanctum esse simpliciter irremissibilem. Nam a) ex patribus quos affert Morinus, quidam, uti Athanasius, Pacianus, Hieronymus, Hilarius, enarrantes verba Christi apud Matth. XII, 31, 32, solummodo exponunt *curnam* Christus peccatum in Spiritum sanctum dixerit esse irremissibile, sine hoc quod diserte tangant quaestionem quo sensu illud peccatum sit irremissibile,

h. e. absque hoc quod disquirant utrum sit irremissibile simpliciter et absolute, an vero non sit irremissibile nisi secundum quid, h. e. eatenus tantummodo quatenus causae irremissibilitatis peccati praecise expenduntur ex parte ipsius peccati. Ex causa tamen irremissibilitatis peccati in Spiritum sanctum commissi quae ab ipsis assignatur, satis aperte colligitur peccatum illud non esse ex ipsorum mente irremissibile nisi eo sensu quod valde difficiliter remittitur. Aiunt videlicet illud peccatum esse idcirco irremissibile, quia et excusationem non habet et directum impedimentum apponit operationi gratiae. Alii vero patres b) diserte asserunt blasphemiam in Spiritum sanctum non dici irremissibilem absolute, sed solummodo secundum quid vel comparative. Sic v. g. Ambrosius, l. II De paenit., c. 4, de verbis prolatis a Christo apud Matth. XII, 31, 32, ita disserit ut Morino visus sit ibi ponere duo esse peccata simpliciter irremissibilia, nempe Pharisaeorum, qui diabolo Christum comparant et schismaticorum, qui corpus Christi discerpunt. At vero mox subjungit s. doctor quaedam a Morino non animadversa et perspicue ostendentia ea quae de irremissibilitate praedictorum criminum praelocutus fuerat, non esse accipienda absolute : « Et ideo, inquit, revertimini ad ecclesiam, *si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis pollicetur veniam,* quia scriptum est : Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique *etiam Judaeorum populus qui dicebat de Domino Jesu : Daemonium habet : in Beelzebub ejicit daemonia,* qui crucifixit Dominum Jesum, *Petri praedicatione vocabatur ad baptismum, ut tanti sceleris merita deponat.* » — Concinit Ambrosio auctor libri De communi essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui est inter opera dubia Athanasii. « Sunt, inquit, alii qui in Spiritum sanctum impingunt atque ita in Christi divinitatem blasphemias dicunt, nimirum quod in Beelzebub principe daemoniorum ejiceret daemonia. De istis intellegendum est quod ait : Non remittetur neque in praesenti saeculo, neque in futuro. Quin et hoc observandum est, non dixisse Christum *blasphemanti et paenitentiam agenti* remissionem dandam non esse, sed blasphemanti et in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum in iis qui vere et ex animo, ut par est, paenitentiam agunt. » Eadem est interpretatio verborum Christi tradita a Chrysostomo, Hom. 42 in Matth. : « Spiritusne, inquies, blasphemia non dimittetur paenitentibus ? Quod omnino falsum esse patet. *Nam et hoc peccatum dimissum scimus, cum multis eorum qui talia in Spiritum dixerant, ignotum esse constet.* Quid igitur est quod dicit ? Significare voluit multo minus ceteris hoc esse ignoscibile ac veniale. Quam-

nam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus ignorabant, Spiritus autem sancti gratia multis et magnis signis seipsum manifestaverat. » Denique s. Augustinus, longius adhuc progressus, ponit blasphemiam illam in Spiritum sanctum de qua Christus asseruit eam esse irremissibilem, non esse nisi impaenitentiam finalem, h. e. eam impaenitentiam in qua aliquis extremum vitae diem clauserit. De quo certe peccato patet illud esse irremissibile, quia in inferno nulla est redemptio. Quapropter consequenter asserit s. doctor de aliquo non probari hoc tam grande peccatum ab ipso esse commissum, nisi cum de corpore exierit. Nec vero Christum de pharisaeis blasphemantibus eum esse Beelzebub dixisse eos jam commisisse peccatum in Spiritum sanctum, sed ipsum eos monuisse uti sibi caverent ne, perseverando in sua malitia, in illud peccatum incurrerent. Ita s. doctor in Ep. 185 ad Bonifacium et in Enchiridio, c. 83, et in l. I De sermone Domini in monte, c. 22, et in Sermone 71, numero 20. Est sane interpretatio illa sancti Augustini parum idonea; non enim satisfacit contextui. At vero tum abnormes Augustini atque aliorum quorumdam patrum interpretationes loci apud Matth. XII, 31, 32, tum vel sola interpretationum hujus loci a patribus traditarum varietas atque inter se discrepantia sunt indicio quantum hic locus patrum ingenia torserit. Cujus causa non aliunde certe repetenda est quam ex eo quod perpetuus fuit sensus ecclesiae tum in perspicuis scripturae effatis tum in apostolica traditione fundatus, nullum esse prorsus peccatum quod sit simpliciter irremissibile. (Cf. s. Thomas in 2^a II^{ae}, q. 14, a. 3, et in III^a, q. 86, a. 1, et in Sent. II, dist. 4 et 43).

153. — **Instant.** I° ex auctoritate s. Hieronymi, qui in Epist. 149, ad Marcellam data, hunc in modum probat contra Novatianos negationem Christi tormentorum metu extortam non esse irremissibile peccatum : « Probet, inquit, Novatianus aliquem de iis qui sacrificare compulsi sunt, ante tribunal judicis respondisse omnia quae in evangelio scripta sunt, non a Filio Dei, sed a Beelzebub principe daemoniorum fuisse perfecta ; et tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum sanctum esse blasphemiam. » Et infra : « Manifestum est peccatum in Spiritum sanctum ideo non posse dimitti, quod habet blasphemiam : ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub vocasse Christum, *et ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam ;* quia aliud est tormentis cedere et se christianum negare, aliud Christum diabolum dicere, sicut tibi ipsa scriptura atque contextus, lecta attentius, poterunt demonstrare. »

Unde tale efficitur argumentum : Statuit Hieronymus blasphemiam in Spiritum sanctum a se expositam irremissibilem esse eo sensu quo Novatianus contendebat negationem Christi vi aut metu tormentorum extortam, irremissibilem esse ; proptereaque concedit Novatianum causam vicisse, si posset ostendi negatione hac Christi committi blasphemiam illam in Spiritum sanctum. Atqui Novatianus contendebat negationem Christi esse penitus irremissibilem, si minus Deo, saltem ecclesiae. Ergo Hieronymus existimavit blasphemiam in Spiritum sanctum a se expositam esse penitus irremissibilem, saltem comparate ad potestatem peccata condonandi ecclesiae concessam.

154. — **Respondetur** s. Hieronymum in proxime allata ipsius contra Novatianos argumentatione supponere blasphemiam in Spiritum sanctum a se expositam esse penitus irremissibilem, non quod revera ita sentiebat, sed quia utitur figura concessionis. Sufficiebat enim ad ejus scopum ostendere verba Christi de irremissibili blasphemia in Spiritum sanctum non favere Novatianis contendentibus eos qui ex metu tormentorum lapsi essent, non esse recipiendos ad paenitentiam, etiamsi verum esset id quod ipsi supponebant, agi videlicet in verbis Christi de peccato simpliciter irremissibili. Sane eadem figura concessionis usi, argumentantur contra Novatianos Pacianus, in Epist. 3 ad Sympronianum Novatianum et Ambrosius, l. II. De paenit., c. 4 ; quorum tamen uterque postea significat falsam esse ipsammet suppositionem in qua nitebatur Novatianorum argumentum. Quod vero s. Hieronymus hanc suppositionem in sua ad Marcellam epistula tamquam falsam non exclusit, hujus causa fuit quod cum epistulam istam scribebat, aliis curis detinebatur. Quod clare significat s. doctor in fine suae epistulae : « *Fuerat quidem prolixius disserendum,* inquit, sed quoniam amicis et qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, praesentiam nostram negare non possumus, et tibi non statim respondere visum est arrogantis ; latam disputationem brevi sermone comprehendimus. »

155. — **Objiciunt II°** ex I Jo. v, 16-17 : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem. » (Graece : non ad mortem). Unde ita : Peccatum cujus remissionem inutile est petere a Deo, est peccatum quod non solum quantum est praecise ex parte peccatoris, sed etiam quantum est ex parte voluntatis Dei, est irremissibile, ac subinde tale peccatum est simpliciter irremissibile.

Sed ejusmodi secundum s. Joannem est peccatum quod ab ipso appellatur peccatum ad mortem. Ergo.

156. — Priusquam solutio hujus difficultatis ineatur, inquirendum est qualenam sit illud peccatum quod Joannes loco citato vocat *peccatum ad mortem.* Auctor libri De vera ac falsa paenitentia, aliquando Augustino attributi, ait tale peccatum esse *omne peccatum mortale post baptismum admissum.* — Sed haec interpretatio stare non potest ; excluditur enim perspicuis verbis Joannis. Nam dicendo fore ut propter orationem precantis pro peccatore peccante peccatum quod non sit ad mortem, vita restituatur tali peccatori, clare significat Joannes peccatum non ad mortem privare vita et per consequens iliud esse peccatum mortale. — Dicunt ergo alii nomine peccati ad mortem significasse Joannem *peccatum mortale quodcumque in quo aliquis permaneat usque ad finem vitae.* Ita ut nomine peccati non ad mortem significentur peccata mortalia quae nondum sibi habeant adjunctam circumstantiam perseverantiae peccatoris in ipsis usque ad finem vitae, nomine vero peccati ad mortem significentur peccata quae sibi habeant adjunctam hanc circumstantiam. Talemque sensum intendens dixit Augustinus, libro De corrept. et gratia, c. 12, et l. I. Retractat., c. 19, peccatum ad mortem de quo loquitur Joannes, esse impaenitentiam finalem. Favetque huic expositioni etiam Pacianus, in epist. 3 ad Sympronianum. Probari autem posset talis interpretatio ex eo quod dictio : peccatum ad mortem, si sensu obvio sumatur, significat peccatum quod usque ad mortem perdurat. Sunt qui refellant hanc expositionem, ea nixi ratione quod nequit supponi fidelibus ad quos scribebat Joannes, ignotum fuisse non esse orandum pro iis qui cum peccato mortali ex hac vita exiissent. Verum haec refutatio est invalida — tum quia nihil repugnat quominus apostoli in suis epistulis ad fideles directis asserant quaedam quae ex doctrina oretenus ab apostolis accepta iis jam vulgo nota erant ; quin immo id eos saepe fecisse manifestum est, — tum quia, utcumque vulgo fidelium supponatur notum fuisse non esse orandum pro iis qui in statu peccati mortalis hac vita excessissent, poterant tamen fideles quidam simpliciores et minus instructi hoc ignorare. — Excluditur tamen praedicta expositio eo quod nec congruit verbis Joannis nec contextui. Nam a) ubi interpres vulgatus *ponit peccatum ad mortem,* textus graecus habet ἁμαρτία πρὸς θάνατον; cum tamen, ut vera esset expositio quam refellimus, oportuisset poni ἁμαρτία ἕως θανάτου vel ἁμαρτία ἕως πρὸς θάνατον. — Itidem b) hisce suis verbis : « Si quis *viderit* fratrem suum *peccare* peccatum *non ad mortem,* » satis innuit Joannes posse etiam videri

aliquis frater peccans peccatum ad mortem ; hoc autem esset falsum, nisi ex mente Joannis peccatum ad mortem perinde atque peccatum non ad mortem, essent, in quantum hujusmodi, peccata actualia. — Est igitur tertia interpretatio dicentium per peccatum ad mortem significari peccata gravia in quocumque genere. Eamque tradit Vasquez qui eam tribuit etiam Ambrosio, De paenit, l. I, cc. 8, 9, 10. — At neque haec interpretatio admitti potest. Quippe a) stante tali verborum Joannis intellectu, esset solummodo accidentalis differentia inter peccatum ad mortem et peccatum non ad mortem, talis autem differentia non videtur sufficere ad hoc ut exhortatio ad orandum pro peccatoribus coarctetur ad peccatores labentes in peccata quae non sint ad mortem. Itidem b) quaedam sunt peccata mortalia quae ex ipsa sua specie sunt graviora quam peccata etiam gravissima quae in alia peccati specie committi queant. Si ergo in quocumque peccati genere esset distinguere inter peccata ad mortem et peccata non ad mortem, oporteret dicere quaedam peccata quae non sint ad mortem, esse graviora quam quaedam peccata quae sint ad mortem, quod manifeste repugnat rationi propter quam Joannes meminit loco citato discriminis inter utramque hanc peccatorum classem existentis. — Sunt alii auctores qui per *peccatum ad mortem* significari putent apostasiam a fide vel etiam obdurationem in incredulitate. Et haec sententia, quantum praecise attinet ad id quod per eam affirmatur, verum asserit. Eatenus tamen a veritate deficit, quatenus arbitrarie restringit sensum verborum apostoli ad unam aliquam speciem peccati. Uti enim jam ostensuri sumus, contextus loci citati exigit significationem multo ampliorem. — Verior igitur est interpretatio s. Thomae et Cajetani dicentium per peccatum ad mortem significari a Joanne omne et solum peccatum in Spiritum sanctum. Probatur autem veritas hujus interpretationis dupliciter. *Primo* ex eo quod, uti colligitur ex jam dictis, peccatum illud mortale quod Joannes a ceteris peccatis mortalibus eo distinguit quod sit peccatum ad mortem, est, in quantum hujusmodi, peccatum aliquod actuale. Hinc videlicet ita arguitur : Cum omne peccatum mortale mortem inferat animae, nequit asseri de aliquo peccato mortali actuali ipsum, in oppositione ad cetera peccata actualia mortalia, esse adductivum mortis (*ἁμαρτία πρὸς θάνατον*), nisi quatenus ipsum, saltem quantum est ex natura ipsius, est incurabile, cetera vero sunt curabilia. Sed peccatum quod, saltem quantum est ex natura ipsius, est incurabile, est omne ac solum peccatum in Spiritum sanctum, h. e. tale peccatum est omne ac solum peccatum quod committitur non ex ignorantia vel ex infirmitate, sed ex

pura malitia. Per omne enim ac solum peccatum quod sit hujusmodi, directe excluduntur media peccatorem ad paenitentiam adducere valentia ; et, per consequens, per omne ac solum tale peccatum vita spiritualis, quantum id praecise pendet a peccatore, irrecuperabiliter amittitur. Ergo. — *Secundo* idem probatur ex verbis antecedentibus versiculum in quo Joannes distinguit peccatum ad mortem a ceteris peccatis mortalibus. Dixerat Joannes : « Et haec est fiducia quam habemus ad eum : quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. *Et scimus quia audit nos quidquid petierimus,* scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. » Hinc porro infert : « Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem (*αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν, τοῖς ἁμαρτάνουσιν μὴ πρὸς θάνατον*). » Exhortatur ergo Joannes fideles ad petendum cum fiducia conversionem fratris non peccantis peccatum ad mortem, asseverans hanc ipsorum petitionem fore efficacem. Tum continuo addit : « Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. » Ac si dicat : Si frater peccaverit peccatum ad mortem, non est ita certum exauditum iri qui conversionem talis fratris petiverit, atque idcirco pro tali peccato non dico ut quis petat cum fiducia et certitudine consequendi veniam. Hinc tale enascitur argumentum : Quod certo exauditur petitio rite facta a persona Deo accepta pro conversione fratris peccantis peccatum non ad mortem et quod non certo exauditur petitio aeque fervens facta ab eadem persona pro conversione fratris peccantis peccatum ad mortem, hujus ratio unice potest esse quod peccans peccatum non ad mortem non abjicit a se vi talis peccati gratias quas Deus secundum viam ordinariam suae providentiae peccatoribus dare paratus est propter petitionem personae alterius quodque e contra peccans peccatum ad mortem abjicit a se, quantum est ex vi talis peccati, ejusmodi gratias. Atqui peccatum quo quis directe a se excludit vim gratiarum eum ad resipiscendum adducere valentium est omne ac solum peccatum in Spiritum sanctum. Ergo.

157. — His praejactis, facile est **respondere** ad objectionem factam. *Conceditur enim Major* et *negatur Minor*. Et ratio negationis est quod Joannes non prohibet fieri orationes pro peccante peccatum ad mortem, neque etiam asserit ejusmodi precationes fore in omni casu inutiles ; sed solummodo significat exauditionem talium precationum non esse certam. Ratio autem cur hoc significet ea est quod ad operandam conversionem peccantis contra Spiritum sanctum opus est gratiis extraordinariis et quadantenus miraculosis ; cujusmodi gratias orando

a Deo impetrare non est quorumcumque e fidelibus ad quos scribebat Joannes, sed virorum sanctitate vitae insignium, quales erant Moyses et Jeremias.

Atque ita quidem difficultatem quae ex epistula Joannis movebatur, solvunt Ambrosius, l. I De paenit., cc. 9 et 10 et s. Hieronymus in libro 2. contra Jovinianum.

158. — Sunt qui aliam tentent solutionem, dicentes Joannem loqui de oratione ad Deum quae publice fiat in ecclesia pro peccatoribus ; vetare porro eum ne ejusmodi oratio fiat pro iis qui vel apostatando a fide se ipsos segregaverint ab ecclesia vel quos propter enormia ipsorum crimina ipsa ecclesia suo sinu ejecerit. Non autem dici a Joanne non esse privatim orandum pro ejusmodi peccatoribus, et per consequens falsum esse suppositum ex quo procedit objectio. — Verum haec solutio non modo est arbitraria, sed manifeste contrariatur textui, uti patet — tum a) ex eo quod verba Joannis nullam continent prohibitionem — tum b) ex eo quod Joannes clare loquitur de orationibus etiam privatis. Quippe in hac propositione: « Non pro eo dico ut oret *quis*, » subjectum posterioris incisi est *quilibet fidelis singulariter sumptus,* non vero tota fidelium congregatio.

159. — **Objiciunt III°** ex apostolo ad Hebraeos VI, 4-6, dicente: « Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati... gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum et prolapsi sunt, *rursus renovari ad paenitentiam*, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei et ostentui habentes. Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Domino: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem. »

Ex his ita argumentantur : Peccata non sunt aliter remissibilia, nisi quatenus recipiuntur a Deo ad paenitentiam peccatores qui ea admiserunt. Sed secundum doctrinam versiculis modo recitatis ab apostolo traditam vel omnes baptizati qui in peccatum mortale labuntur vel ii saltem baptizati qui in graviora quaedam peccata mortalia impingunt, jam non recipiuntur a Deo ad paenitentiam. Ergo peccata mortalia post baptismum admissa vel omnia vel saltem graviora non sunt remissibilia.

Est autem locus in quo fundatur haec objectio, omnium longe difficillimus, unde in eo praecipuum suae causae praesidium Novatiani collocant. Variaeque ejusdem interpretationes a catholicis doctoribus traduntur, quarum quaenam sit ceteris probabilior prius disquirendum

est quam in forma ad argumentum modo propositum responderi queat.

160. — Prima est expositio omnium ferme patrum qui post exortam haeresin Novatianorum scripserunt, ac nominatim Paciani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Athanasii, Chrysostomi, Theophylacti, Theodoreti et Damasceni. Eamdemque approbant s. Thomas, Suarez, Bellarminus, Natalis Alexander et alii theologi catholici plerique. Secundum hos auctores, quando s. Paulus affirmat baptizatos qui prolapsi sunt, jam non posse renovari ad paenitentiam, ipse intelligendus est loqui de impossibilitate absoluta ; paenitentia tamen quam dicit esse hoc modo impossibilem, non est paenitentia salutaris qualiscumque, sed est paenitentia per baptismum. Adeo ut s. Paulus loco citato intendat solummodo docere iterationem baptismi esse impossibilem. Probant autem hi auctores veritatem hujus suae interpretationis dupliciter. *Primo* ex ipsis verbis objectis. Etenim, uti arguunt, a) id quod Paulus asserit esse baptizatis qui mortaliter peccaverint, impossibile, est *innovatio* ad paenitentiam; sed licet qui post susceptum baptismum peccaverint, possint curari vel sanari, non tamen, proprie loquendo, possunt innovari, quia innovatio, h. e. liberalis remissio omnis culpae omnisque poenae non contingit per se nisi in baptismo ; unde, sicuti baptismus vocabatur sacramentum illuminationis, ita et proprio nomine vocabatur sacramentum renovationis, uti constat ex apostolo Tit. III, 5, ex s. Gregorio Nazianzeno, in Oratione ad sancta lumina, et ex aliis antiquioribus. Non ergo, inquiunt, intendit s. Paulus excludere omne remedium paenitentiae pro peccatis post baptismum admissis, sed solummodo illud remedium quod consistit in iteratione baptismi. Idem aiunt ostendi b) hisce verbis: « Rursum crucifigentes sibimetipsis. Filium Dei et ostentui habentes, » quibus aiunt contineri rationem qua Paulus probat baptizatos qui prolapsi sint, non posse renovari ad paenitentiam. Inde videlicet ita arguunt: Non quadrat haec ratio nisi in eam mundationem quae fit per baptismum. Nam in baptismo configuramur Christo crucifixo secundum apostolum dicentem: « Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus. » Ratio ergo qua utitur apostolus ad ostendendum baptizatos qui prolapsi sint, non posse renovari ad paenitentiam, in hoc unice consistit quod, sicut Christus non potest iterum crucifigi, ita baptismus non potest repeti. His addunt quidam c) oppositionem, quae verbis apostoli inducitur inter *τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας* et *τοὺς πάλιν ἀνακαινιζομένους εἰς μετάνοιαν*. Uti enim perhibent, non stat haec oppositio,

nisi verbis φωτίζεσθαι et ἀνακαινζεσθαι significetur idem; quia ergo verbo φωτίζεσθαι significat Paulus receptionem baptismi, concludunt eamdem receptionem ab ipso significari verbo ἀνακαινίζεσθαι (1).

Secundo probant veritatem ejusdem interpretationis ex contextu. Est autem probatio ejusmodi: a) Praemiserat Paulus: « *Non rursum jacientes fundamentum* paenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum (Chrismatis) ac resurrectionis mortuorum et judicii aeterni. » Cur autem non rursum sit jaciendum hoc fundamentum, sed jam unice cogitandum sit de consummando aedificio, intendit Paulus declarare hac propositione: « Impossibile est enim » etc., uti clare indicatur particula *enim* (γάρ). Sed ratio quam affert, esset impertinens ad propositum, nisi ea ratione unice significaretur baptismum non esse iterabilem. (2) Itidem b) tum hac propositione praemissa: « Non rursum jacientes fundamentum » etc., tum increpatione quam direxerat ad Judaeos in fine capitis praecedentis inde a verbis: « De quo nobis grandis sermo, » clare significaverat Paulus Judaeos ad quos scribebat, erronee existimasse posse aliquem lavacro baptismi pluries purificari, sicuti lavacris quibusdam quae

(1) Totam hanc argumentationem pulchre complexus est S. Ambrosius, l. II. De paenit., c. 2. « De baptismate autem dictum, inquit, ipsa verba declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari ad paenitentiam. Per lavacrum enim renovamur per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit: « consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus ». Unum ergo baptisma docet, sicut alibi « una fides, unum baptisma », inquit. Illud quoque evidens quod in eo qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei: quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu. Denique scriptum est: « Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus » etc.. Ergo quod ait in hac epistula, quae scribitur ad Hebraeos, impossibile esse lapsos renovari in paenitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei et ostentatione triumphantes, eo spectat, ut de baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus Filium Dei in nobis, ut per illum nobis mundus crucifigatur: quia quadam triumphantis specie dum similitudinem mortis ejus assumimus, qui principatus et potestates in sua cruce ostentavit ac triumphavit, ut in mortis ejus similitudine, nos quoque de principatibus, quorum jugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus; et ideo unum, non plura baptismata. »

(2) Rationem hanc exponit S. Augustinus in Expositione inchoata epistulae ad Romanos, n. 19, ubi sic ait: « Eos qui jam baptizati fuerint, *curari* melius dicimus per paenitentiam, non renovari: quia renovatio in baptismo est, ubi quidem operatur paenitentia, sed tamquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari aedificium potest: si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum aedificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Judaeis qui ex novo testamento ad sacerdotium vetus declinasse videbantur. Ideoque remittentes, inquit, initii Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum paenitentiae a mortuis operibus, et fidei in Deum, lavacri doctrinae, impositionis manus, resurrectionis etiam mortuorum et judicii aeterni. *Ista omnia in baptismo traduntur*, quae negat (Paulus) esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus ». Legatur et S. Joannes Damascenus, l. IV de fide orthodoxa, c. 9.

secundum legem apud Judaeos instituta erant, contingebat pluries purificari ab immunditiis. Hunc ergo errorem excludere intendit apostolus hac sua propositione: « Impossibile est enim » etc., et per consequens haec propositio nihil aliud enuntiat quam impossibilitatem iterandi baptismum, (Cf. Chrysostomus, hom. 9 in ep. ad Hebr., nn. 3 et 4 ; s. Thomas, in IIIª, q. 84, a. 10).

161. — Verum enim vero, quantumcumque dicta expositio se commendet suffragiis plurimorum patrum ac theologorum, videtur esse rejicienda, quia nec vere convenit verbis Pauli, neque etiam contextui consequenti. Etenim 1) hisce verbis : *πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν*, de quorum sensu est praecipua controversia cum auctoribus praedictam viam interpretationis tenentibus, manifeste significatur renovatio quae ordinetur ad paenitentiam quaeque subinde praecedat paenitentiam; sed renovatio quae fit in baptismate, non praecedit paenitentiam, sed subsequitur paenitentiam; non ergo verbo *ἀνακαινίζειν* significat S. Paulus sacramentum baptismi. Estque haec ratio adeo stringens ut ei non aliter occurrere potuerit Chrysostomus, nisi dicendo haec verba: *ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν*, idem sibi velle atque *ἀνακαινίζειν διὰ τῆς μετάνοιας*. Sed hoc, uti nimis apparet, non est interpretari verba apostoli, sed ea mutare. Itidem b) licet prima illa expositio loci ab adversariis objecti qualitercumque salvet nexum ejusdem loci cum contextu antecedente, ei tamen manifeste adversatur contextus consequens. Intendens videlicet declarare ac probare hanc ipsam propositionem : « Impossibile est » etc., sic pergit dicere apostolus : « Terra enim saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam oportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem ». Quorsum haec, quaeso, si in propositione immediate praecedente solummodo asseruisset apostolus impossibile esse eos qui post baptismum susceptum in peccatum mortale incidissent, denuo baptismo innovari ? Potestne cum veritate de aliquo in statu peccati mortalis existente affirmari eum esse maledicto proximum, quando, licet ei jam prodesse nequeat illud remedium peccati quod est baptismus, aliud tamen remedium facile ab eo adhiberi potest ?

162. — Secunda est expositio dicentium hac propositione : « Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati... renovari ad paenitentiam, » significari ab apostolo impossibile esse eum qui peccata de quibus ibi loquitur, commisisset, concipere paenitentiam salutarem eorumdem peccatorum. Contendunt tamen auctores sic decernentes

vocem *impossibilis* non accipi in praedicta propositione pro eo quod est simpliciter impossibile, sed pro eo quod est valde difficile. Hoc enim in more esse positum ut quod raro et difficiliter contingit, id homines vocent impossibile. Atque hactenus quidem convenit haec sententia cum tertia sententia quae mox exponenda erit. Sed illud auctorum hanc secundam interpretandi viam tenentium proprium est quod a) asserunt Judaeos illos ad quos scribebat apostolus, revera lapsos fuisse in ea peccata quorum paenitentiam haberi apostolus docet esse impossibile — quodque b) peccata haec censent esse peccata gravia cujuscumque generis quae obdurato animo aliquis committat. Unde consequenter aiunt ultimis hisce propositionis paulinae verbis: « Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes », significari a Paulo Judaeos quos alloquebatur, posuisse peccando novam quadantenus causam Christum crucifigendi eosdemque hisce suis peccatis, haud secus atque veros Christi crucifixores, eum ludubrio habuisse. Ita textum ex Paulo objectum interpretatur s. Anselmus, quem sequitur Vasquez in 1, disp. 97, c. 1, videturque tradere hanc expositionem Hieronymus in lib. II contra Jovinian., c. 3, eamdemque esse probabilem judicat Salmeron.

Et quidem, quantum attinet ad eam hujus sententiae partem, quae ipsius est propria, contendit Vasquez eam manifeste erui ex verbis antecedentibus hanc propositionem: « Impossibile est enim » etc.. Ad quod ostendendum hunc in modum ratiocinatur: In fine capitis v dixerat Paulus Judaeos ad quos verba faciebat, devenisse propter sua peccata in talem statum ut inepti essent ad capiendam doctrinam illam perfectiorem quam ipsis proponere inceperat. Adhortatur eos nihilominus initio capitis vi ut ad altioris illius doctrinae eruditionem ferantur. Tum addit: « Et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. » Propterea autem posuit hanc restrictionem « siquidem permiserit Deus », quia ex una parte Judaei illi quos exhortabatur, rudiores erant quam ut doctrinam quam ipsis tradere satagebat, intellegere possent, nisi prius, paenitentiam suorum peccatorum agendo, curassent in gratiam redire cum Deo, et quia ex alia parte impossibile erat quadantenus eos ad paenitentiam converti. Unde ad hoc apertius declarandum prosequitur dicendo: « Impossibile est » etc..

163. — De hac tamen interpretatione, quoad eam ejus partem qua discernitur a tertia interpretatione mox afferenda, dicendum est eam esse arbitrariam, violentam et cum contextu consequente mediato inconciliabilem. Etenim a) arbitrarius et violentus est sensus ad quem

trahit Vasquez hanc Pauli pericopen : « si quidem Deus permiserit », uti per se est manifestum. Itidem b) innaturale est et legibus consueti sermonis humani prorsus repugnans hac propositione causali : « impossibile est enim » etc., reddi rationem non propositionis principalis quae immediate ante praemissa fuerat, sed condicionis cujusdam quae huic propositioni apposita fuerat. Quod vero maxime ostendit praedictam interpretationem esse improbabilem, c) non est exhortantis aliquos ad aliquod opus aggrediendum, ostendere hoc opus esse iis quadantenus impossibile propterea quod quadantenus sit impossibile ab iis praestari condicionem sub qua sola illud opus ab iis perfici queat. Hoc enim faciens non censetur exhortari ad opus, sed magis ab eo revocare. Ulterius d) contradictorium est asserere esse alicui quandantenus impossibile remissionem suorum peccatorum et, per consequens, salutem impetrare a Deo et simul asserere ex ejusdem operibus bonis non solum praeteritis sed etiam praesentibus solidum suppeditari motivum confidendi ipsum ad salutem animae suae perventurum esse. Sed, stante interpretatione Vasquezii, oporteret dicere duo haec simul asseri a Paulo de Judaeis ad quos scribebat. Quippe, paucis interjectis post propositionem hanc : « impossibile est enim » etc., sic pergit dicere Paulus : « Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis. » Adde e) quod ad hoc ut solida esset interpretatio Vasquezii, oporteret ostendi Judaeos ad quos scribebat Paulus, impegisse in quaedam peccata, quae, quantum est praecise ex parte peccatoris, reddant salutem impossibilem, cujusmodi tamen ostensio praetermittur a Vasquezio; adde f) quod ne ostendit quidem Vasquezius Judaeos illos graviter peccasse : hoc quippe ipse asserit quidem, sed nullatenus probat.

164. — Est itaque tertia expositio dicentium Paulum in textu qui objectus est, non loqui nisi de solo peccato voluntariae et consummatae apostasiae a fide, quod est unum ex gravissimis peccatis in Spiritum sanctum, quia per ipsum directe excluditur medium fundamentale salutis, quod est fides. Nec vero, quando asserit Paulus impossibile esse eum qui a fide defecerit, converti ad paenitentiam, ipsum intendere loqui de impossibilitate absoluta paenitentiae, sed de impossibilitate oriente ex exclusione mediorum ordinariorum salutis, quae est impossibilitas secundum quid. Haec denique verba : « rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes », metaphorica esse : iis

videlicet significari ab apostolo Judaeos qui, deserta fide christiana, ad legem mosaicam reditum fecerint, Christum contumeliis afficere eumque Judaeis nomen Christianum persequentibus, palam illudendum tradere (Cf. Hebr. x, 29). — Propterea autem injecisse apostolum sermonem de impossibilitate se convertendi a crimine plene voluntariae apostasiae ad paenitentiam, quia ab hoc crimine deterrere satagebat Judaeos ad fidem conversos, non vero quod hi Judaei in illud crimen jam prolapsi essent.

165. — Secuti sunt hanc locum objectum interpretandi rationem Origenes et Theognostes, uti satis colligitur ex Athanasio, qui paucis utriusque auctoris interpretationem refert in Epist. 4 ad Serapionem, n. 8 sqq. in illud evangelii: Quicumque dixerit verbum in filium hominis, etc. Ex quo fortassis conjicere licet interpretationem hanc communiorem fuisse inter patres antenovatianos; uterque enim auctor ante exortam haeresin Novatiani scribebat. Eamdem verborum apostoli elucidationem tradit concilium coloniense habitum versus finem saeculi XVI. Inter interpretes vero recentes ea est longe communior. Attendentique et ad argumentum epistulae ad Hebraeos et ad scopum apostoli hanc epistulam scribentis et ad alios ejusdem epistulae loços, loco qui objectus est, satis manifeste parallelos et ad vim tenoremque verborum quibus hic locus contextus est et ad connexam seriem verborum antecedentium ac consequentium, vix non certa esse apparebit praedicta expositio.

Videlicet a) argumentum epistulae ad Hebraeos est tum generatim excellentia oeconomiae legis christianae prae oeconomia legis mosaicae, tum speciatim excellentia sacerdotii Christi prae sacerdotio Aaronitico. Uti autem ex tali tractationis argumento pronum est conjicere et uti omnia ferme verba epistulae clamant, scopus apostoli scribentis est confirmare Judaeos ad Christum conversos in fide quam, suscipiendo baptismum, professi fuerant. Vacillabant enim hi Judaei in fide inclinabantque in Judaismum. Jam vero ex tali scriptionis argumento et ex tali fine scriptioni praefixo verisimillimum redditur nihil aliud in loco objecto Paulum spectasse quam ut Judaeos ad christianismum conversos a crimine apostasiae deterreret; vix enim apparet alius modus explicandi quo pacto cum argumento epistulae et cum generali Pauli proposito hic locus cohaereat. At insuper b) conclusio quam hic stabilire intendimus, vix non certo colligitur ex eo quod toto suae epistulae decursu Paulus non modo indesinenter deterret Judaeos illos quos alloquitur, ab apostasia a fide, sed in hoc praestando iis utitur

verbis quae eumdem videntur ingerere sensum atque verba in objectione adducta. Nempe quotienscumque in hac sua epistula ipse nititur Judaeos horrore hujus criminis apostasiae percellere, clare innuit iis qui in hoc crimen lapsi fuerint, adimi omnem spem probabilem effugiendi damnationem aeternam. Adeo ut omnes loci ejus epistulae huc spectantes haberi possint ut paralleli loco objecto et ut illustrativi ejusdem. Sic v. g. commendans apostolus eminentiam legis novae super legem veterem ab eo quod ad differentiam hujus legis illa non sit data per angelos, sed immediate a Domino, Judaeos in haec verba compellat: « Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus (damnationem), si tantam neglexerimus salutem » ? (II, 2, 3). Et cum Judaeos illos qui a mosaismo ad ecclesiam se transtulerant, comparare coepisset cum Judaeis qui sub ducatu Moysis ex Aegypto in terram promissam profecti erant, sic rursum eos affatur : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo. » (III, 12). Concluditque deinde comparationem praedictam hisce verbis : « Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum » (IV, 11). Hoc est : caveamus nobis a lapsu in apostasiam, ne idipsum nobis contingat quod in similitudinem contigit Judaeis illis qui ex Aegypto profecti erant, quorum nullus in terram promissam ingressus est, propterea quod increduli fuerunt. Maxime huc afferendi essent X, 26-31 et XII, 25, sed de his postea.

Ulterius c) sufficit verba testimonii paulini per se expendi ad hoc ut pateat veram esse eam horum verborum interpretationem quam hic adstruere intendimus. Quod perspicuum fiet consideranti apostolum subjectum hujus propositionis modalis « impossibile est » etc., eo qualificare quod enumerat longam gratiarum seriem quae tali subjecto collatae fuerunt quarumque ope idem subjectum facile potuisset cavere a labendo in illud peccatum de quo loquitur apostolus. Nempe omnes hae gratiae speciatim conferunt ad fidem sive acquirendam sive augendam, et per consequens lapsus in peccatum de quo agitur in testimonio paulino, non est lapsus in peccatum mortale quodcumque, sed est solus lapsus in voluntariam et consummatam apostasiam. Sane haec propositio : « impossibile est etc., tantumdem sonat ac si ita dicat apostolus : qui susceperunt baptismum, quod est sacramentum fidei, quique etiam uncti sunt chrismate, quod est sacramentum conferens gratiam ad firmiter standum in fide, quique praeter haec et imbuti sunt doctrina

boni verbi, h. e. evangelii, et viderunt varia signa et prodigia (δυνάμεις) facta in confirmationem hujus doctrinae, et qui, his omnibus non obstantibus, prolapsi sunt, eos impossibile est adduci ad paenitentiam. Merito profecto ita pronuntiat apostolus, si intendat loqui de lapsu in voluntariam ac confirmatam apostasiam. Per tale quippe peccatum directe excluditur vis et efficacia mediorum gratiae ab ipso enumeratorum; praeter haec autem media non sunt alia media ordinaria recuperandi fidem et deveniendi ea mediante in propositum paenitendi. At vero si intendat apostolus loqui de alio peccato, quodcumque demum illud sit, non intellegitur ratio enumerationis ab eo institutae. Non enim alio peccato hominis baptizati directe excluditur vis et efficacia hujus medii fundamentalis salutis quod est gratia fidei. — Ad eumdem sensum collineant etiam haec ultima propositionis paulinae verba: « rursum crucifigentes » etc., quibus atrocitatem lapsus de quo loquitur, Paulus graphice describit. Nam etiam haec verba nequeunt vere accommodari nisi solis apostatis omnino voluntarie peccantibus. Soli quippe ipso suae desertionis facto Judaeis incredulis atque gentilibus attestantur Christum non esse vere Deum, et sic Christum quadantenus sibimetipsis tamquam patibulo affigunt, eum, quocumque venerint, ludibrio atque subsannationibus incredulorum exponendo. Huc accedit d) nexus testimonii paulini cum verbis mox consequentibus, quem in nostra ratione illud testimonium explicandi omnino salvari satis manifestum est ex superius dictis. Apprime vero e) confirmatur veritas nostrae interpretationis ex nexu testimonii Paulini cum verbis antecedentibus tam mediatis quam immediatis. Quod quidem sic considerari potest : Inceperat Paulus verba facere de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, cum versus finem capitis v subito digreditur a proposito, dicens se timere ne sermo quem habiturus erat, sit difficilis ad intellegendum (δυσερμήνευτος). Propterea autem ait se hoc timere, quia Judaei quos alloquebatur, erant facti graves ad audiendum. Quo non intendit significare Judaeos illos non esse sufficienter institutos in fide ad percipiendam doctrinam quam ipsis traditurus esset, sed ideo hoc dicit, quia immodico affectu afficiebantur erga caerimonias legis mosaicae. Inde videlicet fiebat ut valde timendum esset ne gravate audirent ea quae Paulus ad deprimendam vim sacerdotii aaronitici prae sacerdotio Christi jam dicturus erat, utque per consequens fructum hujus sermonis Pauli non perciperent. Proptereaque eos increpat Paulus, dicens eos esse quadantenus revolutos ad eum statum in quo prima fidei rudimenta eis rursum tradenda

essent. Quo significat eos nutare in fide. Deinde, postquam eam doctrinam quam iis parabat tradere, commendasset — tum a) ab eo quod per eam discitur quae sit vera causa justitiae internae (sermo justitiae) — tum b) ab eo quod per eam dignoscitur cultus vere salutaris a cultu jam facto inutili et nocivo, exhortatur eos ad hanc doctrinam attente percipiendam atque amplectendam. Subjungitque quasi ex eorum persona: « Et hoc quidem faciemus, si quidem permiserit Deus ». Probaturusque hanc ultimam propositionem, pergit dicendo: « Impossibile est enim » etc., quae sunt verba de quorum sensu hic ambigitur. Jam vero manifestum est haec verba neque continere probationem propositionis immediate ante enuntiatae neque ullo pacto connecti cum mediate antecedentibus, nisi dicatur per eam enuntiari impossibilitatem sese convertendi a peccato plene voluntariae apostasiae ad salutarem paenitentiam. De defectu enim sufficientis affectus ad fidem christianam Judaeos increpaverat Paulus huncque defectum dixerat esse impedimento quominus fructum doctrinae a se jam inculcandae percepturi essent. Idem proinde est dicere eos jam velle studiose percipere hanc doctrinam atque dicere eos jam nolle perseverare in praedicto impedimento. Ad hoc autem ut jam induerent voluntatem non amplius apponendi tale impedimentum, maxime certe valebat repraesentatio immedicabilium malorum quae ex reditu ad cultum mosaicum oritura essent. Haec igitur immedicabilia mala, nempe impossibilitatem sese salutariter convertendi, censendus est Paulus hac sua propositione : « impossibile est » etc., enuntiasse.

166. — Ad argumentum itaque quod ex textu paulino pro haeresi Novatianorum fiebat, **respondetur,** dicendo a) non agi in eo textu de quocumque baptizatorum peccato mortali, sed de solo peccato voluntariae et consummatae apostasiae, et b) impossibilitatem in eodem textu assertam sese ab ejusmodi peccato convertendi ad paenitentiam esse dumtaxat impossibilitatem orientem ex impedimento per peccatum apostasiae mediis ordinariis salutis apposito, quae est dumtaxat impossibilitas secundum quid, quandoquidem nec efficacia mediorum ordinariorum salutis penitus per eam excluditur, nisi quatenus haec praecise pendet a peccatore actualiter peccante, nec media ordinaria salutis sunt sola media salutis, sed praeter haec conceduntur identidem a Deo media extraordinaria.

Prima hujus responsionis pars satis probata relinquitur ex argumentis factis pro tertia ratione exponendi textum paulinum. Secunda vero responsionis pars probatur — tum a) ex eo quod Deus omnibus

omnino peccatoribus dat gratias saltem remote sufficientes, uti satis evincunt generales scripturarum exhortationes ad paenitendum, ad omnes peccatores etiam maxime obduratos directae (Cf. Ezech. XVIII, XXXIII, et speciatim Rom. II, 4-5), — tum b) ex eo quod non est insuetum scripturis uti voce *impossibilis* vel aliis vocibus acquivalentibus ad denotandam magnam difficultatem. Quo modo v. g. Jo. V, 44, dixit Christus Judaeis: « Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis? » Et Jo. XII, 39, dixit evangelista: « Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: Excaevavit oculos eorum » etc..

Nec potest infringi vis hujus postremae rationis, dicendo locos scripturae modo allatos habere eamdem quaestionem atque locum paulinum. — *Hoc non potest dici*, inquam; quia in laudatis testimoniis agitur de peccatoribus nondum baptizatis, omnia autem peccata ante baptismum admissa ponunt Novatiani esse remissibilia.

167. — **Instatur** tamen contra responsionem proxime datam, adducta in medium auctoritate patrum antenovatianorum, hocce modo: Uti prius ostensum est, ad hoc ut stare possit impossibilitatem paenitendi a Paulo assertam non esse nisi impossibilitatem secundum quid, in ingenti difficultate consistentem, necesse est dicere in testimonio citato non agi de quocumque peccato mortali baptizatorum, sed tantummodo de peccato aliquo, quo ex directa intentione media salutis excludantur. Sed, uti refert s. Athanasius in Epist. 4 ad Serapionem, n. 8 sqq., patres antenovatiani, qui testes sunt traditionis primaevae ecclesiae, docuerunt in testimonio paulino agi de quocumque peccato mortali post baptismum admisso. Sic videlicet ibi scribit Athanasius : « *Prisci igitur homines,* inter quos Origenes, vir multarum disciplinarum et multum industrius, et Theognostus ille admirandus et perquam studiosus, tradunt nobis hanc esse blasphemiam in Spiritum sanctum, *dum qui dignati sunt per baptisma donis Spiritus sancti, recurrunt ad peccandum.* Inde videlicet esse quod remissionem eos non consecuturos aiunt. Quemadmodum et Paulus in epistula ad Hebraeos ait: « Impossibile est eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad paenitentiam. » Nec vero in interpretanda sententia Origenis errasse Athanasium, patet ex ratione qua pugnabat Origenes et quam propriis ejus verbis Athanasius refert. Sic videlicet Origenes explicat causam irremissibilitatis blasphemiae in Spiritum sanctum (Matth. XII, 31, 32), quam ponit esse eamdem ei peccato cujus paenitentiam Paulus asserit esse impossibilem: « Deus Pater, inquit, in omnia penetrat et omnia

continet, animata et inanimata, rationalia et irrationalia, Filii autem potestas ad sola entia rationalia sese extendit, in quibus continentur catechumeni et ethnici, qui nondum crediderint, Spiritus vero sanctus in iis solis est qui sui participes effecti sunt in baptismatis collatione. Cum igitur catechumeni et ethnici peccant, in Filium peccant, quoniam est in illis, uti dictum est: possunt tamen veniam consequi, ubi acceperint donum regenerationis. Cum autem baptizati peccant, hanc iniquitatem in Spiritum sanctum recurrere ait, quoniam cum Spiritu sancto continerentur, peccaverunt, et propterea incondonabilem esse illorum culpam (1). — De qua ratione Origenis patet eam valere de peccato mortali quocumque post baptismum admisso.

168. — **Respondetur** *concedendo Majorem, sed ita distinguendo Minorem:* Athanasius existimavit Origenem et Theognostum in interpretandis verbis Pauli, Hebr. VI, et Christi, Matth. XII, asseruisse incondonabilitatem peccati mortalis cujuscumque post baptismum admissi, *Trans. Min.* Talem sententiam vere sonant verba Origenis et Theognosti ab Athanasio recitata, *Neg. Min.*

Probabilissimum est nimirum Origenem et Theognostum non loqui de omni peccato mortali post baptismum admisso, sed de solo peccato apostasiae. Etenim a) peccatum de quo secundum ipsos Paulus loquitur, est peccatum illud blasphemiae de quo loquebatur Christus, Matth. XII; sed posterius hoc peccatum consistebat in impugnatione motivorum veritatem fidei manifestantium. Ergo. Itidem b) uti claret ex verbis Theognosti, peccatum illud de quo loquuntur ipse et Origenes, est contra verbum quod traditur in initiatione, h. e. in baptismo; sed tale verbum est manifeste doctrina fidei significatque fortasse ex ipsorum mente ipsam formam baptismi. Itidem c) secundum utrumque scriptorem peccatum illud non est qualitercumque contra Spiritum sanctum, sed est contra Spiritum sanctum docentem; hunc quippe sensum ingerit

(1) Eodem modo, uti testatur Athanasius, ratiocinabatur Theognostus. Juverit ejus verba huc attexuisse, quandoquidem lumen affundunt sententiae Origenis. « Qui primos et secundos fines transgressus est, inquit, minore poena dignus videri posset, qui autem tertios fines contempserit, venia excluditur. » Notat porro Athanasius Theognostum docuisse primum et secundum terminum esse doctrinam de Patre et Filio acceptam, tertium vero esse verbum in initiatione et in participatione Spiritus traditum. Id autem eum confirmare per illud Salvatoris ad apostolos dictum : « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nondum recipere potestis: cum autem venerit Spiritus sanctus, docebit vos omnia. » Post quae verba Theognostus, referente Athanasio, haec subjungit: « Non tamen Spiritus sancti doctrina superat doctrinam Filii, nec propter excellentiam Spiritus prae Filio inexpiabilis et citra veniam est blasphemia in Spiritum; sed quia in non initiatis venia locum habet, in iis vero qui gustaverunt caeleste donum et initiati sunt, nulla ad veniam relinquitur excusatio aut supplicii deprecatio. »

recursus quem confirmandae suae doctrinae causa facit Theognostus ad haec Christi verba: « Multa habeo vobis dicere, » etc. — Tandem d) sic intellegitur discrimen ab Origene et Theognosto constitutum inter peccatum ethnicorum et peccatum baptizatorum. Multi enim ethnici negant veritatem fidei non ex malitia, sed ex defectu sufficientis cognitionis motivorum credibilitatis, talis autem ignorantia in fidelibus baptizatis plerumque locum non habet.

Adde quod, tametsi nostra verborum Origenis interpretatio esset falsa, non tamen possunt haec verba eum habere sensum quem iis adversarii affingunt. Et hoc propterea, quia innumeris suorum scriptorum locis Origenes fideles, et quidem eos etiam qui gravissime peccaverant, ad paenitentiam et ad confessionem suorum peccatorum adhortatur. (Cf. speciatim l. III contra Celsum).

Nec obstat auctoritas Athanasii verba Origenis et Theognosti de omni peccato mortali baptizatorum intellegentis; significat enim hic pater se non satis in sensum horum verborum inquisiisse, unde etiam addubitat utrum veram Origenis atque Theognosti mentem assecutus sit. Sic videlicet pergit dicere post verba superius allata: « Ego ex iis quae didici, arbitror utriusque sententiam mediocri quadam inquisitione et observatione indigere, ne forte profundior quaedam in illis ipsorum dictis mens lateat. »

Illud tamen fatendum est, falso dixisse Origenem et Theognostum blasphemiam illam in Spiritum sanctum de qua Christus, Matth. XII, esse proprium peccatum christianorum. Hanc quippe blasphemiam Christus loco citato tribuit pharisaeis, qui non erant baptizati. At vero nec certum est eos auctores tale aliquid revera dixisse.

169. — **Objiciunt IV°** ex apostolo, ad Hebr. X, 26, sic dicente: « Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam exspectatio judicii et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. » Unde rursum concludunt peccata post baptismum commissa remitti non posse.

Etiam hujus difficultatis solutio ex prius indaganda genuina loci objecti interpretatione petenda est.

170. — Qui itaque patres ac theologi verba apostoli, Hebr. VI, 4-6, intellegunt de impossibilitate iterandi baptismum, ii omnes ad eumdem intellectum trahunt praesentia apostoli verba. Nomine videlicet hostiae aiunt intellegi passionem et mortem Christi, quatenus in baptismo operatur, ita ut, ipsorum sententia, apostolus intendat dicere, sicut

Christus non potest bis crucifigi ac mori, ita nec baptismo, quippe qui repraesentet crucifixionem ac mortem Christi, posse bis esse locum in ecclesia. — Haec tamen interpretatio, quatumvis ab auctoritate veterum patrum commendetur, rejicienda est; repugnat enim manifeste tum verbis apostoli tum contextui. Ad cujus evidentiam percipiendam sufficiet advertere aliquam hostiam non posse ad differentiam alterius hostiae prius oblatae vocari *secundam*, nisi ipsa supposito differat a priore illa hostia. Hinc videlicet manifestum redditur non posse nomine secundae hostiae intellegi secundam crucifixionem Christi; ratione quippe talis crucifixionis non haberetur secunda hostia, sed secunda oblatio cruenta ejusdem hostiae.

171. — Est itaque alia interpretatio asserentium altero illo loco ex apostolo objecto, haud secus atque loco prius objecto ex Hebr. VI, non agere apostolum nisi de peccato plene voluntariae apostasiae. Depingi autem ab eo tale peccatum tamquam inexpiabile, non quod sit absolute impossibile de ipso agi paenitentiam aut quod vere de eo paenitenti non pateat locus veniae per sanguinem Christi, sed quia qui hoc peccati genere labuntur, peccent ex certa malitia, directe a se abjiciendo fundamentale salutis medium, et quia per consequens ordinarie non contingat eos ad veram paenitentiam flecti. — Cui quidem interpretationi adstruendae aptari possent rationes quas supra, interpretantes priorem locum paulinum, adduximus a) ex argumento epistulae ad Hebraeos, b) ex scopo apostoli scribentis, et c) ex usu ab apostolo toto decursu epistulae observato deterrendi Judaeos ab apostasia, quotienscumque novam aliquam novae legis praerogativam explicasset. Abunde tamen sufficiunt ad propositum concludendum attenta ponderatio verborum apostoli et inspectio orationis immediate contextae. Nempe a) iis ipsis verbis quae objecta sunt, luculenter insinuat apostolus specificam malitiam peccati de quo loquitur, desumi ex eo quod peccatum illud contingat *post acceptam notitiam veritatis*. Quod sane perinde est atque dicere illud peccatum consistere in repudiatione plene voluntaria veritatis fidei sufficienter manifestatae, h. e. in peccato apostasiae. Non enim est aliud peccatum cujus specifica malitia metienda sit ex eo quod contingat post acceptam notitiam veritatis evangelii. Quae conclusio ceteroquin b) certo deducitur ex verbis immediate consequentibus. Significat ibi videlicet apostolus peccatum de quo loquitur, irritum facere foedus novae legis. Quia ergo non irritatur foedus novae legis nisi peccato apostasiae, necessario dicendum est peccatum de quo agit apostolus, esse peccatum

apostasiae. At vero c) si qua ratio dubitandi de veritate hujus conclusionis supersit, eam profecto necesse est tolli, si consideretur qualiter ratiocinetur apostolus ad ostendendum quam ingens sit peccatum ea sanguinis novi testamenti pollutio sive novae legis irritatio de qua loco citato loquitur. Nempe propter paulo ante a se demonstratam novae legis super antiquam legem eminentiam contendit apostolus supplicia quibus plectendi sint novi foederis irritatores, multo esse graviora quam poenas quae Deuter XVII, 2-7, decernuntur a Moyse in irritam facientes legem mosaicam. Non autem tenet haec apostoli argumentatio a minori ad majus, nisi intellegatur comparationem quam instituit inter irritationem novi testamenti et irritationem veteris testamenti, attendi secundum eumdem modum irritandi testamentum. Quia ergo irritatio pacti mosaici qua de agitur Deuter XVII, 2-7, consistit in apostasia a cultu veri Dei per peccatum idololatriae, necesse est dicere etiam irritationem novi pacti cujus gravitatem loco citato apostolus exaggerat, consistere ex ejus mente in apostasia a cultu christiano. — Adde d) quod cetera verba quibus atrocitatem peccati de quo agit, depingit apostolus, clamant ipsum loqui de solo peccato voluntariae et consummatae apostasiae. De solis enim iis qui post solemniter editam professionem fidei Christum abnegant, verificantur in suo complexu haec tria ab apostolo asserta, nempe ab iis conculcari filium Dei, sanguinem testamenti pollutum duci et contumeliam fieri spiritui gratiae. — Evidentissime tamen e) patet veritas nostrae interpretationis ex nexu loci ex apostolo objecti cum verbis immediate antecedentibus. Dixerat apostolus : « Non deserentes collectionem nostram (μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν), sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. » Hujus autem suae exhortationis intendit rationem reddere, cum immediate post subjungit : « Voluntarie enim peccantibus nobis » etc.. Quapropter necesse est ut in hac posteriore propositione apostolus deterreat Judaeos ab eodem illo peccato ad quod vitandum ipse eos exhortatus fuerat in propositione mox praecedente. Jam vero in propositione praecedente eos adhortatus fuerat ad non deserendam congregationem fidelium, h. e. ad non apostatandum. Ergo etiam in propositione unde procedit objectio, ipse non deterret Judaeos nisi a solo peccato apostasiae, et per consequens haec ipsius verba « voluntarie peccantibus nobis » non sunt intellegenda de peccantibus peccato mortali quocumque, sed tantummodo de peccantibus peccato apostasiae. — Ad haec omnia accedit f) patens parallelismus inter locum quem

modo examinamus et locum apostoli in quo praecedens objectio nitebatur. Sicut in loco prius objecto dicebat apostolus : « Impossibile est eos qui... prolapsi sunt, renovari ad paenitentiam, » ita in loco nunc considerato dicit : « Voluntarie peccantibus non relinquitur secunda hostia pro peccatis. » Sicut illic qualificabat lapsum de quo intendebat loqui, significando eum contingere post acceptam longam gratiarum seriem speciatim pertinentium ad fidem vel acquirendam vel augendam, ita hic qualificat voluntarium peccatum de quo intendit loqui, dicendo illud contingere post acceptam notitiam veritatis. Sicut illic depingebat summam eorum qui post illuminationem prolapsi sunt malitiam, dicendo eos filium Dei sibimetipsis crucifigere atque ostentui habere, ita hic ad depingendam summam eorum malitiam qui post acceptam notitiam veritatis voluntarie peccant, ait eos conculcare Filium Dei et contumeliam facere spiritui gratiae.

Porro, supposito apostolum loco citato loqui de solo peccato apostasiae, facile est declarare quonam sensu ipse dixerit voluntarie tale peccatum peccantibus jam non relinqui secundam hostiam pro peccatis. Sensus est videlicet Judaeis illis voluntarie ad cultum mosaicum redeuntibus jam non posse prodesse ad expianda sua peccata hostiam novae legis, quandoquidem, *quantum est praecise ex parte ipsorum*, ipsi effecerint impossibilem suum reditum in gratiam cum Christo. Neque etiam iisdem posse prodesse ad expianda sua peccata hostiam aliquam legis mosaicae propriam, quandoquidem sacrificia legis mosaicae non sint deletiva peccatorum. Et quidem talis expositio horum verborum: « non relinquitur secunda hostia, » sola cohaeret cum proxime antecedentibus. In capite enim decimo suae epistulae apostolus totus fuerat in probando id intercedere discrimen inter sacrificium cruentum N. L. et sacrificia cruenta V. L., quod prius illud sacrificium, non vero posteriora haec, sit ablativum peccatorum.

Hinc patet qualiter diluenda sit objectio principio facta. **Respondendum est** videlicet idipsum quod ad diluendam difficultatem paulo ante motam responsum est.

172. — Restat ut diluantur argumenta quibus nitebantur Petrus Lombardus ejusque sequaces in asserendo usum clavium non se extendere ad remissionem peccati quantum ad reatum culpae, propterea que absolutionem sacerdotis non esse remissivam culpae, sed declarativam sive ostensivam talis remissionis. Contra thesin igitur supra stabilitam, quatenus huic sententiae Magistri contrariatur,

173. — Objicitur I° ex auctoritate s. Augustini, s. Gregorii, Judoci

Clictovei et Alcuini dicentium corporalem suscitationem Lazari fuisse figuram spiritualis suscitationis peccatoris, quia, sicuti Lazarus prius a Domino est corporaliter vivificatus quam solvendus traderetur discipulis, ita necesse sit peccatorem prius a Deo spiritualiter vivificari quam sacerdotes possint exercere circa ipsum ministerium solvendi, sibi a Deo commissum. Unde arguunt usum potestatis clavium se non extendere ad remissionem peccatorum quantum ad reatum culpae. Quia enim vivificatio peccatoris non contingat absque remissione culpae, quae mors est animae; vivificatio autem peccatoris secundum doctrinam patrum modo citatorum de necessitate praesupponatur ad usum potestatis clavium; idcirco necesse esse concludere etiam remissionem culpae de necessitate praesupponi ad usum ejusdem potestatis clavium.

Verba Gregorii papae desumpta ex Hom. 26 super evangelia, superius inter exponendum statum quaestionis jam recitata sunt.

Verba vero s. Augustini, ex quibus manifestum est sua mutuatum esse Gregorium, habentur in Serm. 67, numeris 2 et 3, ubi sic loquitur s. doctor : « Quis peccatorem mortuum in peccatis resuscitabit, nisi qui, remoto lapide, clamavit dicens: Lazare, prodi foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit; foras prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi ressuscitatus esset; ergo in confessione sui accusatio, Dei laudatio est. » — Tum objicit s. doctor: « Dicet ergo aliquis: Quid prodest ecclesia, si jam confessor voce dominica suscitatus prodit. » Objectionem sic solvit: « Ipsum Lazarum attende, cum vinculis prodit, jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus; quid ergo facit ecclesia, cui dictum est : Quae solveritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuo ad discipulos: Solvite illum et sinite abire. » — Eadem ferme verba repetit s. Augustinus in Tract. 49 in Joan., n. 24, et Sermone 351, et in Psalm. 101, serm. 2, numero 3.

174. — **Respondetur** *distinguendo Anteced.:* Secundum Augustinum aliosque patres in objectione adductos, prius incipit peccator auxilio gratiae divinae excitantis et adjuvantis edere actus aliquos imperfectos vitae, nempe actus dolendi et confitendi, quam sacerdotes ecclesiae circa ipsum exerceant ministerium suum, ipsum solvendo a peccato, *Conc. Ant.* Prius incipit peccator beneficio gratiae sanctificantis ipsi a Deo infusae vivere vita perfecta gratiae et caritatis quam ministerium suum ei exhibeant sacerdotes ecclesiae, *Nego Anteced.*, vel, si ita lubet, *Subdist.* hoc modo: Hoc est, aliquando contingit ut peccator habens actum contritionis perfectae incipiat vivere vita perfecta gratiae, prius-

quam eum sacerdos absolvat, *Conc.* Hoc est, actus ille contritionis perfectae et per consequens recuperatio vitae spiritualis perfectae de necessitate praesupponuntur ad hoc ut sacerdos possit exercere suum ministerium circa peccatorem, eum absolvendo, *Nego, et sub tali distinctione nego Conseq. — Ad probationem consequentiae sic distinguitur :* Vivificatio perfecta peccatoris non contingit absque infusione gratiae sanctificantis et absque remissione culpae, *Conc.* Etiam vivificatio aliqua imperfecta, consistens in productione actuum salutarium supra nominatorum, non contingit absque infusione gratiae sanctificantis, *Neg.*

Ratio sic respondendi accipitur ex solutione quam s. Augustinus apponit objectioni quam moverat ; verba enim quae ibi facit, eum sensum quem modo exposuimus ingerunt.

175. — Objiciunt II° ex Hieronymo in haec Matthaei XVI, 19, verba : « Quaecumque alligaveris,... quaecumque solveris, » sic commentante : « Istum locum episcopi et presbyteri non intellegentes aliquid sibi de pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnare innocentem vel solvere se noxios arbitrentur ; cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Levitico (c. XIV) de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant : non quo sacerdotes leprosos faciant et immundos : *sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus quive immundus sit.* Quo modo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii ; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus. » Hocce loco, uti contendunt adversarii, Hieronymus ita argumentatur : Qualis fuit actus potestatis sacerdotibus V. L. commissae circa lepram corporalem, talis est actus potestatis ligandi atque solvendi sacerdotibus N. L. commissae circa lepram animae, h. e. peccatum. Sed sacerdotes V. L. non faciebant mundos vel immundos a lepra, sed solummodo discernebant quinam essent mundi quive immundi. Ergo nec sacerdotes N. L. faciunt mundos a peccato vel immundos ab eo, sed solummodo discernunt sive ostendunt quinam a peccato sint mundi, quive ab eodem non sint mundi.

176. — Respondetur *distinguendo Maj. :* Secundum Hieronymum, qualis fuit actus sacerdotum V. L. circa lepram corporis, talis est actus sacerdotum N. L. circa idoneitatem accedentium ad sacramentum paenitentiae, *Conc. Maj.* Talis est etiam actus sacerdotum N. L. circa lepram animae, h. e. peccatum, *Neg. Maj.* et, *concessa Min., disting.*

Conseq.: Ergo secundum Hieronymum, sicut sacerdos V. L. non faciebat mundos vel non mundos a lepra, sed solummodo discernebant inter mundos et non mundos a lepra, ita sacerdos N. L. non facit idoneos vel non idoneos ad accipiendam remissionem peccatorum, sed solummodo discernit inter idoneos et non idoneos, *Conc. Conseq.* Ita etiam sacerdos N. L. non vere vel mundat a peccato per actum solvendi vel relinquit peccatorem in sua immunditia per actum ligandi, sed solummodo discernit inter eos qui antecedenter ad suum ministerium paenitentibus impensum sunt a Deo mundati vel non mundati, *Neg. Conseq.*

Uti antea diximus, sacerdos N. L. habet duplicem actum circa peccatorem in foro interno, alterum quo judicat utrum peccator sit dignus absolutione vel ea sit indignus, alterum quo eum absolvit a peccatis vel ejus peccata retinet. Porro ex mente s. Hieronymi ministerium a sacerdotibus N. L. paenitentibus impensum habere similitudinem cum ministerio a sacerdote V. L. leprosis impenso quantum ad primum actum tantum, non vero quantum ad secundum etiam actum, patet tum ex scopo Hieronymi tum ex disertis ejus verbis.

177. — **Objiciunt III°** ex Ambrosio, l. III De Spiritu sancto, c. 18 : « Nunc videamus utrum peccata donet Spiritus. Sed hoc dubitari non potest, cum ipse Dominus dixerit : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur ; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, *non jus alicujus potestatis exercent.* Neque enim in suo, sed in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. » Ambrosio consonat Chrysostomus, hom. 15 in Matth. : « Liberare a putredine peccatorum, Christi profecto virtutis est : ut autem ad illa iterum non revertantur, apostolorum curae est ac laboris. » Item Augustinus, Serm. 99, de verbis evangelii s. Lucae VII, n. 9, ubi explicans haec verba : Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei : « Hoc est, inquit, Spiritus dimittit, non vos. » Ex quibus omnibus arguitur sacerdotes non exercere veram potestatem circa remissionem peccatorum, sed solummodo declarare peccata esse remissa.

178. — **Respondetur** Ambrosium aliosque patres in objectione adductos denegare quidem sacerdotibus potestatem principalem dimittendi peccata, cum quo stat iisdem competere potestatem ministerialem eadem peccata dimittendi. Patet ratio responsionis tum a) ex scopo Ambrosii, qui erat ostendere Spiritum sanctum esse Deum ; non enim probatur aliquis esse Deus ex vindicata ei potestate dimittendi peccata, nisi sit sermo de potestate principali, — tum b) ex disertis Ambrosii

verbis in ipso loco objecto tribuentis sacerdotibus potestatem ministerialem in negotio remissionis peccatorum — tum c) ex aliis ejusdem verbis, v. g. in lib. I. De paenit., c. 7, ubi praedictam potestatem ministerialem sacerdotibus N. L. esse concessam non modo asserit, sed defendit contra Novatianos. — Idem est sensus ab Augustino et Chrysostomo intentus, uti patet ex facta collatione cum iis eorum testimoniis quae pro probatione theseos adducta sunt.

179. — Quae objectiones a protestantibus moveri solent, hae maximam partem decursu probationis quae ad asserendam doctrinam catholicam supra ex scripturis instituebatur, jam solutae sunt. Una tamen restat diluenda eorum objectio eademque palmaris, ea videlicet quae ex more primaevae ecclesiae desumitur. Aiunt videlicet qualisnam sit potestas ecclesiae a Christo facta optime nosci posse ex usu hujus potestatis iis temporibus obtinente quae proxime aetatem apostolicam subsecuta sunt. Iis porro temporibus nullum deprehendi vestigium absolutionis proprie dictae a peccatis in foro interno. Quippe in vetere ecclesia tantummodo in usu fuisse ut peccatores quidam notorii ac scandalosi post peractam paenitentiam publicam, *qua non Deo sed ecclesiae satisfaciebant,* acciperent in foro externo absolutionem a suis peccatis non prouti haec erant offensae Dei, sed prout erant offensae ecclesiae, ei nocumentum afferentes. De hoc in capite sequente.

CAPUT II.

De usu potestatis clavium in ecclesia priorum saeculorum.

180. — Paenitentia alia est interna, alia externa.

Paenitentia interna, attento usu hujus vocis ecclesiastico, definitur potissimum tribus iis actibus de quibus in priore hujus tractationis parte fuse disseruimus, nempe a) interiore peccatorum detestatione, b) intentione pro iisdem Deo satisfaciendi et c) proposito novam vitam inchoandi.

Paenitentia vero externa, attento itidem usu loquendi ecclesiastico, consistit praesertim *in poenis externis ac satisfactoriis,* nempe in operibus

quibusdam luctuosis, laboriosis cruciatumque inferentibus, quatenus ex intentione satisfactionem pro peccatis exhibendi suscipiuntur.

Obitio operum poenalium ad paenitentiam externam pertinentium communissimo usu patrum, vocatur *actio paenitentiae.*

Ex definitione modo data intellegitur a) signa doloris, puta fletum, lamenta et alia ejusmodi, eatenus tantummodo pertinere ad paenitentiam externam sensu illo ecclesiastico principaliori intellectam, quatenus ex intentione satisfactionem pro peccatis exhibendi assumuntur. Sane signa externa doloris non sunt solummodo attestativa illius doloris quem aliquis jam interius persentiscit, sed magnam etiam vim habent ad majorem dolorem tristiamque inferendam, suntque eatenus opera vere poenalia. Intellegitur itidem b) opera externa bona, quatenus testatum faciunt aliquem suam voluntatem stabiliter in melius mutasse, non esse partem paenitentiae externae eodem illo sensu ecclesiastico principaliori intellectae. Quae tamen opera usu patrum vocantur *fructus paenitentiae.* Nempe ab eo qui operibus poenalibus paenitentiae publicae jam perfunctus esset, requirebatur antiquitus ut priusquam ad communionem readmitteretur, ederet per aliquod tempus *fructus paenitentiae* a se peractae, ostendendo se mores suos in melius mutasse. Idcirco autem emendatio vitae exterius se manifestans vocabatur hoc nomine plurali *fructus paenitentiae,* quia opera poenalia sponte suscepta tum ex insita sua vi tum etiam ex intentione ecclesiae ea praescribentis non habent solummodo vim satisfactoriam, sed etiam vim medicinalem.

Ne autem contingat errare in interpretandis patrum effatis de paenitentia, oportet distingui inter *fructum paenitentiae* singulariter acceptum et *fructus paenitentiae* pluraliter acceptos. Fructus videlicet paenitentiae pluraliter dicti, plerumque appellabantur a patribus, uti modo notatum est, opera emendationem vitae manifestantia. At fructus paenitentiae numero singulari usurpatus, communiter appellabantur ab iisdem *venia, pax* et *reconciliatio* paenitentibus post peractam paenitentiam concessa.

181. — Impraesentiarum nobis non est sermo de qualibet paenitentia externa quam aliquis sponte suscipere queat, sed de ea tantum quae consistat in poenis peccatoribus a ministris ecclesiae in satisfactionem pro peccatis antea commissis impositis. Eaque antiquitus duplex distinguebatur, *privata* nimirum et *publica.*

Paenitentia privata est ea quae a ministro ecclesiae peccatori eum dumtaxat in finem imponitur ut per eam Deo satisfiat, quaeque idcirco

eo saltem sensu privatim peragitur, quod, etiamsi forte consistat in operibus publice in conspectu aliorum hominum editis, puta in publicis eleemosynarum largitionibus, non tamen publice notificatur, in quantum habet rationem paenitentiae. De tali paenitentia patet eam unice pertinere ad forum paenitentiale internum.

Paenitentia publica est paenitentia quae a ministris ecclesiae peccatori eum in finem imponitur ut per eam satisfiat non solum Deo, sed ipsi etiam ecclesiae, quaeque idcirco coram coetu fidelium publice adhibitoque apparatu solemniori peragitur. De tali paenitentia patet eam pertinere ad forum paenitentiale externum. Dicitur etiam *paenitentia solemnis* propter apparatum in ea observari solitum, itidem *paenitentia canonica,* quia propter quaenam crimina suscipienda esset, quonam ritu obeunda esset, quaenam opera laboriosa sive privatim sive publice, ea durante, praestanda essent, quantum denique tempus durare deberet, accurate determinatum erat legibus quibusdam generalibus ac stabilibus sive ab episcopo loci sive a synodo aliqua editis, quae dictae sunt *canones.*

182. — Porro disciplinam paenitentiae publicae ex mente veteris ecclesiae eo spectasse ut per eam ipsi etiam ecclesiae satisfaceret peccator, patet tum ex canonibus veterum synodorum, v. g. ex capitulo 32 concilii Carthaginiensis III a. 397 celebrati, tum ex diserta attestatione patrum. Sic v. g. s. Augustinus, loquens de paenitentia publica, in Enchiridio, c. 65 : « Recte constituuntur, inquit, ab iis qui ecclesiae praesunt, tempora paenitentiae, ut fiat etiam satis ecclesiae, in qua remittuntur peccata. » Eodem spectant haec Caesarii Arelatensis verba, Hom. 1 in quadrages. : « Graves, inquit, causae et acriores et publicas curas requirunt, ut qui *cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modum cum plurimorum aedificatione se redimat.* »

183. — Porro propter hoc ipsum quod mos paenitentiae publicae idcirco inductus est ut ecclesiae etiam satisfieret, necessario **dicendum est** 1° *sola peccata notoria et publica obnoxia fuisse paenitentiae publicae.* Ratio est quod sola peccata publica possunt esse scandalosa et propter hoc vergere quandoque in tale detrimentum ecclesiae ut necessarium evadat non solum Deo sed etiam ecclesiae praestare satisfactionem pro damno ipsi illato. Ceterum veritas nostrae assertionis immediate patet ex canonibus veterum conciliorum et ex diserta asseveratione patrum. Sufficiat huc adduxisse unum alterumve testimonium s. Augustini. « Si peccatum alicujus, inquit s. doctor in Serm. 351, n. 9, *non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo sit aliorum,* atque hoc expedire

utilitati ecclesiae videatur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius ecclesiae agere paenitentiam non recuset, non resistat. » Et in Serm. 82 (olim 16 de verbis Domini), n. 10 : « Corripienda sunt, inquit, coram omnibus, quae peccantur coram omnibus, ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius. » Tum pergit dicere n. 11 : « Corripio in secreto (homicidam soli episcopo cognitum), pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo paenitentiam. Hac caritate praediti esse debemus... Sunt homines adulteri in domo sua ; in secreto peccant ; aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus ; nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. *Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.* »

184.—Falsi sunt ergo Arnaldus (De la communion fréquente) aliique auctores Jansenismo addicti vel in Jansenismum propensi qui docuerunt veteri ecclesiae solemne fuisse propter quodlibet peccatum mortale, sive esset publicum sive occultum, fideles baptizatos adigere ad agendam paenitentiam publicam. Qui praetextu relaxatam, uti aiebant, ecclesiae disciplinam ad pristinam severitatem reducendi, satagebant inducere disciplinam quae ad eorum usque tempora inaudita fuerat in ecclesia. Illud videlicet moliebantur ut nullus qui mortaliter peccasset, statim postquam suum crimen confessus esset, sacramentali absolutione donaretur, sed prius cogeretur gravia et diuturna opera satisfactoria praestare, quibus probaret serium se concepisse propositum vitam suam emendandi. Proptereaque praeter prius illud suum assertum quod modo falsitatis arguimus, nitebantur firmare hoc alterum assertum, nempe more veteris ecclesiae neminem qui post peractam confessionem publicae paenitentiae a sacerdote, conscientiae suae arbitro, subditus esset, a suis peccatis sacramentaliter absolutum esse, priusquam largum illud tempus quod paenitentiae publicae deputatum erat, decurrisset. Quod utrum antiquorum testimoniis efficaciter probari possit, postea videndum erit.

Falsi sunt etiam Alexander Natalis, Ludovicus Morinus aliique nonnulli eruditi galli saeculi XVII, qui tametsi fateantur paenitentiam publicam nullo umquam tempore fuisse obeundam in ecclesia nisi propter peccata mortalia atrociora, nimium tamen Jansenistis velificantur, cum contendunt veteres canones ita paenitentiam publicam graviorum criminum reis imposuisse ut nuspiam distinguerent inter crimina publica et crimina occulta.

185. — Dicendum est 2° *non quaelibet peccata mortalia, etiam publica*

et notoria, sed solummodo peccata quaedam atrocia, nempe idololatriam, moechiam, homicidium, et quae tribus hisce peccatis sunt affinia, lege veteris ecclesiae expianda fuisse paenitentia publica. Constat id tum a) ex Tertulliano, qui in libro De pudicitia, trium solummodo capitalium criminum meminit, nempe idololatriae, moechiae et homicidii, — tum b) ex Cypriano qui, quotiens paenitentiae publicae meminit, idololatras, libellaticos aut moechos ejus legibus adstrictos fuisse significat, homicidas proculdubio additurus, si, quod tractabat argumentum, id postulasset, — tum c) ex diserto testimonio Paciani. Hic videlicet pater ipsissimum hoc argumentum tractans quod modo versamus, in haec verba loquitur in Paraenesi ad paenitentiam, c. 3: « Ne quis existimet propter innumera delicta quorum fraudibus nullus immunis est, me omne hominum genus indiscreta paenitendi lege constringere. » Tum c. 4, postquam ostendere nisus esset epistula synodica ab apostolis ad gentes missa (Act. XV, 24, 25) prohiberi tria, nimirum idololatriam, homicidium et fornicationem, ita pergit dicere: « Despectus in multis Spiritus sanctus haec nobis capitalis periculi condicione legavit. *Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur.* Haec vero tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut letalis arundo, metuenda sunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convicium satisfactione pensabitur, tristitia jucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas et quaecumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei (idololatra)? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator?... Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia. » Tandem, postquam c. 5, gravitatem horum peccatorum multis exagerasset, proponit inde a c. 6 usque ad finem, eorum remedium, situm in paenitentia publica. Adde d) haec ab Augustino dicta in l. De fide et operibus, c. 19: « Qui [falso] opinantur cetera [peccata] eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera esse non dubitant et excommunicationibus punienda, donec paenitentia humiliore sanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. » Adde etiam e) quod in canonibus concilii illiberitani, severissimam sancientibus disciplinam, publicae paenitentiae addictus nemo legitur, nisi qui alicujus ex istis tribus criminibus reus esset.

186. Rursum autem ne in interpretandis patrum dictis errare contingat, advertendum hic est, longe aliter veteres quosdam accepisse discrimen inter peccata letalia et peccata cottidiana atque hodiedum mos est de tali discrimine disserere. Nempe *mortalia* sive *capitalia* ab eis dicebantur, non ut nos intellegere vulgo solemus, quaecumque statu

gratiae nos privant, sed hujus generis certa dumtaxat, quae cum graviora ceteris essent, tum vi canonum ac synodalium decretorum paenitentia publica eluenda. Unde eadem appellabantur etiam *peccata canonica*. *Leviora* vero, *cottidiana*, atque adeo *venia digna* ab iisdem dicebantur, sive quae nos venialia nuncupamus, sive alioquin mortalia, sed de quibus publice paenitentia agenda non esset. Ita loquitur Pacianus in loco supra adducto, ita Ambrosius, ita Augustinus, ita alii etiam patres. Sic v. g. s. Augustinus, in Serm. 352, n. 8, tractans de iis peccatis quorum reis indicitur paenitentia publica, quam luctuosam appellat: « Illa vero paenitentia, inquit, luctuosa est, grave vulnus est, adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, letale, mortiferum; sed omnipotens medicus. »

Illud etiam advertendum, quod eodem hoc loco s. Augustinus notat, eos solummodo qui publicae illi paenitentiae subjecti essent, proprie antiquioribus temporibus vocatos esse in ecclesia *paenitentes*.

187. — Porro actio paenitentiae illius publicae et solemnis semel dumtaxat in tota vita concedebatur. Certissimis id constat multorum patrum testimoniis. Ita videlicet summo consensu tradunt Hermas, auctor Pastoris, Mandat. IV, c. 1, n. 8; Clemens Alex., Strom. l. II, c. 13; Tertullianus, De paenit., c. 7; Pacianus, Epist. 3 ad Sympronianum Novatianum; Ambrosius L. II De paenitentia, c. 10; Augustinus, Epist. 54 ad Macedon.; Siricius papa, in Epist. 1 ad Himerium, Taracon. episc., c. 5. Sic Tertullianus, postquam multis dixisset de tentationibus diaboli quibus hominem a vitae prioris sceleribus baptismo expiatum, obsidet et oppugnat, haec subjungit: « Haec igitur venena ejus praevidens Deus, clausa licet ignoscentiae janua et intinctionis scra obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo paenitentiam secundam quae pulsantibus patefaciat: sed jam semel, quia jam secundo, *sed amplius numquam*, quia proxime frustra. » Sic etiam Ambrosius, l. c.: « Merito reprehenduntur, inquit, qui saepius agendam paenitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere paenitentiam agerent, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una paenitentia, quae tamen publice agitur. Nam cottidiani nos debet paenitere peccati, sed haec delictorum leviorum est, illa graviorum. » Rationem autem cur ex constitutione veteris ecclesiae publicam paenitentiam iterare non licuerit, s. Augustinus loco supra citato assignat, sic dicens: « Caute salubriterque provisum est ut locus illius humillimae paenitentiae semel in ecclesia concedatur, ne medicina

vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit. »

188. — Licet autem ii solummodo qui commisissent crimen aliquod canonicum notorium, ad paenitentiam publicam peragendam adigi possent, non omnibus tamen qui hujusmodi criminibus irretiti essent, haec paenitentia concedebatur. Nam ei qui conjugio alligatus esset, ea non concedebatur, nisi consentiente altero conjuge. Videtur etiam juvenibus tempus illius paenitentiae plerumque dilatum esse, donec ad maturiorem aetatem pervenissent. Clerici denique qui praedictorum criminum rei essent, non subdebantur paenitentiae publicae, sed exauctorabantur.

Iis vero qui nullum peccatum canonicum publicum admississent, concedi poterat actio paenitentiae publicae, si ipsimet sponte id postulassent, uti non uno in loco s. Cyprianus et s. Augustinus significant.

189. — Quod jam attinet ad formam paenitentiae publicae, inde a seculo tertio in usu fuit ut distinguerentur quattuor gradus sive stationes paenitentium, nempe a) fletus, b) auditio, c) substratio et d) consistentia. Legeque ordinaria non fiebat transitus a gradu inferiori ad gradum superiorem, nisi pertransitis gradibus mediis.

Flentium statio collocata erat in porticu quodam aut vestibulo qua ad ecclesiam erat iter. Qui in eo gradu agebant paenitentiam, reos se palam profitebantur fideliumque ad synaxes convenientium pedibus advoluti, supplicabant iis ut apud Deum, episcopum, clerum universamque ecclesiam pro ipsis intercederent.

Audientium statio erat in postica ecclesiae parte, a Graecis dicta νάρθηξ, ubi cum catechumenis psalmorum cantum, sacrae Scripturae lectionem et sermones episcoporum audiebant. Ubi autem ad missam catechumenorum deventum erat, una cum catechumenis facessere jubebantur.

Substratorum stationis locus erat inter audientes et fideles positus et ad ambonem usque in ecclesia protensus.

Qui in isto gradu consistebant, maxime proprie dicebantur paenitentes. Prosternebanturque in ecclesia ; unde nomen prostratorum ipsis adhaesit. Post missam autem catechumenorum manus eis imponebantur ab episcopo et a clero simulque preces quaedam super ipsos recitabantur. Deinde ante oblationem templo expellebantur. Per totumque hujus stationis tempus, quod saepe plurium erat annorum, paenitentibus imponebantur variae poenae atque opera laboriosa, puta jejunia, eleemosynae, abstinentia a lavacro, orationes etc..

Ad tertium hunc paenitentiae gradum videtur respexisse Tertullianus, quando in lib. De paenitentia paenitentiam definivit esse *prosternendi atque humilificandi corporis disciplinam.* Itidem eum maxime prae oculis habet Augustinus, quotiens paenitentiam publicam vocat *luctuosam et humillimam paenitentiam.* Significant etiam Cyprianus aliique exomologesin sive publicam peccatorum confessionem maxime ad hunc tertium paenitentiae gradum pertinuisse. Quod non ita intellegendum est ac si paenitentium in hac statione versantium peccata distincte ac singillatim coram coetu fidelium recitarentur. Verum ipso sui corporis habitu variisque operibus luctuosis atque humillimis quibus operam dabant, palam profitebantur paenitentes illi peccatores se esse.

Qui autem ex tertio hoc gradu ad quartum evaserant, desinebant esse proprie paenitentes. Quartus enim gradus, qui erat *consistentium*, eum praecipue in finem inductus fuerat ut qui operibus paenitentiae jam perfuncti essent, suorum morum mutatione probarent ecclesiae praepositis se fecisse dignos fructus paenitentiae. Locus autem hujus quartae stationis protendebatur ab ambone usque ad sanctuarium. Qui in eo consistebant, intererant publicis precibus et sacrificio cum fidelibus. Unde dicti sunt etiam *orantes.* Eo tamen discrimine separabantur a reliquo fidelium coetu quod in synaxibus *non communicabant eucharistiae.* Ex quo consequens erat ut *carerent etiam jure oblationis*, h. e. ut neque offerre possent neque pro ipsis sacerdotes offerrent. Fuit enim in ecclesia vetere solemnis ille mos uti fideles, quotiens ad synaxin accedebant, suas secum oblationes deferrent, hoc est panem et vinum, quae ante divina mysteria repraesentarent (cf. Cyprianus, lib. De opere et eleemosyn.). Erat autem jus illud oblationis duplex. Primum enim pro se offerrebant fideles ipsi non solum panem et vinum, ex quibus eucharistia conficiebatur, sed etiam alia munera quae in clericorum usus cederent, ac tum offerentium nomina recitabantur (Cf. Innocent papa, Epist. 25 (ad Decentium), n. 5 ; Hieronym., in cap. 18 Ezech.). Deinde pro ipsis offerrebatur seu vivis seu vita perfunctis. Hinc apud Cyprian., Epist. 9, *offerri* dicitur nomen eorum qui communioni restituebantur. Et Epist. 11, *offerri pro illis* et eucharistiam dari.

190. — Primus quattuor paenitentiae publicae graduum hactenus declaratorum distincte meminit s. Gregorius thaumaturgus, canone ultimo epistulae suae canonicae. Errat autem recens quidam auctor, quando in suo de sacramento paenitentiae tractatu asserit non satis constare utrum omnes ac singuli hi paenitentium gradus etiam in

ecclesia occidentali obtinuerint. Satis enim perspicue ad hos gradus alludit Ambrosius, lib. II De paenit, c. 7 : « Movebitur, inquit, misericordia (Christus), cum viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, et dicet : Ubi posuistis eum? Hoc est : *in quo reorum statu est, in quo paenitentium ordine ?* » Itidem stationis flentium meminit Tertullianus, Libro De pudicit, c. 3 ; stationis audientium concilium Ilerdense, can. 4, et concilium Valentinum, can. 1 ; stationis substratorum Tertullianus, in Lib. De paenit., Cyprianus, in Epist. 52 ad Anton., et alii patres latini passim ; stationis consistentium sive orantium Siricius papa, in Epist. 1 ad Himerium. Distincteque nominat secundum et tertium ex supra recensitis paenitentium ordinibus Felix papa III in Epist. 7ª, ubi de iis qui se rebaptizari passi fuerant, ita decernit : « Tribus annis inter audientes sint : septem autem annis subjaceant inter paenitentes manibus sacerdotum. »

191. — Uti autem supra monuimus, tempus per quod paenitentibus in singulis supra dictis stationibus manendum erat, accurate canonibus determinabatur. Variabatque illud tempus pro varietate criminum. Poteratque identidem pro arbitrio episcopi contrahi, si ingentem fervorem emendationis paenitentes proderent vel etiam aliis de causis. Ceterum, ubi agebatur de criminibus valde enormibus, tempus illud legitimum paenitentiae inde a medio saeculi III fuit longissimum. Contingebatque ut quidam atrocissimorum scelerum convicti usque ad finem suae vitae in ordine publice paenitentium permanere juberentur. Nec tamen omnes qui publica paenitentia defungi debebant, cogebantur hujusce paenitentiae professionem ab infimo gradu flentium auspicari. Sicuti etiam contingebat ut quidam ab inferiore gradu ad non continentem gradum superiorem, impertransitis gradibus mediis, eveherentur.

192. — Porro qui paenitentiam peracturi erant, peculiari quodam ritu ab episcopo vel a sacerdote legationem habente ad paenitentiam admittebantur. Sacerdosque talem ritum circa eum qui petiverat paenitentiam adhibens, dicebatur *dare actionem paenitentiae, dare paenitentiam, dare benedictionem paenitentiae ;* is vero qui petiverat paenitentiam, cum idem ritus circa ipsum adhibebatur, dicebatur *accipere actionem paenitentiae, accipere paenitentiam etc.* Praemissamque fuisse a paenitente suae per talem ritum in paenitentium classem admissioni distinctam suorum peccatorum confessionem patet ex Origene, Hom. 2, in psalm. 37, n. 6 ; Paciano, in Paraenesi ad paenit., cc. 6, 7, 8, 9 ; s. Ambrosio, De paenit., l. II, cc. 7 et 8 ; Augustino, in Serm. 351, c. 4 ; s. Leone, Epist. 168 ad episcopos Campaniae, c. 2. Porro ad praedictum ritum

pertinuisse tum impositionem manuum tum formulas quasdam precatorias docent canones vetustissimarum synodorum tam occidentalium quam orientalium.

Utrum vero, quamdiu viguit mos ille paenitentiae publicae, fas fuerit ecclesiae ministro peccatorem rite dispositum sacramentaliter absolvere eo ipsissimo tempore quo, praedicto ritu adhibito, eidem actionem paenitentiae dabat, an vero lege ordinaria absolutio sacramentalis differenda esset in tempus quo jam tota paenitentia imposita persoluta esset, postea dispiciendum erit.

193. — Porro qui actionem paenitentiae suscipiebant, ipsamet hac susceptione spondebant ecclesiae se ea legitime perfuncturos esse. Erat autem durissima obligatio quam sic contrahebant ; quocirca inventi sunt qui etiam in mortis periculo, si qua vitae spes interim adesset, actionem paenitentiae accipere detractarent. Siquidem, non modo paenitentiae tempore, sed ea quoque functis multa alioquin licita non permittebantur, aut aegre admodum magnaque cautione : veluti litigare, negotiari, redire ad saecularem militiam ; uti ex Leonis papae Epistula 167 constat. inquisit. 9, 11, 12. Et inquisit. 13 vix adolescentes post obitam paenitentiam uxorem ducere pontifex patitur. Ex quo apparet ratio cur juvenibus nonnisi perraro actio publicae paenitentiae concederetur (Cf. s. Ambros. De paenit., L. II, c. 11, nn. 104, 105). Itidem conjugatis, quamdiu in operibus paenitentiae publicae detinebantur, non licebat vacare operi conjugii, estque ea ratio cur ipsis nonnisi ex consensu utriusque partis actio paenitentiae publicae concederetur. Hinc can. 24 vetat Concilium Aurelianense III « ut ne quis benedictionem paenitentiae juvenibus personis credere praesumat; certe conjugatis, nisi ex consensu partium et *aetate jam plena,* eam dare non audeat ».

194. — Sicuti autem actio paenitentiae publicae solemni ritu initiabatur, ita etiam solemni ritu ei finis imponebatur. Qui videlicet laboribus hujus paenitentiae plene ac legitime perfuncti erant, reconciliabantur cum ecclesia, manibus eis ab episcopo impositis certisque precibus super eos recitatis. Manuumque impositio quae tum iis adhibebatur, vocatur a concilio Arausicano I, can. 3, *reconciliatoria manus impositio.* Vocatur etiam a suis effectibus *reconciliatio* (Siricius papa, Epist. 1ª ad Himerium, c. 3; concil. carthag. II, capp. 3 et 32), *altaris reconciliatio* (Augustinus, Epist. 228, n. 8 ; concil. carthag. II, cap. 4), *reconciliatio communionis* (Innocentius I, Epist. 6, c. 2), *pax* (Cyprianus, Epist. 52 ad Antonian.), *venia* (Cyprianus, ibid.), *remissio* (Cyprianus, libro De lapsis ; Innocentius I, Epist. 25, c. 7). Nomina tamen usitatis-

sima quibus haec paenitentium in integrum restitutio exprimitur, sunt *communio* seu potius *redditio communionis* (Ambrosius, l. I, De paenit. cc. I et 9 ; illiberitanum concilium passim in canonibus), *communicatio* (Cyprianus, Epist. II), *jus communicationis* (Cyprianus, Epist. II).

Jam duplex est explicanda ac decidenda controversia quae de modo quo potestas clavium a vetere ecclesia exercita fuerit, agitatur.

195. — *Prima controversia* est cum protestantibus, qui aiunt praeter a) praeconium verbi Dei quo et peccatoribus contritis denuntiantur promissiones evangelicae de remissione peccatorum et peccatoribus obstinatis annuntiantur comminationes aeternarum poenarum, et praeter b) admissionem ad baptismum vel exclusionem ab eodem, non apparere in vetere ecclesia usque ad initia saeculi IX alium potestatis ligandi ac solvendi usum nisi c) eum qui consisteret, quod quidem attinet ad actum ligandi, in quorumdam facinorosorum vel totali excommunicatione, si essent contumaces, vel coactione ad publice satisfaciendum pro suis peccatis, si facti essent paenitentes, quod vero attinet ad actum solvendi, in reconciliatione eorumdem paenitentium, postquam opera satisfactoria eis praescripta plene praestitissent. Jam vero reconciliationem illam quae post peracta exercitia paenitentiae publicae ab ecclesia peccatoribus concedebatur, non fuisse ex mente veteris ecclesiae absolutionem a peccatis, sed solummodo absolutionem a poena excommunicationis saltem partialis cui subditi erant quotquot erant in ordine paenitentium. Patereque id dupliciter. *Primo* ex fine ab ecclesia intento in subdendo facinorosos quosdam homines paenitentiae publicae. Hunc enim finem unice fuisse satisfactionem ecclesiae exhibendam, uti colligi aiunt tum a) ex diserta asseveratione patrum ac nominatim s. Augustini, — tum b) ex eo quod non alia peccata obnoxia essent paenitentiae publicae nisi ingentia quaedam ac publica facinora quae aut nomini christiano infamiam inferebant apud gentiles aut ceteris fidelibus labem conciliabant. Idem patere *secundo* ex variis nominibus quibus illa absolutio sive remissio significabatur. Vocibus quippe *pacis, reconciliationis, communionis* atque aliis hujusmodi solummodo significari redditam communionem sacrorum sive liberationem a poena excommunicationis antea ab ecclesia inflicta. Ecclesiam igitur novem priorum saeculorum ipsa sua praxi testatum fecisse sibi non competere potestatem remissivam peccatorum post baptismum admissorum, qualis haec a romanensibus defenditur. Sane si ecclesia talem potestatem sibi a Christo concreditam esse existimasset, futurum profecto fuisse ut eam in usum praxinque deduceret utque per conse-

quens per ministros suos iis etiam peccatoribus qui non tenerentur lege paenitentiae publicae, absolutionem suorum peccatorum impertiretur ; cujusmodi certe usus potestatis ligandi atque solvendi ne vestigium quidem in scriptis patrum vel in canonibus veterum conciliorum occurrat.

196. — *Secunda controversia* est cum theologis quibusdam catholicis, saeculi XVII praesertim. Hi non movent quaestionem de natura vel de amplitudine potestatis clavium a Christo ecclesiae concessae ; de his enim nemo catholice sentiens jam addubitaverit post definitiones concilii tridentini et post proscriptam a Pio V et Gregorio XIII hanc Baii propositionem : « Peccator paenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui paenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat, ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur. » Verum tota illorum theologorum disputatio est partim quidem de limitibus qui exercitio potestatis clavium primis rei christianae saeculis ex ecclesiae arbitrio praefiniti fuerint, partim vero de condicionibus quibus tunc temporis idem illud exercitium alligatum fuerit. Sunt autem duo eorum asserta principaliora.

197. — *Primum eorum assertum* est, in prisca ecclesia iis qui certis quibusdam facinoribus implicati essent, absolutionem sacramentalem vel in ipso articulo mortis denegatam esse, quia propter pericula persecutionum tunc saevientium id necessarium visum esset ad deterrendos animos fidelium a lapsu. Quod sic enucleatius explicatur :

198. — A) Usque ad initium seculi tertii iis qui post baptismum susceptum lapsi essent in peccatum idololatriae vel moechiae vel homicidii, omnis spes veniae ab ecclesia recipiendae funditus denegabatur. Infringi coepit hic disciplinae rigor sub Zephyrino papa qui uti colligere est ex Tertulliano, libro De pudicitia, moechis et fornicatoribus, postquam publicam paenitentiam egissent, indulgeri jussit (1). Quoad crimina tamen idololatriae et homicidii perseveravit prisca severitas usque ad tempora Cornelii papae. Tunc videlicet tum in concilio quod Cyprianus Carthagine adunaverat, tum in concilio multo numerosiore quod ab ipso Cornelio Romae est habitum, stabili lege constitutum est ut etiam iis qui in idololatriam lapsi essent, modo laboribus paenitentiae

(1) Probabilius longe est id quod censent plures recentiores tam catholici quam protestantes, episcopum illum romanum quem tamquam relaxatae veteris disciplinae reum in suo libro De pudicitia Tertullianus vellicat, non esse Zephyrinum, sed hujus successorem Calixtum.

publicae prius perfuncti essent, venia concederetur. — Prima hujus asserti pars certissime constat ex testimoniis Tertulliani et Cypriani. Etenim a) Tertullianus, in exordio sui libri De pudicitia invehitur in Zephyrinum papam, quia, solemni decreto edito, jussisset pontifex moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitti. « Audio, inquit, edictum esse propositum, et quidem peremptorium, pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto. » Ex hisce Tertulliani verbis concludendum est ante tempora Zephyrini papae moechis et fornicatoribus omnem aditum ad absolutionem sacramentalem praeclusum fuisse. Certissime vero b) colligitur assertum ex modo argumentandi Tertulliani. Ex eo enim redarguit Zephyrinum quod, cum tria sint gravissima scelera, idololatria, adulterium et homicidium, exclusis et in perpetuum rejectis duobus reliquis, solum adulterii crimen ad veniam exceperit: « Quid agis, inquit, lib. De pudicitia, c. 5 et 6, mollissima et humanissima disciplina (a Zephyrino inducta)? Aut omnibus eis hoc esse debebis; beati enim pacifici; aut si non omnibus, nostra esse (Montanistarum disciplina). *Idololatram quidem et homicidam semel damnas*, moechum vero de medio excipis, idololatrae successorem, homicidii antecessorem, utriusque collegam. Personae acceptatio est, miserabiliores paenitentias reliquisti. Plane si ostendas de quibus patrociniis exemplorum praeceptorumque caelestium soli moechiae et in ea fornicationi quoque januam paenitentiae expandas. » Et cap. 9: « *Hinc est quod neque idololatriae neque sanguini pax ab ecclesia redditur.* » Quibus verbis intendit concludere eamdem subesse causam cur neque moechiae concedatur venia. Insuper c) Cyprianus disertissimus testis est Montanistas non ea de causa pro haereticis habitos esse quod judicarent adulteros non esse recipiendos ad veniam, sed ideo tantummodo quod negarent esse in ecclesia potestatem dimittendi delicta etiam gravissima. Nam de hac moechorum venia etiam inter catholicos, salvo et integro manente inter illos vinculo unitatis, aliquid fuisse dissidii, sic ostendit in Epistula 52 ad Antonianum, n. 21: « Et quidem, inquit, apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt, *et in totum paenitentiae locum contra adulteria clauserunt,* non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicae ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de ecclesia separaretur. Manente concordiae vinculo et perseverante catholicae ecclesiae individuo sacramento, actum suum

disponit et dirigit unusquisque episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus. »

Altera vero asserti pars, nempe, quantum attinet ad crimina idololatriae et homicidii, antiquae disciplinae severitatem immutatam perseverasse usque ad tempora Cornelii, evincitur a) ex testimonio Cypriani. Cum enim in Deciana persecutione lapsi essent quamplurimi et ex lapsis nonnulli communionem immoderantius urgerent, Cyprianus, approbante clero romano, per statutum provisorium rem ita temperavit « ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativis eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemcumque praesentem vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque, exomologesin facere delicti sui possint, ut, manu eis in paenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace. » (Cyprianus epist. 13). Ex quo Cypriani constituto colligitur α) usque ad Cornelii tempora nullis lapsis veniam, ne in hora quidem mortis, fuisse concessam, et β) etiam tum eos lapsos qui libellos a martyribus non accepissent, ne in hora quidem mortis ad reconciliationem admissos fuisse. Et ratio sic colligendi est manifesta ; nisi enim prius dicatur, oporteret asserere Cyprianum novo suo constituto nihil prorsus contulisse iis lapsis qui a martyribus commendati essent ; nisi vero etiam posterius dicatur, asseverandum esset nullum discrimen Cyprianum suo constituto induxisse inter causam lapsorum qui libellos a martyribus impetrassent et causam lapsorum ceterorum. Quorum utrumque repugnare verbis Cypriani perspicuum est. Quod vero adhuc manifestius probat intentum b) sedata posthac persecutione creandique in urbe pontificis et habendorum conciliorum facta potestate, Cyprianus in Africa et Romae Cornelius stabili decreto in suis synodis constituerunt ut jam deinceps lapsi quilibet post peractam paenitentiam ad pacem reciperentur. Rem refert Cyprianus in Epist. ad Antonianum, n. 6 : « Persecutione, inquit, sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus episcoporum numerus... in unum convenimus, et scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod ecclesia sibi clauderetur, secuti saeculum, gentiliter viverent, nec tamen rursus censura evangelica solveretur ut ad communicationem temere prosilirent, *sed traheretur diu paenitentia... et examinarentur causae et voluntates et necessitates singulorum,* secundum quod libello continetur quem

ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui et ipse cum plurimis episcopis habito concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit. » Denique c) nisi ad tempora usque Cornelii lex ecclesiae habuisset ut lapsis in perpetuum reconciliatio denegaretur, non potuisset pax a Cornelio lapsis concessa praebere Novatiano praetextum desciscendi ab ipso atque ingens schisma conflandi. — Adde d) pertinetque id ad confirmationem dictorum, adde, inquam, quod summa illa priscae ecclesiae severitas non statim post inceptum pontificatum Cornelii ubique terrarum emollita est, sed in quibusdam provinciis, speciatimque in Hispaniis, diu admodum perseveravit. Testimonium reddunt hujus non imminuti rigoris canones concilii illiberitani, quod habitum est in Hispania, tempore Marcelli papae. Nam in primo canone ita patres constituunt : « Placuit ut quicumque post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idololatraturus accesserit et fecerit quod est crimen capitale, *nec in fine eum communionem suscipere.* » Rursus canone 2 : « Flamines qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverint, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus, cohaerente moechia, placuit eos nec in fine accipere communionem. »

199. — B. Non tamen inde ab incepto pontificatu Cornelii eousque relaxata est pristina ecclesiae severitas ut jam deinde nulli facinorosorum generi, saltem quando finis vitae instabat, non pateret aditus ad veniam. Verum toto saeculo tertio et majori parte saeculi quarti fuit ecclesiae consuetudo ne in praesenti quidem vitae discrimine absolutionem sacramentalem iis capitalium criminum reis concedendi qui in infirmitate dumtaxat actionem paenitentiae postulassent. — Assertum luculenter constat ex testimoniis Cypriani, concilii arelatensis et s. Innocentii papae I. Etenim a) Cyprianus, in Epistula 52 ad Antonianum, n. 23, postquam de decreto Cornelii papae leniorem disciplinam sanciente verba fecisset, significat ab iis lapsis de quibus in decreto illo agebatur, aliam fuisse ac separatam causam eorum qui nonnisi urgente mortis periculo paenitentiam coepissent postulare : « Idcirco, inquit, frater carissime, paenitentiam non agentes nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari ; quia rogare illos non delicti paenitentia

sed mortis urgentis admonitio compellit,nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. » Ejusdem severitatis a prisca ecclesia iis capitalium criminum reis adhibitae qui nonnisi in extremo vitae discrimine paenitentiam poscebant, testes se exhibent b) patres concilii arelatensis, quod anno 314 celebratum est. Sic videlicet decernunt canone suo ultimo : « De his qui apostatant et numquam se ad ecclesiam repraesentant, et ne quidem paenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate correpti, petunt communionem, placuit iis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus paenitentiae. » Quominus vero dicatur hanc fuisse quidem consuetudinem particularium quarumdam ecclesiarum, non tamen eam in universali ecclesia invaluisse, aut a romana ecclesia approbatam esse, obstant c) ea quae de re praesenti scripsit Innocentius papa I in Epist. 6ª ad Exsuperium, tolosanum episcopum data. Proposuerat summo pontifici hanc quaestionem Exsuperius : « Quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae et voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae paenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. » Quaestionem solvit Innocentius, distinctione facta inter antiquiorem ecclesiae disciplinam et disciplinam recentiorem. Quid habuerit veteris ecclesiae mos, ita perhibet : « De his observatio prior durior ; posterior, interveniente misericordia, inclinatior fuit. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur iis paenitentia, sed communio negaretur. » Durioris hujus instituti hanc rationem subjungit : « Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa paenitentia, ne totum penitus negaretur et duriorem remissionem fecit temporis ratio. » Posteriorem vero ecclesiae usum sic describit Innocentius : « Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam depulso terrore, communionem dari abeuntibus placuit et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis ut ne Novatiani haeretici, negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. » Tandem quaestioni ab Exsuperio propositae haec Innocentius applicat : « Tribuetur ergo cum paenitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. » Sane priore parte suae responsionis exhibet Innocentius disciplinam universae ecclesiae veteris ; non enim canonem vel decretum particularis alicujus synodi ipse simpliciter vocasset *priorem consuetudinem*. Nec dici potest nomine paenitentiae

quam hominibus illis nonnisi instante obitu paenitentibus ait vetere ecclesiae more concessam esse, intellegi ab ipso sacramentalem absolutionem. Hoc dici nequit, inquiunt, — tum quia veteris ecclesiae ritu absolutio et jus communionis indivise conjuncta erant, — tum quia veterem illum ecclesiae morem ferme aequiparat Innocentius Novatianorum duritiei, — tum quia communio de qua loquitur pontifex, ab aeterno exitio vindicabat.

200. — C. Etiam post tempora Cornelii ne in fine quidem vitae concessa est absolutio sacramentalis iis peccatorum capitalium reis, qui, acta publice paenitentia, in eadem vel alia peccata canonica relaberentur. Constat assertio a) ex eo quod, omnibus ferme patribus testibus, paenitentia publica nonnisi semel in tota vita concedi solita erat. Non enim dici potest, graviorum criminum reos quibus publicae paenitentiae aditus jam interclusus esset, potuisse emergere ad veniam beneficio privatae paenitentiae. Hoc dici nequit, inquiunt ; quia sic meliore fuissent conditione ii qui saepius in gravissima crimina incurrissent, quam ii qui semel dumtaxat ea patrassent, quod nullus sane prudens rerum aestimator concedet. Sane obitio paenitentiae publicae est poena multo acerbior multoque eapropter efficacior ad avocandos homines a relabendo in peccata quam obitio paenitentiae privatae. Si igitur ii qui paenitentia publica defuncti et in similia vel alia peccata canonica relapsi essent, potuissent denuo mediante paenitentia recurrere ad usum clavium ecclesiae, multo certe efficacius coercuisset ecclesia fideles a relabendo in peccata canonica, constituta in relapsos poena iterandae paenitentiae publicae, quam solummodo obligatione iisdem imposita sua peccata privata paenitentia eluendi. Et per consequens non modo inepte sed prorsus falso Augustinus aliique patres rationem cur paenitentia publica bis defungi non licuerit, ex eo assignassent quod medicina quam saepius usurpare fas esset, abiret in contemptum redderetur que propter hoc ipsum minus salubris. Quippe multo adhuc magis contemptibilis evasisset haec medicina paenitentiae publicae, si, postquam ea abusi essent, licuisset fidelibus, quotiens id libuisset, recurrere ad aliam medicinam multo minus amaram cum eodemque nihilominus effectu conjunctam, nimirum ad paenitentiam privatam. — Ceterum b) omnem aditum ad absolutionem sacramentalem funditus interclusum fuisse iis fidelibus qui, acta publice paenitentia, in eadem recurrissent peccata vel in alia canonica directe accipitur ex canonibus concilii illiberitani. Statuunt patres illiberitani canone suo tertio : « Si (flamines) non immolaverunt, sed munus tantum dederunt idolis,

placuit *in fine* iis praestari communionem, acta tamen legitima paenitentia. Item ipsi, *si post paenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius his non esse dandam communionem*, ne lusisse de dominica communione videantur. » Et canone 7 : « Si quis forte fidelis post lapsum moechiae, post tempora constituta acta paenitentia, denuo fuerit fornicatus, *placuit eum nec in fine habere communionem.* » — Verum c) manifestissime id quod hic colligere intendimus, accipitur ex s. Augustino, Epistula 153 ad Macedonium, n. 1. Scripserat ille ad s. Augustinum dubitare se utrum ex religione orta esset episcoporum consuetudo qui pro capitalium criminum reis apud judices saeculares intercedebant, ne morti addicerentur. Statum quaestionis ita exponit Augustinus : « Quaeris a me cur officii sacerdotii nostri esse dicamus intervenire pro reis et nisi obtineamus, offendi, quasi quod erat officii nostri, minime reportemus. Ubi vehementer te dicis ambigere utrum istud ex religione descendat. Deinde adjungis qua ratione ita movearis. Nam si a Domino peccata, inquis, adeo prohibentur, ut ne paenitendi quidem copia post primam paenitentiam tribuatur, quemadmodum nos (episcopi) possumus ex religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur ? » Certe si consuetudo fuisset in ecclesia post paenitentiam publicam semel peractam altera paenitentia privata iteratum scelus expiare et iterum absolvere peccatorem, nullus locus fuisset objectioni a Macedonio motae. Vel certe praesentissimam habuisset s. Augustinus occasionem colligendi ex ecclesiae more episcopos pro reis apud magistratus jure meritoque intercedere, quamvis saepius eadem scelera capitalia vel etiam graviora perpetrassent. Respondisset videlicet Macedonio ecclesiae antistites ipsam ecclesiam imitari, a qua fidelibus, quotienscumque in peccata canonica relapsi fuerint, concedatur absolutio, haud secus atque cum primum lapsi fuerant, eo solummodo servato discrimine quod primo peccantibus praemittenda sit absolutioni sacramentali paenitentia publica, secundo vero, tertio, quarto... peccantibus, praemittenda sit eidem absolutioni paenitentia multo levior, nempe paenitentia privata. At nihil hujusmodi respondet eruditissimus praesul, sed objectionem propositam diluit dicendo paenitentiam alteram negari quidem ab ecclesia justissimis de causis, id tamen non obstare quominus fideles qui, postquam paenitentia publica expiati fuerint, in eadem crimina vel in alia aeque gravia reincidant, veniam a Deo obtinere queant. Tum inducit unum ex horum peccatorum numero petentem ut aut sibi idem paenitentiae publicae locus iterato concedatur, aut, siquidem ipsi desperandum sit de venia, sinatur sese perdite

immergere illicitis voluptatibus hujus saeculi. Rursum autem frustra et inepte s. doctor hanc hominis post peractam paenitentiam iterati criminis rei postulationem proponeret, si tali homini non penitus obseratus fuisset aditus absolutionis sacramentalis. Nec vero, stante tali hypothesi, satis obvia ratione usus esset s. Augustinus ad extrahendum talem hominem a periculo desperationis. Jubet enim eum sperare veniam a Deo exspectante ad paenitentiam, cum tamen planiorem et efficaciorem attulisset rationem non desperandi, si ostendisset adhuc patere tali homini januam reconciliationis per usum clavium ecclesiae concreditarum. Sed praestat audire ipsa Augustini verba. « Quod si iniquis, inquit, et scelestis ille parcendo, iisque vitam salutemque largiendo, etiam plerisque eorum quos novit non acturos paenitentiam, tamen exhibet patientiam ; quanto magis nos (episcopi) in eos qui correctionem promittunt et utrum faciant quod promittunt incerti sumus, misericordes esse debemus ut rigorem vestrum (h. e. magistratuum saecularium), pro iis intercedendo flectamus, pro quibus et Dominum, quem nihil de moribus eorum etiam futuris lateat, non tamen impudenter, quia hoc ipse praecepit, oramus. In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam paenitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant ; et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum ; nec minus tribuit, quam ante tribuebat, largissima munera vitae ac salutis. *Et quamvis iis in ecclesia locus humillimae paenitentiae non concedatur*, Deus tamen super eos patientiae suae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat : Aut date mihi eumdem iterum paenitendi locum aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, et humanis legibus non prohibeor, in scortis omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili ; aut si me ab hac nequitia avocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrocissimae voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandam corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero, si me paenitendo vehementius quam prius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si caritate, quae operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius ; quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat : nihil tibi ista proderunt in posterum, vade, saltem vitae hujus suavitate perfruere ? Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam. Quamvis ergo caute salubriterque

provisum sit ut locus illius humillimae paenitentiae nonnisi semel in ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit ; quis tamen audeat dicere Deo : quare huic homini, qui post primam paenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstrinxit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod apostolus ait : ignoras quia patientia Dei ad paenitentiam te adducit. »

201. — Secundum assertum principalius auctorum praedicto modo ratiocinantium est de ordine qui antiquitus intercesserit inter actionem paenitentiae publicae et absolutionem sacramentalem. Aiunt videlicet lege ordinaria non fuisse concessam publice paenitentibus absolutionem sacramentalem, nisi post integre decursa omnia successiva stadia hujus paenitentiae. Pugnant autem hisce rationibus : a) sententia asserens absolutionem sacramentalem saepe datam esse eo ipso tempore quo dabatur actio paenitentiae, aperte excluditur a Cypriano, in Epist. 52, quae est ad Antonianum, ita scribente : « Miror autem quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putent lapsis paenitentiam, aut paenitentibus existiment veniam denegandam. » Ubi ita distinguit Cyprianus inter dationem paenitentiae et ipsam veniam, ut hanc significet non esse concessam nisi post ipsius paenitentiae exercitium. — b) Usu ecclesiae africanae nomine *exomologeseos* venit vel tota actio paenitentiae publicae vel saltem tertium ac praecipium hujusce actionis stadium, quod appellabatur prostratio. Patet id ex Tertulliano a quo exomologesis in libro De paenit. definitur esse *prosternendi ac humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiae illicem.* Jam vero Cyprianus quam saepissime in suis operibus significat non fuisse locum absolutioni sacramentali ante integre peractam exomologesin. Sic v. g. in Epistula 9, de lapsis loquens qui sine acta paenitentia contra fas a nonnullis presbyteris communioni redditi fuerant, sic expostulat : « Cum in minoribus peccatis agant peccatores paenitentiam justo tempore et secundum disciplinae ordinem ad exomologesin veniant, *et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant*, nunc crudo tempore (lapsi) ad communicationem admittuntur et offertur nomen eorum et, nondum paenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu iis ab episcopo et clero imposita, eucharistia illis datur. » Et Epistula sequente, quae est 11ª, factum sacerdotum qui praepropere lapsos reconciliabant, ita improbat : « Ante actam paenitentiam, ante exomologesin gravissimi atque extremi delicti factam, *ante manum ab episcopo et clero in paenitentiam impositam*, offerre

lapsis pacem et eucharistiam dare, id est sanctum Domini corpus profanare audent. » Ex quo ultimo testimonio dupliciter colligitur intentum. *Primo* ex eo quod Cyprianus asserit post factam exomologesin paenitentibus esse imponendas manus *in paenitentiam*. Nequit enim ibi nomine paenitentiae intellegi *actio paenitentiae* ad quam paenitentes per initialem manus impositionem deputabantur, quandoquidem juxta Cyprianum actio paenitentiae jam tota peracta erat, quando fiebat manus impositio in paenitentiam de qua ibi loquitur. Ergo nomine paenitentiae ibi intellegitur alia aliqua pars paenitentiae; haec porro neque est dolor de peccatis, neque etiam confessio peccatorum, cum horum unumquodque praesupponatur satisfactioni sive obitioni paenitentiae publicae; est ergo absolutio sacramentalis, ac proinde haec usu veteris ecclesiae conjungebatur cum impositione manuum reconciliatoria quae conferebatur in fine paenitentiae publicae. *Secundo* colligitur intentum ex eo quod secundum Cyprianum ii qui ante impositionem illam manuum, post peractam paenitentiam publicam conferri solitam, ad eucharistiam accedebant, indigne manducabant corpus Domini. Ex quo rursum colligitur usu veteris ecclesiae absolutionem sacramentalem non esse collatam paenitentibus ante impositionem manuum reconciliatoriam. Idem colligitur ex hoc alio Cypriani testimonio in libro De lapsis, n. 16 : « Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, *ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis numinis,* vis infertur corpori ejus et sanguini,.. pacem putant esse quam quidam verbis fallacibus venditant. » Ubi sine ulla ambiguitate declarat Cyprianus manuum impositionem quae, peracta paenitentia publica, dabatur, pertinuisse ad purgandam conscientiam, ac proin ita eam conjunctam fuisse cum absolutione sacramentali ut haec ante illam lege ordinaria non conferretur.

Nec vero dici potest ex testimoniis allatis colligi dumtaxat in ecclesia africana moris fuisse non dare absolutionem sacramentalem, nisi post peractam paenitentiam, non tamen inde inferri posse hanc fuisse consuetudinem universalem in ecclesia. Hoc dici nequit, aiunt auctores quorum hic sententiam referimus, quia, praeterquam quod Pacianus, in Epist. 1ª ad Sympron. et Ambrosius libro II De paenitentia, c. 9, idem docent quod Cyprianus, praedictam consuetudinem fuisse communem toti ecclesiae aperte perhibet s. Leo, in Epist. 108 ad Theodorum Forojuliensem episcopum, cap. 2 : « Mediator Dei et hominum Jesus Christus, inquit ibi pontifex, hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem ut et confitentibus actionem paenitentiae darent et eosdem salubri satis-

factione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. » Ubi distincte notat pontifex qualis ritu veteris ecclesiae fuerit ordo inter varias partes paenitentiae. Secundum ipsum videlicet primo fiebat confessio, tum dabatur actio paenitentiae, deinde ipsamet haec actio, h. e. satisfactio, praestabatur, ulterius dabatur absolutio sacramentalis quam vocat januam reconciliationis ac postremo concedebatur participatio mensae eucharisticae.

202. — Sententiam quam hactenus suis probationibus stipatam dearticulate exposuimus tenent Albaspinaeus (episcopus Aurelianensis), Ludovicus Morinus, Thomassinus, Sirmondus, Tournelyus et Natalis Alexander. Eidemque omnino adstipulatur Petavius in sua diatribe de paenitentiae vetere in ecclesia ratione, quam legere est in ejus Epiphaniis animadversionibus. At tacite se retractavit in diatribe quam inseruit editioni Synesii, ubi oppositam doctrinam defendit. Etiam Natalis Alexander eo dissentit ab auctoribus prius nominatis quod iis qui post actam paenitentiam relapsi essent, docet non esse denegatam absolutionem in fine vitae. In qua tamen doctrina defendenda iste auctor est varius vel saltem non satis consequenter loquitur. Nam in dissertatione De unitate paenitentiae, multis allatis argumentis sibi demonstrandum assumpserat « iis qui, acta publica paenitentia, in eadem vel nova crimina canonica relabebantur, *nedum publicae, verum etiam privatae paenitentiae aditum fuisse praeclusum.* » Concludensque argumentum quod pro hac altera propositione desumpserat ex epistula s. Augustini ad Macedonium : « Vide, inquit, *ut hujusmodi peccatores uni Dei misericordiae ac paenitentiae committit s. Augustinus*, paenitentiae vero privatae paratum ipsis subsidium altissimo premit silentio, *id nequaquam facturus, si post publicam paenitentiam eadem vel aeque gravia in crimina relapsi, privatae paenitentiae remedium ab ecclesia consecuti fuissent.* »

203. — Vix non supervacaneum est monere eamdem sententiam quoad omnes suas partes acriter propugnari a Jansenistis et ab horum signifero Arnaldo in opere : La fréquente communion. — Verum hi auctores multo adhuc longius progrediuntur. Uti enim jam supra monuimus, primum loco fundamenti praestruunt haec duo, nempe a) in prisca ecclesia omnia omnino peccata mortifera, sive essent notoria sive occulta, subdita fuisse paenitentiae publicae, et b) numquam usu veteris ecclesiae concessam esse peccatoribus absolutionem sacramentalem, nisi post praestitam ab ipsis satisfactionem, h. e. nisi prius integre decurrissent varia stadia paenitentiae publicae. Tum ex duabus hisce

propositionibus inferunt usum modernum dandi peccatori absolutionem statim postquam is sua delicta confessus fuerit et antequam satisfactionem sibi injunctam peregerit, abusum esse atque corruptelam adversantem tum legi Christi tum ipsi naturae sacramenti. Quae eorum doctrina proscripta est ab Alexandro VIII, propp. 16, 17 et 18 inter propositiones ab eo pontifice damnatas.

Propositio I.

Perpetua fuit veteris ecclesiae praxis peccata post baptismum patrata non modo in foro externo, sed praecipue in foro interno dimittendi, idque quantum ad ipsum reatum culpae in Deum commissae. Falsum proinde assumunt protestantes, quando ad demonstrandum doctrinam de potestate clavium sensu catholico intellectam non habere fundamentum in fide veteris ecclesiae, accipiunt ut factum historice certum numquam in prisca ecclesia remissa esse peccata nisi in foro externo dumtaxat, et quidem non aliter nisi quatenus haberent rationem offensae in ecclesiam commissae.

204. — Ut et sensus propositionis et ratio probationis pro ea adducendae percipiantur, tria praenotanda sunt.

Primum est, argumentis quae pro probatione thesis mox afferentur, directe tantummodo concludi viguisse in vetere ecclesia praxin remittendi, quantum ad reatum culpae in Deum admissae, ea peccata quae paenitentia publica expiabantur. Et quidem rationes cur in hisce argumentis non fiat directe respectus ad remissionem ceterorum peccatorum mortalium, in vetere ecclesia concedi solitam, sunt — tum a) quod ad id praestandum oporteret praeoccupare plures quaestiones, quae, attento debito ordine doctrinae, non nisi postea tractandae sunt, — tum b) quod veteres patres qui data opera de exercitio potestatis clavium scripserunt, intendebant refellere Novatianorum haeresin. Pro tali videlicet suo scopo, eo vix non necessario adducti sunt ut potestatem clavium potissimum defenderent, prouti haec exercetur circa peccata quae publice in vetere ecclesia expiabantur. Horum quippe tantummodo peccatorum condonandorum potestatem Novatiani ecclesiae abjudicabant. Si tamen constiterit factum esse historicum peccata quae publicae paenitentiae subdebantur, fuisse remissa a vetere ecclesia quantum ad reatum culpae in Deum admissae, poterit ex tali facto indirecte concludi etiam peccata mortalia quae paenitentia privata

expiabantur, fuisse a ministris veteris ecclesiae remissa quoad eumdem reatum culpae. Est enim par ratio utrobique. Nam peccata mortalia hujus posterioris generis eo quidem differebant a peccatis mortalibus prioris generis quod non erant notoria et valde scandalosa, estque ea ratio cur non, sicuti peccata illa alia, ipsa expiarentur et remitterentur in foro externo ecclesiae. In eo tamen peccata utriusque generis conveniebant, quod utrisque contrahebatur reatus culpae mortalis coram Deo. Quia ergo, uti mox demonstratum ibitur, peccata notoria et valde scandalosa, in quantum includebant reatum culpae in Deum commissae, subdenda erant ritu veteris ecclesiae foro interno ecclesiae ut ibi remitterentur coram Deo, concludendum est etiam cetera peccata mortalia propter eumdem reatum culpae, quem et ipsa inducebant, subjicienda fuisse ritu veteris ecclesiae foro interno ecclesiae, ut et ipsa ibi coram Deo remitterentur.

205. — *Secundo praenotandum* est, tripliciter posse intellegi cuipiam sua peccata condonari ab ecclesia. *Primo* id potest intellegi de peccatis praecise consideratis prouti habent rationem offensae erga ipsam ecclesiam. Et secundum talem modum considerationis peccata, quantum quidem attinet ad rationem offensae, intelleguntur remitti ab ecclesia per hoc quod ecclesia publice protestatur se peccatorem ad veniam recipere. Quantum vero attinet ad poenas quae rependendae sunt pro offensa ecclesiae illata, ipsa intelleguntur remitti per hoc quod ecclesia publice relaxat poenas ab ipsamet statutas in peccata. Talis itaque modus remittendi peccata pertinet tantummodo ad forum externum eodemque neutiquam attingitur ipsa anima peccatoris, quandoquidem eo non deletur macula peccati intus ipsam animam inficiens. *Secundo* potest intellegi cuipiam sua peccata condonari, quatenus vel partim vel totaliter relaxantur ab ecclesia poenae temporales, quae, post dimissam culpam coram Deo, adhuc a Deo vindice peccatori infligendae remanent. Quo pertinet usus indulgentiarum, qui et ipse est verus ac proprie dictus actus potestatis clavium. Talis etiam modus remittendi peccata pertinet si minus unice, saltem partialiter, ad forum externum ecclesiae. Et quamvis tali remissionis modo poenae peccato debitae vere *coram Deo* remittantur, eo tamen non magis quam primo remissionis modo attingitur anima hominis cui fit remissio. Et hoc propterea, quia priusquam locus possit esse tali modo remissionis, necesse est maculam culpae intus in anima existentem jam esse deletam. — *Tertio* potest intellegi cuipiam sua peccata ab ecclesia remitti, quatenus ei ab ecclesia haec sua peccata dimittuntur, prouti sunt

praecise offensa Dei, et quatenus per consequens relaxatur etiam ab ecclesia reatus poenae aeternae, quae peccato, prouti est offensa Dei, est debita. Et talis modus remittendi peccata unice pertinet ad forum internum, eoque ipsa anima peccatoris intus attingitur ; quandoquidem eo deletur reatus culpae intus per modum maculae in anima peccatoris existens.

Protestantes contendunt nonnisi primo ex tribus modis praedictis peccata ritu veteris ecclesiae dimitti solita esse. Nos vero sentimus tribus ac singulis modis praedictis peccata quae publicae paenitentiae obnoxia erant, ritu veteris ecclesiae dimissa fuisse. In praesentiarum tamen satis habemus asserere ea peccata solita esse in vetere ecclesia dimitti tertio modo, h. e. coram Deo et quantum ad reatum internum culpae. Utrum enim solemnis absolutio quae more veteris ecclesiae peccatoribus legitima paenitentia perfunctis in foro externo conferebatur, habuerit vim verae ac proprie dictae indulgentiae, disquirendum erit in tractatu de indulgentiis.

206. — *Tertio praenotandum* est, nos in argumentatione quam jam instauraturi sumus, omnino praescindere a quaestione utrum usu veteris ecclesiae daretur peccatoribus publicae paenitentiae addictis suarum culparum coram Deo absolutio eo ipso tempore quo accipiebant a ministro ecclesiae actionem paenitentiae, an vero haec absolutio daretur ipsis circa illud tempus quo publice reconciliabantur cum ecclesia, an denique ea ipsis daretur tempore aliquo intermedio quo nonnisi parte paenitentiae ipsis praescriptae perfuncti fuerant, puta post stationem fletus vel post stationem auditionis. A solutione enim hujus quaestionis, quae operosam investigationem historicam requireret, neutiquam pendet decisio controversiae quae modo contra protestantes tractanda est. — His itaque praemissis,

207. — **Probatur propositio I°** *ex occasione haeresis Montanistarum ac Novatianorum, quae fuit usus in ecclesia existens dimittendi peccata capitalia.* Nempe, uti constat ex fontibus historicis utrorumque haeresi coaevis, prius insurrexerunt Montanistae ac Novatiani in ipsam praxin ecclesiae condonandi peccata capitalia; et deinde, longius progressi, denegaverunt ecclesiae potestatem hujusmodi peccata condonandi. Unde tale effloresçit argumentum : Ecclesia primorum saeculorum non tam theoretice quam usu atque praxi sibi vindicabat eam remittendorum peccatorum potestatem quam Montanistae et Novatiani ei denegabant. Sed remittendorum peccatorum potestas quam Montanistae et Novatiani ecclesiae denegabant, erat potestas remittendi

peccata coram Deo et quantum ad reatum culpae. Ergo remissio peccatorum quae in usu et praxi veteris ecclesiae usurpabatur, erat remissio peccatorum coram Deo et quantum ad reatum culpae.

Minor hujus argumenti satis probata relinquitur ex secundo argumento quod factum est pro propositione quam capite praecedente asseruimus. Ad abundantiam tamen probationis hic addimus ejus demonstrationem demonstrationi propositionis majoris.

Probatur itaque utraque praemissa syllogismi propositi 1° ex *disputatione Tertulliani ex catholico facti Montanistae contra Zephyrinum papam.* Et primo quidem agebatur in ea disputatione de potestate dimittendi peccata fornicationis atque adulterii quae a) actu dimittebantur a Zephyrino. Talem namque potestatem negans Tertullianus, toto suo libro De pudicitia invehitur in Zephyrinum quod fornicariis ac moechis, paenitentibus factis, veniam et offerat et actu donet. Jamque primo sui operis exorsu ita causam suarum querelarum exponit : « Audio edictum esse propositum, et quidem peremptorium, pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto. » Tum in sequentibus ait ecclesiam indulgentia Zephyrini fieri speluncam fornicariorum ac moechorum, Zephyrinum praebere incentiva ad peccandum, ab ipso januam paenitentiae expandi moechiae et fornicationi, etc. Quae omnia profecto pertinent ad carpendum ipsum usum potestatis clavium. Refellensque argumenta quibus catholici pro sua causa pugnabant, refellit Tertullianus etiam illud eorum argumentum quod sumebatur ex eo quod oportet ecclesiam imitari suum institutorem Christum, qui peccatoribus etiam maximis sua delicta donabat. Quo argumento, uti manifestum est, defendebatur a catholicis *praxis* in ecclesia existens dimittendi peccata.

Ulterius b) haec peccatorum moechiae et fornicationis dimittendorum potestas, a Tertulliano negata, a Zephyrino vero non solum asserta sed etiam exercita, erat potestas dimittendi peccata quantum ad reatum culpae in Deum admissae. Tripliter id patet. *Primo* ex quodam catholicorum argumento et ex Tertulliani ad illud responsione. Ad defendendam potestatem dimittendi peccata a Montanistis negatam catholici, teste Tertulliano, ita argumentabantur : Non est agenda paenitentia quae caret venia. Sed de omni peccato est agenda paenitentia. Ergo nullius peccati paenitentia caret venia. Sed si ecclesia caret potestate dimittendi aliquod peccatum, illius peccati paenitentia caret venia. Ergo nullum est peccatum quod ab ecclesia condonari non possit.

Respondet Tertullianus negando minorem subsumptam et ultimam consequentiam, quia venia quae ab ecclesia concedi nequeat, possit obtineri a Deo, et quia per consequens falsum sit alicujus peccati paenitentiam in sententia Montanistarum carere venia. Addit tamen, si supponatur doctrina catholicorum de potestate dimittendi peccata ecclesiae concessa, omnino tenere eorum conclusionem. Jam vero nec argumentum catholicorum, etiam supposita eorum doctrina de potestate ecclesiae, revera concluderet, nec Tertullianus concessisset illud, stante tali suppositione, concludere, nisi catholici principii loco supposuissent omnia omnino peccata quae Deus paratus sit remittere quantum ad reatum culpae, posse etiam remitti ab ecclesia quantum ad reatum culpae. Nam tali principio supposito, necessario sequitur, si quod sit peccatum quod ab ecclesia remitti nequeat, illud esse simpliciter irremissibile et per consequens ejus paenitentiam carere venia. Contra, si catholici non supposuissent omne peccatum quod Deus paratus sit remittere, posse etiam remitti ab ecclesia, falsissima fuisset eorum illatio, uti per se est manifestum. At vero potestatem illam a Tertulliano negatam et in ecclesia catholica actu exercitam, fuisse potestatem dimittendi peccata quoad reatum culpae patet *secundo* ex eo quod ad refellendam sententiam catholicorum Tertullianus utitur hisce pharisaeorum verbis apud Marc. II, 7: « Quis dimittit peccata, nisi solus Deus? » (De pucidit., c. 21). Sed in eo textu agitur de potestate dimittendi peccata quantum ad reatum culpae. Talis ergo erat potestas dimittendi peccata quam ecclesia saeculorum II[i] et III[i] sibi vindicabat atque actu exercebat. Quod ceteroquin *tertio* manifestissime patet ex eo quod, teste Tertulliano, eam ecclesia catholica sibi vindicabat exercebatque condonandorum peccatorum potestatem quae a Christo in terris versante exercita fuerat, proptereaque postulat Tertullianus ut talem sibi competere potestatem ostendant catholici iisdem patratis miraculis quae Christus patrabat ad convincendum phariseos se habere potestatem dimittendi peccata. « Si Dominus, inquit, tantum de potestatis suae probatione curavit ut traduceret cogitatus et ita imperaret sanitatem ne non crederetur posse delicta dimittere, *non licet mihi eamdem potestatem in aliquo sine iisdem probationibus credere.* »

Probantur praemissae argumenti facti 2° *ex disputatione catholicorum cum Novatianis.* Nam a) uti refert Cyprianus in epistula 52 ad Antonianum, Novatiani eo praetextu schisma fecerunt quia ecclesia lapsos in idololatriam recipiebat ad veniam. Ipsi videlicet negabant ecclesiam habere potestatem ignoscendi hoc peccatum idololatriae. Proindeque

etiam cum Novatianis erat controversia de ea ignoscendorum peccatorum potestate quae actu exercebatur in ecclesia. Jam vero b) manifestis Cypriani, Paciani ac Ambrosii testimoniis liquet potestatem hanc fuisse potestatem dimittendi peccata quantum ad reatum culpae. Sane Cyprianus in Epistula illa 52 ad Antonianum, nn. 27 et 29, testatur negari a Novatianis et concedi ab ecclesia ministerio suorum sacerdotum eam veniam quam Deus in scripturis vere paenitentibus promittit. Cujusmodi venia est procul dubio remissio peccatorum quantum ad reatum culpae. « Neminem putamus, inquit Cyprianus, *a fructu satisfactionis* et spe pacis arcendum ; *cum sciamus juxta scripturarum divinarum fidem*, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam paenitentiam peccatores redigi, *et veniam atque indulgentiam paenitentibus non denegari...* Quod si invenimus (in scripturis) a paenitentia agenda neminem debere prohiberi *et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi,* admittendus est plangentium gemitus et paenitentiae fructus dolentibus non negandus. » Pacianus vero et Ambrosius inducunt Novatianos ecclesiae catholicae objicientes quod baptizatis eam concedat peccatorum remissionem quae non possit concedi nisi in solo baptismo. Ex quo rursum est manifestum veterem ecclesiam sibi vindicasse atque actu exercuisse potestatem peccata condonandi quantum ad reatum culpae ; quoad talem enim reatum peccata condonantur in baptismo. Verba sunt Paciani in Epistul. 3 ad Sympron., c. 7 : « Sed paenitenti, inquies, *peccata dimittis*, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in baptismate donat admissum et paenitentium lacrymas non repellit. Ceterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini. » (Cf. Ambros., De paenit., l. I, c. 8).

208. — **Probatur** propositio principalis II° ex eo quod, testibus patribus priorum saeculorum, venia quae paenitentibus in prisca ecclesia concedebatur, illud efficiebatur ut paenitentes illi liberarentur ab aeterno exitio. Talis autem venia est remissio peccati quantum ad reatum culpae in Deum admissae. Sic v. g. Augustinus, loquens in Epist. 228, n. 8, de anxia fidelium cura prospiciendi suae saluti, ubi instat ingens aliqua strages, v. g. in obsidione urbis : « An non cogitamus, inquit, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam paenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? *Ubi si ministri desint,*

quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati. »

209. — Ad 1m protestantium argumentum desumptum ex eo quod paenitentia publica unice ordinabatur ad satisfaciendum ecclesiae, concludensque ex tali fundamento etiam fructum hujus paenitentiae fuisse unice reconciliationem cum ecclesia, **respondetur,** *negando assumptum.* Falsum est videlicet paenitentiam publicam unice ordinatam fuisse ad satisfaciendum ecclesiae. In paenitentia quippe publica duo distinguenda sunt, nempe a) ipsa actio paenitentiae et b) obitio publica istius actionis in facie ecclesiae. In quantum erat praecise actio paenitentiae, paenitentia publica non ordinabatur tantummodo ad satisfaciendum ecclesiae, sed vel maxime ad satisfaciendum Deo. Et hoc omnia ferme testimonia patrum qui de hac paenitentia tractant, loquuntur, v. g. ea testimonia quae paulo superius ex Cypriano recitata sunt. Ideoque et paenitentia illa dicebat ordinem ad forum internum. Nam et post auditam peccatorum confessionem injungebatur a ministro ecclesiae in foro interno, et si dilata fuisset absolutio sacramentalis, per eam disponebatur paenitens ad absolutionem hanc condigne recipiendam. Quatenus vero obitio actionis paenitentiae fiebat publice, h. e. in conspectu totius ecclesiae, eatenus ipsa ordinabatur ad satisfaciendum etiam ecclesiae.

Sub distinctione modo explicata *neganda est etiam conclusio argumenti protestantium.* Quemadmodum enim, uti ostensum est, actio paenitentiae publicae dicebat ordinem non solummodo ad forum externum, sed etiam ad forum internum, ita etiam in duplici foro dabatur publice paenitentibus absolutio, nempe a) in foro interno, et haec erat absolutio sacramentalis, remittens peccata coram Deo et quantum ad reatum culpae, et b) in foro externo, et haec erat absolutio relaxativa poenarum et reconciliativa cum ecclesia.

210. — Ad alterum protestantium argumentum desumptum ex eo quod absolutio quae in fine paenitentiae publicae dabatur, significatur a patribus et conciliis verbis solummodo sonantibus reconciliationem cum ecclesia et relaxationem poenarum ab ecclesia inflictarum, **respondetur,** *negando suppositum.* Falso nimirum supponunt protestantes praeter absolutionem solemnem quae, peracta paenitentia, dabatur publice paenitentibus in foro externo, non esse iisdem datam more veteris ecclesiae aliam absolutionem in foro interno. Hujus quippe oppositum a nobis demonstratum est. Quamobrem, dato et non concesso hisce vocibus *pacis, reconciliationis, juris communicationis* atque aliis ejusmodi solummodo designari reconciliationem cum ecclesia et rela-

xationem poenarum, nihil tamen inde concluditur contra nostram sententiam. Occurrunt quippe apud patres alii modi loquendi quibus manifestum est significari vel ipsam absolutionem a peccatis in foro interno vel praesuppositionem talis absolutionis ad absolutionem quae dabatur in foro externo, vel denique conjunctionem unius absolutionis cum alia.

Propositio II.

Nullo umquam tempore viguit in universali ecclesia praxis capitalium facinorum reos ab actione paenitentiae et ab absolutione sacramentali funditus excludendi.

211. — Assertio ponitur contra theologos supra nominatos, dicentes in primaeva ecclesia usque ad tempora Zephyrini papae omnes omnino capitalium facinorum reos, inde vero ab incepto pontificatu Zephyrini usque ad tempora Cornelii, solos jam homicidas et idololatras ab omni spe recipiendi absolutionem sacramentalem exclusos fuisse.

Solummodo autem intenditur thesi negari memoratam praxin unquam sancitam fuisse lege aut saltem consuetudine sive ecclesiae universalis, sive ecclesiae romanae. Utrum vero neque in ecclesia aliqua particulari quae sit alia ab ecclesia romana, viguerit aliquando illa praxis, thesi indecisum relinquitur. Censemus tamen propter vigilantiam quam pro supremo suo munere rectorio episcopi romani semper exercuerunt super singulas ecclesias particulares, impossibile esse ut memorata praxis, etiamsi aliquamdiu in ecclesia aliqua particulari invaluerit, ibi diu perseveraverit.

212. — Sententiam autem quae thesi proxime enuntiata et duabus thesibus sequentibus impugnatur, existimamus non modo omni solido fundamento destitui, sed esse periculosam in fide propter duo. *Primo,* quia, stante tali sententia, pronum est concludere absolutionem quae usu veteris ecclesiae peccatoribus concedi solita esset, non fuisse reconciliatoriam cum Deo, sed cum ecclesia dumtaxat, proptereaque talem absolutionem non valuisse nisi pro foro externo. Recte enim consideranti patebit nonnisi spem veniam suorum peccatorum in foro externo obtinendi potuisse ab ecclesia gravibus de causis omnino praecidi ingentium quorumdam flagitiorum reis. *Secundo* videtur praedicta sententia esse periculosa in fide, quia videtur ex ea esse consequens ecclesiam universalem sive catholicam non esse infallibilem in re disci-

plinari. Quae enim ecclesia sancit praxin aliquam adversantem vel doctrinae fidei vel regulae morum, illa non est infallibilis in re disciplinari. Jam vero praxis qua de quaestio movetur, videtur adversari tum regulae fidei tum etiam regulae morum. *Regulae quidem fidei,* quia videtur fundari in errore doctrinae fidei contrariante. Nempe propter hoc ipsum quod potestas remittendi peccata non est collata ecclesiae nisi propter salutem peccatorum in ecclesia existentium, Christus ipsissimo facto quo talem potestatem ecclesiae contulit, exercite protestatus est se imponere suae ecclesiae strictissimam obligationem utendi hac sua potestate ad fideles qui letaliter peccavissent, a suis peccatis absolvendum. Hujus autem oppositum oportuisse praesupponi a praepositis ecclesiae qui praedictam praxin sua auctoritate sanxissent, manifestum est. *Regulae* vero *morum* videtur adversari praedicta praxis, quia adimit peccatoribus media salutis a Christo instituta impellitque eos in desperationem et in propositum neque modum neque terminum ullum suis peccatis praescribendi. Certe omnibus his rationibus pugnant patres contra Novatianarum praxin, quibus tamen, si vera esset sententia adversariorum, vetus ecclesia praebuisset exemplum duritiei quod imitarentur.

Ex modo animadversis accipitur generale argumentum, quasi a priori evincens falsam esse illam quorumdam eruditorum saeculi XVII opinionem quam thesi proxime enuntiata et duabus thesibus sequentibus excludere intendimus. Haud difficile tamen fuerit eam ex factis historicis et ex veterum scriptorum expressis testimoniis refellere.

213. — Scilicet A quantum attinet ad disciplinam quae ab apostolis inducta est et tota certe aetate apostolica in ecclesia obtinuit, **probatur propositio** 1° *ex testimoniis scripturarum.* Procul dubio capitale crimen incurrerat incestuosus ille quem I Cor. V, apostolus tradidit Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu. Et tamen hominem hunc absolvit apostolus post annuam paenitentiam, uti habetur II Cor. II. Generatimque significat apostolus nullis se fornicariis qui paenitentiam egerint, denegaturum esse veniam. Ita enim scribit II ad Corinthios, XII, 21 : « Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos et lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non egerunt paenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt. » S. Joannes in Apocalypsi, II, 20-22, pollicetur veniam lapsis in actum idololatriae et fornicariis qui paenitentiam agere voluerint. Qui et ipsi erant profecto capitalium facinorum rei. Verba sunt a Christo loco citato ad Joannem directa : « Angelo thyatirae ecclesiae

scribe... novi opera tua et fidem et caritatem,... sed habeo adversum te pauca : quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit prophetam, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idololythis. Et dedi illi tempus ut paenitentiam ageret, et non vult paenitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, et qui moechantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi paenitentiam ab operibus suis egerint. »

Accedit 2° ad haec scripturarum testimonia *celebre Joannis factum quod ex Clemente Alexandrino refert Eusebius,* L. III Hist. eccl., c. 23. S. Joannes, ex insula Patmos reversus, adulescentem ingenuum et venustum commendaverat episcopo alicujus civitatis in Asia. Is juvenem pie instituit ac baptismo initiavit. Sed cum erga illum de pristina cura nonnihil remisisset, a pietate juvenis defecit, atque a ganeonibus depravatus, dux praedonum evasit atque in omne flagitiorum genus praeceps ruit. Illam forte civitatem lustrans Joannes, carissimum ab episcopo repetiit depositum, a quo miserrimum juvenis lapsum cum didicisset, equum ascendit et confestim perrexit ad locum quem praedo cum nefaria sui similium turba insederat. Illum ut conspexit juvenis, fugit, fugientem Joannes insecutus est, vocibus plenis misericordiae stetit, lacrymantem complexus est, ad episcopum reduxit, et paenitentia expiatum ecclesiae ante suum discessum restituit. Juvenis ille, utpote multis homicidiis inquinatus aliisque facinoribus pollutus, erat profecto multorum capitalium criminum reus. Et tamen ad veniam breve post tempus a Joanne receptus est.

214. — Quantum vero attinet B ad tempora quae ab aetate apostolica usque ad episcopatum Cornelii papae decurrerunt, **probatur propositio** *ex testimoniis scriptorum ecclesiasticorum qui decursu illorum temporum floruerunt.*

1° Apud Hermam, in lib. Pastoris, mandato IV, paenitentia et post paenitentiam venia ex mandato angeli quibuslibet peccatis ac speciatim peccato moechiae conceditur. Quod certe non scripsisset Hermas, si tempore quo floruit, h. e. saeculo II, in universali ecclesia viguisset mos absolutionem sacramentalem capitalium criminum reis penitus denegandi. Vel saltem si ea quae de venia omnibus peccatoribus concedenda Hermas loco citato perhibet, pugnassent cum universali disciplina ecclesiae ipsius temporis, fieri non potuisset ut, quemadmodum revera contigisse novimus, ejus liber summo in pretio apud ecclesias primorum saeculorum haberetur. Quod probe perspexit Tertullianus, qui propterea, postquam ad Montanismum desciverat,

elevare nisus est auctoritatem praedicti libri, asserens in suo libro De pudicitia, c. 10, « scripturam Pastoris, *quae sola moechos amat,...* ab omni concilio ecclesiarum inter apocrypha et falsa judicari, » ibidemque per contemptum eum appellans « *apocryphum pastorem moechorum.* »

2° s. Irenaeus, in lib. 1 Adversus haereses, c. 13, n. 5, refert mulieres quasdam a Marco haeresiarcha construpratas, exomologesi facta, in ecclesiam receptas esse.

3° Inter canones qui dicuntur vulgo apostolici quorumque collectionem esse pervetustam rigidiores etiam critici fatentur, canon 51^us^ ita perhibet : « Si quis episcopus aut presbyter a peccato revertentem non recipit, deponatur, quoniam Christum molestia afficit, qui dixit : gaudium est in caelo propter peccatorem paenitentiam agentem ».

215. — Quod speciatem attinet C ad ecclesiam romanam, **probatur propositio** 1° *ex epistulis quae, vacante sede post martyrium Fabiani papae, datae sunt a clero romano ad ecclesiam africanam.* Quarum secunda, quae est ad Cyprianum, lapsorum in idololatriam causas in suspenso manere decernit ad novi usque pontificis electionem, iis tamen qui in supremo vitae discrimine constituti fuerint, absolutionem dari jubet, si vere paenitentis animi signa ediderint. En verba cleri romani num. 8 citatae epistulae, quae inter Cyprianicas est 31^a^ : « Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quaerentes, diu et quidem multi et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius (decianae) ardor ejecerat, *ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus,* sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus ; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur ; eorum autem quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta paenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrimis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere paenitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat et qualiter judicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem nec vere paenitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. » Scribebantur haec a clero romano versus medium saeculi III^i^ ante evectionem Cornelii ad pontificatum et ante exortam haeresim Novatiani. Duo autem speciatim observanda sunt ut appareat quomodo ex hisce memorati cleri verbis concludatur intentum. *Primum* est, clerum

romanum satis aperte testari antiqui fuisse moris ut saltem lapsis moribundis absolutio sacramentalis concederetur. Nam a) *asserit se nihil innovare* et b) si praxis contraria usque ad haec tempora vel saltem non ita pridem in ecclesia romana obtinuisset, eam non appellasset hujus ecclesiae clerus *duram crudelitatem. Secundo* notandum est, praedictis verbis decerni a clero romano ut eorum lapsorum qui de vita non periclitabantur, *causa in suspenso maneat,* donec novus pontifex eligatur. Quae verba, si attendatur ad adjuncta in quibus haec scribebantur, satis manifeste innuunt antiqui fuisse moris in ecclesia romana, uti et in ecclesiis africanis, ut lapsi, non in hora exitus tantum, sed statim postquam aliquamdiu paenitentiam egissent, ad veniam reciperentur. Sciendum est videlicet in persecutione deciana ingentem christianorum numerum, in Africa praesertim, metu tormentorum adactum, in idololatriam lapsum fuisse. (Cf. Cyprianus, lib. De lapsis, in princip.). Hi porro lapsi, libellis martyrum freti, non tam petebant quam minaciter postulabant ut statim, sine ulla paenitentia praemissa, communioni restituerentur (Cf. Cyprianus epp. 9-15). Porro tantummodo quantum attinet ad hanc eorum petitionem, jussisse clerum romanum ut eorum causa in suspenso teneretur multipliciter patet. Etenim a) significat clerus romanus velle se ut, donec eligi potuerit pontifex, denegetur iis lapsis quorum vita non periclitabatur, idipsum quod lapsis moribundis jubet statim indulgeri. Id autem erat non modo plena, sed immediata cum ecclesia reconciliatio. Non ergo decernebatur provisorio illo cleri romani decreto ut differretur venia eorum lapsorum qui jam legitima paenitentia perfuncti essent. Sane b) fieri prorsus non poterat ut ii lapsi quorum causa in suspenso tenebatur, jam ante electionem pontificis, quae in proximo erat, legitima paenitentia perfuncti essent. Unde rursum concluditur decreto cleri romani non illud constitutum esse ut lapsis, legitima paenitentia perfunctis, venia denegaretur. Ceterum c) haec conclusio manifestissime eruitur ex collatione decreti quod modo examinamus, cum priore epistula ejusdem cleri romani. In hac epistula, quae propter absentiam Cypriani, qui Carthagine aufugerat, directa fuerat ad clerum carthaginensem, docet clerus romanus qua ratione durante persecutione agendum sit erga diversa christianorum genera. Jubet autem ibi ut iis lapsis qui morbo correpti non fuerint, concedatur paenitentia et post peractam paenitentiam ipse paenitentiae fructus, qui est indulgentia sive venia. Asseritque hunc esse morem ecclesiae romanae. Quia ergo in posteriore sua epistula, ad Cyprianum scripta, testatur idem clerus *nihil se velle innovare,* necesse est dicere

causa quae posteriore hac epistula decernitur esse tenenda in suspenso, non illud fuisse disceptatum utrum lapsis post actam paenitentiam concedenda esset venia, sed illud tantummodo utrum iisdem, etiamsi nullum intercessisset mortis periculum, statim et sine praemissa paenitentia concedenda esset plena cum ecclesia reconciliatio. Verba sunt cleri romani in priore illa epistula, quae est 2ª inter Cyprianicas, nn. 2 et 3 : « Ecclesia [romana] stat in fide, licet quidam terrore ipso compulsi, quod essent insignes personae, sive apprehensi timore hominum, vererentur. Quos quidem *separatos a nobis* non derelinquimus; sed ipsos cohortati sumus et *hortamur agere paenitentiam, si quomodo indulgentiam potuerint obtinere ab eo qui potest praestare;* ne, si relicti fuerint a nobis, pejores efficiantur. Videtis ergo, fratres, *quoniam et vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt (in idololatriam), hortatu vestro corrigentes animos eorum, si apprehensi fuerint, confiteantur iterato, ut possint priorem errorem corrigere.* Et alia incumbunt vobis, quae etiam et ipsa subdidimus: ut si qui in hanc tentationem (idololatriae) inciderunt, coeperint apprehendi infirmitate et agant paenitentiam facti sui et desiderent communionem, utique subveniri iis debet (1). »

216. — Probatur propositio 2° de eadem ecclesia romana *ex testimonio multo antiquiore auctoris* φιλοσοφουμένων. Fuit hic auctor, uti ex iis quae a se acta esse perhibet, liquet, coaevus Zephyrino papae hujusque successori Callisto, pertinebatque ad episcoporum ordinem, et, mortuo Zephyrino, propriam quamdam sectam conflavit, differentem quidem a Montanistarum secta, sed in eo cum his haereticis convenientem quod teneret capitalium criminum reis omnem spem veniae praecidendam esse. Porro tum ex causa discessionis hujus auctoris ab ecclesia, tum etiam ex iis quae de Callisto narrat, discimus quaenam circa capitalium criminum reos fuerit ecclesiae romanae disciplina versus finem saeculi IIⁱ et initium saeculi IIIⁱ. Criminatur scilicet scriptor τῶν φιλοσοφουμένων Callistum quod et potestatem sibi vindicaret dimittendi peccata et omnibus peccatoribus indiscrete veniam offerret. « Cum talia, inquit, deceptor iste (Callistus jam factus pontifex) ausus esset, scholam instituit adversus ecclesiam, ut ita doceret [nempe consubstantiales esse tres personas

(1) Quid sit *subveniri lapsis* qui infirmitate apprehensi fuerint, patet ex verbis quae, paucis interpositis, sequuntur in epistula citata. « Sed et catechumeni, apprehensi infirmitate, pergit dicere clerus, decepti esse non debebunt, *ut eis subveniatur* ». Certe catechumenis subveniebatur in hora mortis, administrato iis baptismo, quo consequebantur plenam peccatorum remissionem. Ergo et lapsis qui infirmitate apprehensi fuerint, vult subveniri clerus romanus remissione peccatorum iis indulta, quae remissio confertur absolutione sacramentali.

divinas; cum haereticus iste scriptor teneret doctrinam consimilem ei quam postea ecclesia damnavit in Ario]; hominumque pravis cupiditatibus indulgere primus molitus est, *dicens a se peccata omnibus remitti. Quodcumque enim scelus christianus ab alio seductus commiserit,* dicunt [pertinentes ad scholam Callisti, h. e. catholici] id ei non imputatum iri, dummodo ad scholam Callisti se contulerit. Qua definitione delectati multi, cruciatam habentes conscientiam et a multis haeresibus repudiati, immo et nonnulli ecclesia judicio a nobis lato ejecti, ad discipulos ejus accesserunt, scholam ipsius complentes... Auditoresque ejus, placitis ejus delectati, *etiamnum ea tenent*, sibimetipsis illudentes aliisque pluribus, quorum turbae ad scholam ejus certatim currunt. Itaque crescunt glorianturque numero suorum asseclarum, attractorum propter voluptates quibus interdixit Christus. Quem contemnentes, neminem a peccato prohibent, dicentes *posse seipsos peccata dimittere bene sentientibus*... Post tales ausus, semetipsos impudenter catholicam ecclesiam nuncupare aggrediuntur... Talia peregit admirabilis ille Callistus, cujus perstat schola, mores magistri servans et traditiones omnes, *neque discernens quibusnam sit communicandum et omnibus temere offerens communionem.* » Ex ultimis verbis apparet scripta haec fuisse sub pontificatu Pontiani vel Fabiani, successorum Callisti; proindeque dicendum est saltem a finiente saeculo II° perpetuam fuisse ecclesiae romanae praxin nullum delictorum genus a spe veniae excludendi. Verum neque saeculo II° aliam in eadem ecclesia obtinuisse praxin jam testimonio omni exceptione majori ostensuri sumus.

217. — **Probatur** scilicet **propositio 3°** de ecclesia romana et ecclesia carthaginensi simul *ex testimonio Cypriani,* in Epistula 52 ad Antonianum data, in qua praxin Novatiani damnans, qui lapsis veniam denegabat: « Miror, inquit, quosdam sic obstinatos esse, *ut dandam non putent lapsis paenitentiam aut paenitentibus existiment veniam denegandam*, cum scriptum sit: Memento unde cecideris et age paenitentiam. » Sed quomodo praxin Novatiani tamquam scripturis contrariam potuisset damnare Cyprianus, si usque ad tempora quibus scribebat, h. e. usque ad medium saeculi III[i] vel saltem saeculo II° praecedente eadem illa praxis obtinuisset in ecclesia romana vel in ecclesia carthaginensi? Sicuti enim Cyprianus erat episcopus carthaginensis, ita Novatianus, contra quem scribebat, erat presbyter romanus, proindeque non fuisset causa mirandi, si in alterutra ecclesia obtinuisset aliquando Novatianorum praxis. Nec vero supponi potest Cyprianum, praesulem doctissimum, ignorasse quaenam fuerit tempore non adeo remoto utriusque ecclesiae

disciplina circa lapsos. — Adde 2) quod, uti narrat Cyprianus in suis epistulis 1-14 et in libro De lapsis, quotquot in persecutione deciana lapsi fuerant, turmatim petebant ut illico ecclesiae reconciliarentur quodque inventi sunt in clero carthaginiensi qui id ipsis concederent. Sed si ad haec usque tempora mos fuisset ne ad paenitentiam quidem recipiendi lapsos, quomodo aut lapsi illi reconciliationem petere aut presbyteri quidam eam concedere ausi essent? Aut quomodo Cyprianus lapsis tantummodo exprobrasset quod crudo tempore et nondum paenitentia acta properarent ad veniam, si disciplinare jus illorum temporum tulisset ut in perpetuum lapsi a spe veniae excluderentur?

218. — Scholion. Ex ultimo hoc argumento, uti ex factis quae principio argumentationis retulimus, efficitur ut sub Cornelio papa, post Novatiani haeresin jam exortam, severior facta sit paenitentialis ecclesiae disciplina, nedum, uti auctoribus quos hic impugnamus, visum est, de rigore veteris disciplinae tunc valde recessum sit. Nempe, omnibus factis probe inspectis ac discussis, de variationibus quae in disciplina paenitentiali primis rei christianae saeculis contigerunt, apparet ita esse statuendum. a) Apostolorum aevo totoque adeo rei christianae saeculo primo necnon et bona parte saeculi II^{i}, disciplina ecclesiae circa eos qui capitalia in crimina incidissent, simplex fuit valde et in misericordiam propensior. b) Decurrente vero saeculo II^{o}, propter persecutionum frequentiam et propter crescentem lapsorum multitudinem necnon propter haeresin Montanistarum aliosque haud absimiles factiones immodicum rigorem prae se ferentes, severiores constitutae sunt leges circa capitalium criminum reos. Jamque tum observata sunt publice paenitentium discrimina in varias classes, uti satis manifeste colligitur ex Origene, Tertulliano et Cypriano. Nec tamen paenitentiae exercitia quibus capitalium criminum rei perfungi oportebat, aut admodum gravia erant aut valde diuturna. Perseveravitque ea censurae ecclesiae ratio usque ad medium saeculi III^{i}. Denique c) cum in persecutione deciana quamplurimi lapsi essent pauloque post haeresis Novatianorum erupisset ac latissime diffundi coepisset, decretum est a Cornelio papa in concilio romano et a Cypriano in concilio carthaginensi, ut eorum qui lapsi essent, « traheretur in longum paenitentia » (Cyprianus, epist. 52), ne videlicet, si mitius cum iisdem ageretur, non satis a crimine idololatriae absterrerentur fideles neve novatianis haereticis praeberetur occasio incusandi ecclesiae indulgentiam trahendique in suas partes eos christianos qui ferventiore zelo in lapsos incandescebant. Sane paulo post Cornelii tempora primum apparent in variis

ecclesiis orientis atque occidentis multi illi canones paenitentiales quibus singulis delictis quae ultra communem modum sint atrocia, indicitur paenitentia ad multos annos, immo haud raro usque ad finem vitae protrahenda. Qui tamen disciplinae rigor paulatim relaxatus est, donec in oriente jam saeculo VI, in Occidente vero saeculo circiter octavo fere totaliter exolevit.

Restat ut argumenta contra sentientium diluantur.

219. — **Primum** eorum **argumentum** sumebatur ex Tertulliano referente a) Zephyrinum edixisse ut delicta moechiae et fornicationis paenitentia functis dimitterentur, arguenteque b) pontificem inconsequentiae, eo quod solis moechis indulgeri jussisset, cum tamen eadem idololatriae et homicidii atque moechiae esset causa ideoque aut tribus ac singulis hisce delictis aut nulli eorum ignosci oportuisset (Videsis numerum 197). **Respondetur** Tertullianum in re praesenti nullam mereri fidem — tum quia a) haeretico loquenti de re ad propriam suam haeresin attinente non est credendum, — tum quia b) in eo ipso opere De pudicitia, unde sumpta est objectio, Tertullianus aliud Zephyrini factum ad idem hoc negotium remissionis peccatorum pertinens manifeste transvertit, ad invidiam videlicet pontifici conflandam. Ait nimirum ultimo hujus operis capite Zephyrinum potestatem dimittendi peccata in martyres transfudisse, cum tamen ex Cypriano, scriptore suppare, constet martyribus solummodo esse a pontifice concessum ut pro lapsis, datis libellis, apud episcopos intercederent, rogando ut propter merita sua ad brevius tempus contraheretur vel etiam totaliter relaxaretur paenitentia quae peragenda illis erat priusquam ad pacem reciperentur. Ceterum multipliciter patet Tertullianum inhumanam illam erga homicidas et idololatras disciplinam falso ecclesiae affingere. Nam c) ex ipsis Tertulliani verbis discimus Zephyrini edictum fuisse *peremptorium* alicujus controversiae ; ubinam vero ea controversia excitata fuerit docet nos Cyprianus. Hic videlicet in epistula 52, ad Antonianum data, quosdam ait episcopos apud antecessores suos locum paenitentiae contra adulteria penitus clausisse. Scribebat autem haec Cyprianus, ostendere intendens potuisse Novatianum contendere non esse veniam indulgendam lapsis, absque hoc quod propterea necesse habuerit incidere in haeresin, denegata ecclesiae potestate condonandorum peccatorum. Ex tali porro sanctissimi praesulis Novatianum reprehendendi ratione evincitur *primo* numquam in ecclesia romana obtinuisse morem adulteris et fornicariis veniam denegandi. Secus enim Cyprianus non consuetudinem quorumdam episcoporum africanorum sed morem illum ecclesiae

romanae memorasset ; id enim multo magis ejus proposito inserviisset, — tum quia Novatianus, contra quem scribebat, presbyter erat romanus, tum quia praxis quae in ecclesia romana aliquando viguisset, illustrior fuisset majorisque multo auctoritatis. *Secundo* evincitur ex ratione illa Cypriani reprehendendi Novatianum neque in ecclesia romana neque in ecclesiis africanis umquam antiquioribus temporibus moris fuisse ut idololatris venia denegaretur. Talem quippe usum apprime memorasset Cyprianus ; maxime enim id valuisset ad probandum id quod ostendere intendebat, quandoquidem Novatianus, eo tempore quo contra eum scribebat, pacem non adulteris, sed solis lapsis denegabat. Concludendum est igitur Zephyrinum suo decreto illud solummodo spectasse ut dirimeretur controversia in ecclesiis quibusdam africanis excitata ; propterea autem eum in hoc suo edicto siluisse de venia danda homicidis vel idololatris, quia de solis adulteris fuerat in ecclesiis illis quaestio mota utrum ad paenitentiam, et, peracta paenitentia, ad veniam recipiendi essent. Ceterum d) in re praesenti ipse Tertullianus, adhuc catholicus, testimonium fert contra seipsum jam factum haereticum. Quippe in libro De paenitentia quem ante suam haeresin scripsit, idololatras et moechos ad paenitentiam invitat, proposita spe veniae et reconciliationis ab ecclesia obtinendae (Ibid., c. 8). Falsum est ergo quod in opere De pudicitia, jam Montanista factus, insinuare conatur, nempe usque ad edictum Zephyrini fuisse omnium capitalium criminum reis veniam ab ecclesia denegatam.

220. — **Secundum argumentum** accipiebatur ex testimonio Cypriani dicentis in epist. 52 ad Antonianum data quosdam olim in Africa episcopos totum paenitentiae locum contra adulteria clausisse (Videsis supra, num. 198).

Respondetur de hoc testimonio modo ostensum esse inter respondendum ad primum argumentum, illud facere contra adversariorum sententiam. Ex eo enim eruitur praxin qua de loquitur Cyprianus, obtinuisse quidem aliquamdiu in ecclesiis quibusdam particularibus Africae, non tamen in ecclesiis Africae celebrioribus, puta in ecclesia carthaginensi, multoque minus in ecclesia romana.

221. — **Tertium argumentum** desumebatur ex eo quod, quo tempore saeviebat persecutio deciana, Cyprianus, approbante clero romano, iis tantummodo lapsis qui libellos a martyribus impetrassent, concessit ut a suis delictis in hora mortis absolverentur. Ex quo inferebatur a) etiam post hoc Cypriani provisorium decretum usque ad tempus quo causa lapsorum sub Cornelio papa decisa est, iis lapsis qui libellos a marty-

ribus non accepissent, ne in hora quidem mortis indultam esse sacramentalem absolutionem, et ante idem Cypriani provisorium decretum omnibus prorsus lapsis, etiam urgente exitu ex hac vita, fuisse funditus denegatam suorum peccatorum veniam.

Ad hoc multipliciter **respondetur.** Nempe 1) clerus romanus tum in priore sua epistula scripta ad clerum carthaginensem tum in posteriore sua epistula scripta ad Cyprianum, praecepit ut omnibus lapsis in hora mortis subveniretur, nullo facto discrimine inter lapsos qui libellis martyrum muniti essent, et lapsos qui isdem libellis muniti non essent. Quapropter ad summum tenet adversariorum argumentum de ecclesia particulari carthaginensi. — 2) tum in suis Epistulis 3-14, tum in libro De lapsis docet Cyprianus omnes lapsos accepisse libellos a martyribus vel saltem eos quam facillime tales libellos obtinere potuisse. Sic v. g. refert quemdam martyrem alicui presbytero commendasse ut suo nomine daret libellos omnibus qui lapsi essent. Additque a quodam hosce libellos esse habitos venales. Estque ea una ex causis propter quas cum nonnullis martyribus vehementer in suis litteris expostulat. Uti videlicet perhibet, quidam ex his martyribus professione magis quam re martyres erant nomenque martyrum turpi sua vita dehonestabant. — 3) In verbis ex Cypriano adductis agitur de ea tantum absolutione quae posset etiam dari a diacono. Absolutio ergo quam in hora mortis Cyprianus jubet dari solis lapsis qui libellos martyrum haberent, est absolutio reconciliatoria in foro externo, reddens jus perfectae communionis cum ecclesia. Sine tali autem absolutione poterat dari absolutio sacramentalis, quam utique Cyprianus nulli lapso vere paenitenti in hora mortis denegari voluit ; nisi velit contendi praxin ejus cum ejus doctrina pugnasse.

222. — Quartum argumentum sumebatur ex decreto de lapsis lato a Cornelio papa in concilio romano et a Cypriano in concilio carthaginensi. — Ad hoc **respondetur** tantum abesse ut eo decreto recessum sit a prisca disciplinae severitate, uti gratis supponunt adversarii, ut contra, longe severior circa lapsos disciplina eodem sancita sit.

223. — Ad quintum argumentum, quod sumebatur ex canonibus concilii illiberitani, **dicitur** a) argumentum ad summum concludere intentum de ecclesiis quibusdam particularibus Hispaniae, et b) iis canonibus non denegari capitalium facinorum reis in hora mortis absolutionem sacramentalem, immo fortassis ne communionem quidem eucharisticam, sed tantummodo jus perfectae communionis sive communionem legitimam, uti manifestius apparebit ex mox dicendis.

Propositio III.

In Ecclesia primorum saeculorum nulli umquam delinquentium generi denegata est, urgente exitu, absolutio sacramentalis.

224. — Est contra auctores asserentes canonicorum criminum reis, etiam instante jam exitu ex hac vita, denegatam esse priscae ecclesiae more absolutionem sacramentalem, si a) post actam publice paenitentiam in eadem vel alia crimina canonica incidissent, vel si b) in infirmitate dumtaxat actionem paenitentiae postulassent.

225. — **Probatur** 1° *ex Nicaeni concilii canone 13° ita statuente :* « De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatus et consecutus communionem, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur [h. e. inter consistentes]. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito et poscenti eucharistiae participem reddi, episcopus cum examinatione oblationem impertiat ([1]). »

Prima canonis pars praecipit de omnibus omnino exeuntibus, et per consequens etiam de iis qui post impletam paenitentiam publicam rursum in crimina canonica prolapsi essent, itidem etiam de iis qui solummodo urgente jam exitu primum paenitentiam poposcissent. Nam et verba canonis indefinite patent et nulla prorsus exceptio apponitur. Nomine autem *viatici maxime necessarii* in ea canonis parte a patribus usurpato manifestum est vel intellegi vel cointellegi absolutionem sacramentalem. Nullum quippe subsidium magis est necessarium peccatori ex hac vita exeunti quam hujusmodi a peccatis absolutio. Testantur autem patres se non condere jus novum, sed se tantummodo inculcare observationem legis quam vocant *antiquam et canonicam*. Ex quo merito concluditur numquam in ecclesia catholica, in quantum hujusmodi, obtinuisse praxin quibusdam delinquentium generibus in ipso adeo articulo mortis denegandi absolutionem sacramentalem. Quippe verba ea : *παλαιὸς καὶ*

([1]) *Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴ τις ἐξόδευοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι. Εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς ἐξοδεύοντος, καὶ αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας μεταδιδότω τῆς προσφορᾶς.*

κανονικὸς νόμος, nonnisi de lege vel scripta vel tacita jam pridem et ab apostolicis usque temporibus edita intellegi posse videntur. Vel certe ea verba non patiuntur se restringi ad decretum alicujus particularis ecclesiae, neque etiam ad legem quae universalem quidem ecclesiam adstrinxisset, sed quae ante 60 circiter annos condita esset. Quo minus audiendi sunt qui ad decretum quod de causa lapsorum latum est a Cornelio papa in concilio romano, patres nicaenos respexisse volunt.

226. — *Nec juvat dicere* ex verbis quae in eodem illo canone 13° mox sequuntur, manifestum esse canone eo tantummodo praecipi de iis vita exeuntibus qui, antequam morbo corriperentur, essent in ordine paenitentium, proindeque, cum ad talem ordinem neque pertinerent ii qui post peractam paenitentiam publicam in peccata canonica recurrissent, neque etiam ii qui in morbo solummodo primum paenitentiam petiissent, perperam ex eo canone colligi antiquam fuisse ecclesiae consuetudinem omnibus indiscrete peccatorum generibus, imminente vitae fine, absolutionem sacerdotalem impertiendi. — *Non juvat,* inquam, *ita dicere,* quia falso et repugnante manifeste consequentia sermonis supponitur ab ita dicentibus primam partem canonis non esse majoris universalitatis quam partem saltem ultimam ejusdem canonis. Verum, dato et non concesso nomine *viatici* esse intellegendam solam absolutionem sacramentalem, talis est connexa series variarum partium hujus canonis. In prima canonis parte concilium confirmat legem antiquam statuentem ut omnibus omnino moribundis, dummodo rite essent dispositi, absolutio sacramentalis concederetur. In secunda vero parte canonis concilium proprium aliquid ac peculiare statuit circa eos qui non modo absolutionem sacramentalem, sed etiam aliquid plus consecuti essent, nempe communionem eucharisticam. De talibus videlicet statuit, ut si insperato convaluerint, stent in quarto gradu paenitentium, soli orationi, non vero etiam mensae eucharisticae atque oblationi communicando. Et quidem concilium non praecipit ut quibusdam qui hactenus, communione abstenti essent quique per consequens criminibus canonicis implicati essent, in hora mortis communio eucharistica tribuatur; manifeste tamen supponit consuetudinem id faciendi jam in pluribus ecclesiis invaluisse, neque ipsa improbat talem consuetudinem, sed suo statuto magis eam quasi tacite commendat. Denique in tertia canonis parte concilium speciatim agit de iis capitalium criminum reis qui in hora mortis non modo communionem eucharisticam percepissent, sed qui peterent stabili modo reddi participes mensae eucharisticae.

Nam agi in ea canonis parte de iis qui peterent plene ac perfecte reconciliari cum ecclesia, patet — tum a) ex eo quod pro eodem ibi sumitur *participatio eucharistiae* atque *jus oblationis*, — tum b) ex eo quod soli episcopo injungitur judicare de tali paenitentium petitione. Sciendum est videlicet in vetere ecclesia solius fuisse episcopi impertiri absolutionem in foro externo, quae erat absolutio perfecte reconciliativa cum ecclesia et omnia jura communionis reddens. Jubet autem concilium paenitentibus qui id postulassent, reddi jus perfectae communionis ab episcopo, si, praemissa examinatione, tali gratia digni inventi fuerint. Et sic in tertia sua canonis parte concilium jam plane atque aperte sancit eam consuetudinem, cujus exstantiam praesupposuerat in secunda canonis parte; immo ipsa majus adhuc aliquid indulget.

227. — Quantum autem speciatim attinet illud delinquentium genus qui post actam paenitentiam in canonica crimina relapsi essent,

Probatur 2° ex Epistula Siricii ad Himerium, Taraconensem episcopum, cap. 5. Scripsit hanc epistulam Siricius anno 385, non ita diu post celebratum concilium nicaenum; proindeque ejus responsio ad Himerium de re praesenti potest haberi ut authentica interpretatio illius legis quam patres nicaeni vocant antiquam et canonicam. En verba pontificis : « De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam qui, *acta paenitentia,* tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova conjugia et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent paenitendi (publice), id duximus decernendum *ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur* (h. e. ut sint in gradu consistentium), sacrae mysteriorum solemnitati, quamvis non mereantur, intersint, a dominicae autem mensae convivio segregentur; ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscoenis voluptatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, *viatico munere cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari.* » Concedendo ut in hora mortis iis qui, acta paenitentia, relapsi fuerant, subveniatur *viatico munere,* quod et *gratiam communionis* appellat, intendit pontifex iis idipsum concedere quod ante horam mortis iis denegatum vult, hoc autem est *receptio sacramenti eucharistiae,* ad quam certe receptionem praesupponitur absolutio sacerdotalis a peccatis.

228. — Quantum vero speciatim attinet ad illud sontium capitalibus criminibus obstrictorum genus qui in infirmitate dumtaxat actionem paenitentiae primum *poposcissent,* **probatur propositio III°** *ex epistula tertia data sub initium saeculi* V *ab Innocentio papa I ad Exsuperium episcopum Tolosanum.* Verba pontificis inter argumentandum pro sententia adversariorum num. 199, jam integre recitata sunt. Interrogatus quidem fuerat pontifex de solis libidinosis et incontinentibus, paenitentiam usque in finem vitae differentibus. Verum hypothesin ad thesin, h. e. ad generalem disputationem controversiamque revocans, explicat qualis antiquitus fuerit consuetudo ecclesiae de omnibus tardis paenitentibus. Ait autem iis esse concessam paenitentiam, negatam communionem. Nomine autem communionis intellegit perfectam cum ecclesia reconciliationem, uti apertum fit ex verbis mox sequentibus. Nam causam afferens hujus antiqui ecclesiae instituti : « Cum illis temporibus, inquit, crebrae persecutiones essent *ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu,* negata merito communio est, concessa paenitentia, ne totum penitus negaretur ; et duriorem remissionem fecit temporis ratio. » Porro nomine *concessionis paenitentiae* perspicuum est intellegi ab Innocentio ritum vel includentem vel habentem sibi adnexam collationem absolutionis sacramentalis. Nam a) ait Innocentius tardis illis paenitentibus concessam esse paenitentiam, *ne totum penitus negaretur.* Sed si in concessione paenitentiae qua de loquitur, non fuisset inclusa absolutio sacramentalis, quid demum beneficii collatum fuisset in peccatores illos qui in ultimo vitae suae fine primum ad petendam paenitentiam publicam se convertissent, cum jam nec obire eam paenitentiam, nec proinde ipsius subsidio ad veniam pervenire possent ? Qua demum veritate asseruisset Innocentius hisce paenitentibus non totum denegatum esse ? Praeterea, idque certe omnem circa sensum ab Innocentio intentum dubitationem mente eximit, ait pontifex b) concessionem illam paenitentiae quae sero paenitentibus antiquitus fieri solita esset, fuisse *remissionem duriorem.* Non autem haec erat remissio in foro externo; ejusmodi enim remissionem, uti et communionis jus, tardis illis paenitentibus negatam ait esse pontifex ; eademque non imponebatur paenitentia, sed relaxabatur. Proptereaque remissione illa quae in foro externo fieri solita erat, opponit pontifex remissionem eam qua de modo agitur, tamquam illa duriorem. Haec proinde erat remissio peccatorum in solo foro interno, nempe *absolutio sacramentalis.* Numquam igitur absolutio sacramentalis denegata est

ab ecclesia iis capitalium criminum reis qui in hora tantum mortis remedium paenitentiae primum petiissent. Quippe juxta Innocentii verba absolutio ea tunc etiam ipsis concedebatur, cum propter saepe ingruentes persecutionum procellas, disciplina ecclesiae circa lapsos erat severissima ut quam maxime. Omnino autem hic notandum est consuetudinem illam antiquam qua de loquitur Innocentius, manifeste pertinere ad legem illam qua de verba facit concilium nicaenum in prima parte canonis sui 13[i]. Uti enim accipitur ex verbis Innocentii, duravit ea consuetudo usquedum pax est reddita ecclesiis; est autem pax ecclesiis reddita sub exordium imperii Constantini, h. e. iis temporibus quae celebrationem concilii nicaeni proxime antecesserunt. Benignior vero consuetudo quae veteri consuetudini successit quaque non paenitentia modo, sed et communio tardis paenitentibus concessa est, induci coepit, uti idem perhibet Innocentius, eo ipso tempore quo stabilis pax ecclesiis est reddita. Quo egregie confirmatur id quod supra perhibuimus de sensu quem reddit posterior pars canonis 13[i] concilii nicaeni; sunt enim verba Innocentii papae ad instar commentarii illius canonis.

229. — Probatur IV *ex litteris anno 428 a Caelestino papa I scriptis ad universos episcopos per viennensem et narbonensem provincias constitutos.* Reprehendens in hac epistula pontifex ea « quae contra ecclesiasticam disciplinam admissa dolet » : « Agnovimus, inquit capite 2, paenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti [corporaliter] mortem [animae] addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere ? Cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad paenitentiam, sic promittat: peccator, inquit, quacumque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei (Ezech. XXXIII, 15). Et iterum : nolo mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat (ibid. XVIII, 23). Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis praeteriti tempore paenitentiam denegarit (1). Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non

(1) Fortasse sic ordinanda sunt verba : Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore paenitentiam temporis praeteriti denegarit.

credidit. Perdidisset latro praemium in cruce ad Christi dexteram pendens (Luc. XXIII, 42), si illum unius horae paenitentia non juvisset. Cum esset in poena paenituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius est aestimanda quam tempore, propheta hoc taliter asserente : cum conversus ingemueris, tunc salvus eris (Ezech. XVIII, 33). Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda paenitentia postulanti, cum illi se obliget judici cui occulta omnia noverit revelari. » In insigni hoc testimonio manifestissimum est nomine paenitentiae seu potius dationis (non denegationis) paenitentiae intellegi ritum ad quem pertinebat *absolutio sacramentalis*. Nam a) secundum Caelestinum datio illa paenitentiae est *remedium quo animae subvenitur*. Necesse est autem dicere in hac propositione eodem significatu accipi a pontifice verbum *subvenire* quo paulo post illud accipit, quando, eamdem propositionem probans, ait « Deum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse. » Ibi autem citra ullam ambiguitatem *subvenire morienti* idem sonat atque *morienti sua peccata vere et proprie remittere*. Itidem b) secundum Caelestinum denegare morienti hoc remedium quod consistit in datione paenitentiae, idem est atque « mortem morti addere, » « animam morientis occidere, » et « salutem homini adimere. » Sed non aliter contingit per negatum hoc remedium, quod consistit in ritu impositionis paenitentiae, morti corporali addi mortem spiritualem, animam morientis occidi et salutem ei adimi, nisi quatenus ad ritum imponendi paenitentiam pertinebat vera peccatorum remissio coram Deo facta a sacerdote, cujusmodi remissio fit per absolutionem sacramentalem. Immo c) Caelestinus expressis verbis significat ad hoc remedium quod consistit in impositione paenitentiae, pertinuisse absolutionem sacramentalem. Ait enim denegare hoc remedium, nihil aliud esse quam animam sua crudelitate, *ne absoluta esse possit*, occidere. Denique d) vel eo solo quod nudus hic ritus impositionis paenitentiae dicitur esse *remedium* (nempe contra peccatum), clare denotatur eum ritum esse per se remissivum peccatorum et per consequens eum includere absolutionem sacramentalem a peccatis. Non enim est remedium contra peccatum quo non expellitur peccatum ; ritus vero quo de agitur, non aliter poterat expellere peccatum, nisi quatenus efficienter et ex opere operato causabat remissionem peccatorum.

Ex eo porro Caelestini papae testimonio recte colligi nunquam in ecclesia romana nec per consequens in ecclesia catholica, in quantum

hujusmodi, viguisse praxin denegandi moribundis absolutionem sacramentalem, patet — tum a) ex eo quod secundum Caelestinum ea praxis est summae impietatis ; impossibile est enim dicere praxin quae sit hujusmodi, lege vel consuetudine ecclesiae universalis unquam approbatam esse, — tum b) ex eo quod ex una parte Caelestinus optime gnarus erat quaenam fuisset superioribus saeculis inde a tempore apostolorum consuetudo ecclesiae romanae, ex alia vero parte ipse non tamquam impiam traduxissit praxin quam novisset aliquando auctoritate vel usu ecclesiae romanae approbatam esse.

230. — Pugnavimus hactenus testimoniis vel synodi occumenicae vel romanorum pontificum, quia maxime ex hujusmodi testimoniis petenda est consuetudo quae non modo pertineat ad disciplinam alicujus particularis ecclesiae, sed quae catholicae ecclesiae auctoritate munita sit. Ceterum est afferre testimonia quae, licet minoris sint ponderis, antiquitate tamen vincant testimonia allata. Duo huc adduxisse sufficat ex statutis saeculi III[i] repetunda. Primum est epistula cleri romani ad clerum carthaginensem, quae secundum ea testimonia quae proxime adducta sunt, maximae est auctoritatis. In ea jubet clerus romanus subveniri, h. e. sacramentali saltem absolutione succurri in hora mortis omnibus lapsis, nullo facto discrimine inter eos qui ante susceptam paenitentiam publicam et eos qui, ea jam peracta, lapsi essent. Verbaque quibus hanc suam jussionem edicit clerus, clare indicant iis etiam lapsis absolutionem sacramentalem impertiendam esse quos nonnisi in hora mortis facti sui paenituerit. « Si qui in hanc, tentationem (idololatriae) inciderunt, inquit, coeperint apprehendi infirmitate et agant paenitentiam et desiderent communionem, utique subveniri iis debet. » Quia ergo clerus romanus ita praecipit agi erga eos qui in crimen capitale omnium maximum, h. e. in idololatriam lapsi fuerint, vult utique eamdem rationem agendi observari erga eos qui aliis peccatis canonicis sese obstrinxerint. Porro, uti supra satis declaratum est, clerus romanus, ita statuens, testatur se non novi aliquid praecipere, sed eum se morem inculcare qui vigebat in ecclesia romana. Vultque hoc suum statutum ad omnes ecclesias Africae deferri. « Petimus vos, inquit in epistulae clausula, harum litterarum exemplum ad quoscumque poteritis per idoneas occasiones vel vestras faciatis, sive nuntium mittatis, ut stent fortes et immobiles in fide. » Ex quibus recte colligitur similes litteras ab eodem clero ad omnes alias provincias ecclesiasticas missas esse.

231. — Alterum testimonium huc pertinens est Dionysii, episcopi

Alexandrini, in epistula ad Fabium, cujus fragmentum refert Euscbius, lib. VI Histor. eccl., c. 41. Narrat ibi Dionysius Serapionis, venerandi senis, historiam, qui, cum idolis sacrificasset moxque paenitens factus esset, a communione tamen usque ad mortem abstentus fuerat. Qui cum jam in extremis constitutus esset, puerum misit qui presbyterum accerseret. Quem cum convenisset puer, invenit eum aegrotantem. « Sed quoniam in mandatis dederam, pergit dicere Dionysius, ut morituris, si peterent, et *maxime si antea suppliciter postulassent*, venia indulgeretur, quo bonae spei pleni ex hac vita migrarent, exiguam eucharistiae partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret. » Ex hisce Dionysii verbis apparet, versus medium saeculi tertii, h. e. eo tempore quo maxime grassabantur persecutiones, moris fuisse in ecclesia alexandrina iis etiam lapsis qui nonnisi in extremis paenitentiam poposcissent, non modo absolutionem, sed etiam communionem eucharisticam elargiri.

232. — **Scholion.** Interpretando canonem 13^{m} concilii Nicaeni, diximus *ibi nomine viatici vel intellegi vel cointellegi absolutionem sacramentalem.* In proponendo tamen et vindicando argumento quod ex eo canone desumpsimus, satis habuimus supponere nomine viatici significatam esse a patribus nicaenis solam absolutionem sacramentalem. Oportebat enim ex omnino certis argumentari. Duo tamen sunt quae vix non certum reddant nomine viatici in praedicto canone usos esse patres nicaenos vel ad significandum absolutionem sacramentalem una cum communione eucharistica vel potius ad significandum formaliter et directe communionem eucharisticam, praesuppositive vero et indirecte absolutionem sacramentalem. *Primo* videlicet talis hujus vocis viatici in canone nicaeno sensus concludi posse videtur ex testimoniis cleri romani ac Dionysii alexandrini quae modo recitata sunt. Ex iis videlicet apparet jam versus medium saeculi III^{i} tam in ecclesia alexandrina quam in ecclesia romana fuisse delinquentibus cujusvis generis in hora mortis tributam non solam absolutionem sacramentalem, sed etiam communionem eucharisticam. Quod etiam colligitur ex epistulis 12 et 54 Cypriani. *Secundo*, id quod modo contendimus de sensu quem voci *viatici* patres nicaeni in canone illo 13° subjecerunt, videtur vix non certo concludi ex eo quod pontifices ac synodi provinciales quae paulo post habitum concilium nicaenum nomine viatici usitantur, illud perpetuo usurpant ad significandam vel communionem eucharisticam vel hanc communionem una cum absolutione sacramentali. Crescitque in immensum hujus argumenti vis ex eo quod ex praedictis pontificibus

ac synodis sunt quibus propositum esset authentice declarare legem canone illo nicaeno 13° contentam. Sic v. g., uti apparet ex testimoniis quae inter argumentandum adducta sunt, Siricius papa nomine *viatici* manifeste intendit significare *communionem eucharisticam*. Innocentius vero I id nomen sumit pro absolutione sacramentali, prouti sibi habet adjunctam communionem eucharisticam. Concilium Carthaginense IV, seu potius collectio antiquorum canonum sub nomine praedicti concilii citari solita, can. 78 : « Paenitentes, inquit, qui in infirmitate *viaticum eucharisticae acceperint*, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. » Maxime tamen ad rem praesentem facit canon 3 concilii arausicani I ; eo quippe canone declarant patres arausicani quidnam nomine viatici intellexerint patres concilii nicaeni. Verba sunt patrum arausicanorum in canone eo 3° : « Qui recedunt de corpore, paenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione *iis communicari*, quod morientis sufficit consolationi *secundum definitionem patrum* (nicaenorum), *qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt*. Quod si supervixerint, stent in ordine paenitentium, et ostensis necessariis paenitentiae fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. » Ad eundem usum hujus vocis *viatici* stabiliendum spectat gerundensis concilii canon 9^us^. Statuunt ibi patres « ut qui in aegritudine *paenitentiae benedictionem*, *quam viaticum deputamus*, *per communionem acceperit*, et postea reconvalescens, caput paenitentiae in ecclesia non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum. » Ad duo argumenta praemissa accedit a) quod nemini, quem jansenistici rigorismi lues non afflaverit, credibile videbitur potuisse ullo tempore ecclesiam moribundo vere paenitenti denegare manducationem cibi eucharistici, non obstantibus verbis Christi Jo. VI, necessitatem hujus manducationis inculcantibus. Itidem accedit b) quod, supposita ea hujus vocis *viatici* significatione quam modo defendimus, multo melius inter se cohaerent variae partes canonis 13^i^ nicaeni. Nempe, postquam concilium generaliter et sine ulla exceptione edixerat moribundis dandam esse absolutionem sacramentalem una cum communione eucharistica, sponte oriebatur dubium utrum ii qui, priusquam in morbum incidissent, a communione abstenti erant, jam censendi essent jus plenae communionis recuperasse. Solvitque hoc dubium concilium in secunda canonis parte, decernendo ut tales, si forte reconvaluerint, stent inter communicantes soli orationi, donec, editis fructibus paenitentiae, ostenderint se esse dignos jure communicandi mensae eucharisticae.

Emollit tamen rigorem hujus decisionis concilium in tertia sui canonis parte, facta episcopo potestate restituendi juri perfectae communionis eos qui id jus petierint eoque digni inventi fuerint.

233. — Ut igitur intellegantur diversi patrum modi loquendi de communione, oportet primum distingui inter *jus communionis plenae sive perfectae* et *jus communionis inchoatae sive imperfectae.* Illud conferebat jus communicandi mensae eucharisticae et oblationi, hoc conferebat tantummodo jus communicandi orationi et assistendi sacrificio. Tum ulterius ipsam communionem eucharisticam oportet distingui inter *communionem dispensatoriam* et *communionem legitimam.* Prior non concedebatur nisi in hora mortis eidemque non praemittebatur absolutio in foro externo, h. e. manuum impositio perfecte cum ecclesia reconcilians; proptereaque, si forte ii qui talis communionis participes facti essent, recuperassent sanitatem, stabant in quarta statione paenitentium. Posterior vero, h. e. *legitima communio eucharistica*, praecedebatur ab impositione manuum perfecte reconciliatoria, quae, sicut relaxabat poenas omnes in foro externo, ita eum cui conferebatur, redintegrabat in omnia jura, ac nominatim in jus stabile communicandi mensae eucharisticae atque in jus oblationis.

Restat ut respondeatur ad argumenta quibus propugnabatur sententia quam propositione nostra tertia proxime exclusimus. Et quidem ad omnia ferma haec argumenta est **generalis responsio,** non solum gratis, sed omnino falso in iis supponi nominibus *pacis, reconciliationis, communionis* et aliis ejusmodi significari in testimoniis in quibus fundantur illa argumenta, sive ipsammet absolutionem sacramentalem sive saltem aliquid sine quo antiquitus non conferebatur absolutio sacramentalis.

Quod speciatim attinet ad argumenta quibus intendebatur ostendi, ritu veteris ecclesiae absolutionem sacramentalem denegatam esse iis canonicorum criminum reis qui nonnisi infirmitate correpti primum paenitentiam petiissent, ea sic singillatim solvuntur.

234. — **Ad primum argumentum,** quod sumebatur ex verbis Cypriani in epist. 52 ad Antonian. (supra, n. 199), **respondetur** a) illud, etiamsi vera in eo assumerentur, non tamen concludere nisi de solo usu ecclesiae carthaginensis, quae ecclesia erat particularis. — **Respondetur** insuper b) falsam esse hujus argumenti assumptionem. Quippe tum ex mandato cleri romani ad Cyprianum directo, tum ex contextu, tum ex usu loquendi veterum elucescit nominibus *reconciliationis* et *pacis* non significari a Cypriano absolutionem sacramentalem, neque adeo communionem eucharisticam quae sit mere dispensatoria,

sed solummodo legitimam communionem, h. e. perfectam cum ecclesia reconciliationem in foro externo.

235. — Ad secundum argumentum, quod sumebatur ex concilii arelatensis canone ultimo, **respondetur** idem quod modo repositum est ad argumentum primum.

236. — Ad tertium argumentum dicitur, in probatione quae pro propositione III[a] facta est, jam ostensum esse verba Innocentii I trahi ab adversariis ad falsissimam interpretationem. — Nam si qua ex hisce verbis enascatur difficultas, ea non pertinet ad quaestionem utrum more veteris ecclesiae concederetur iis qui nonnisi in ultimo vitae paenitentiam poscerent, absolutio sacramentalis, sed tantummodo ad quaestionem utrum talibus ea concederetur communio eucharistica quam dispensatoriam vocavimus. Dicendo videlicet moribundis hujusce generis esse ritu antiquo concessam paenitentiam, sed negatam communionem, videtur Innocentius indicare iis omnino communione eucharistica interdictum esse. — Verum et hoc solvitur, dicendo Innocentium supponere Exsuperium, ad quem scribebat, satis perspectum habuisse perpetuum fuisse ecclesiae morem concedendi communionem eucharisticam dispensatoriam omnibus omnino moribundis qui absolutione sacramentali donarentur. — Nec falsificatur talis solutio ex eo quod, ea stante, consequens foret communionem illam quam, fretus posteriore consuetudine, jubet Innocentius praedictis moribundis impertiri, fuisse communionem legitimam. Non inde falsificatur, inquam, solutio proxime data. Ex postrema quippe canonis 13[i] nicaeni parte probabilissum efficitur paulatim invaluisse consuetudinem ne talem quidem communionem denegandi iis moribundis quibus sacramentalis absolutio concessa fuisset.

237. — Nec juvat dicere 1) communionem illam qua de loquitur Innocentius, eo valuisse ut moribundi ab extremo exitio vindicarentur, id porro verificari non posse nisi dicatur ad eam pertinuisse absolutionem sacramentalem. Cum ergo communionem illam asserat Innocentius priore ecclesiae consuetudine negatam esse iis moribundis de quibus interrogaverat eum Exsuperius, consequens esse talibus moribundis veteris ecclesiae more ne in hora quidem exitus indultam esse absolutionem sacramentalem. — *Id non juvat dicere,* inquam ; ex verbis enim Innocentii manifestum est id cujus beneficio ipse asserit moribundos illos vindicari ab aeterno exitio, esse totum complexum ex paenitentia et communione. « Tribuetur ergo, inquit, cum paenitentia extrema communio ut » etc.

238. — **Nec juvat dicere** 2) perspicue indicari ab Innocentio ecclesiam, cum prior adhuc in ea observantia vigeret, visam esse Novatiani haeretici, negantis veniam, asperitatem et duritiam subsequi ; id porro verum non esse, nisi prisca ecclesia, haud secus atque Novatianus, denegasset absolutionem sacramentalem moribundis iis qui nonnisi in supremis suis paenitentiam petebant. — *Neque hoc juvat dicere,* inquam ; quia ex verbis Innocentii solummodo colligitur veteris ecclesiae praxin circa praedictos moribundos speciem aliquam prae se tulisse illius duritiei quam catholici exprobrabant Novatianis. Ad hoc autem verificandum sufficit dicere a prisca ecclesia denegatam esse moribundis de quibus agitur, veniam sive absolutionem in foro externo.

Quod vero attinet ad argumenta quibus intendebatur ostendi priscae ecclesiae disciplina ne in fine quidem vitae indultam esse absolutionem sacramentalem hominibus qui post peractam paenitentiam publicam in nova peccata canonica relapsi essent, ea hanc habent solutionem :

239. — **Ad primum respondetur** *concedendo Antecedens et negando consequentiam cum ejus probatione.* Falsum est scilicet relapsos eos de quibus agitur, eo quod mediante paenitentia privata haberent accessum ad absolutionem sacramentalem, melioris fuisse condicionis quam peccatores quibus, tametsi tam saepe lapsi non essent, subeunda esset paenitentia publica. Et ratio sic dicendi est quod relapsi illi, quamdiu sani erant corpore, jam in perpetuum submovebantur communione, quod sane a) et per se ingens erat poena, et b) eos perpetua omnibusque innotescente infamia adspergebat. Cum contra, ii qui paenitentiam publicam agebant, et a) recurrere poterant in gratiam cum ecclesia et b) ipsa obitione paenitentiae internoscebantur non, post reconciliationem semel obtentam, reversos esse ad vomitum, sicut aliud illud delinquentium genus.

240. — **Ad secundum argumentum,** quod sumebatur ex canonibus illiberitanis (supra, num 200), **respondetur** a) ex iis non posse concludi nisi morem quarumdam ecclesiarum hispanicarum, et b) nomine *communionis* quam jubent patres illiberitani in fine etiam vitae denegari, significari communionem legitimam vel ad summum communionem eucharisticam, etiam mere dispensatoriam.

241. — **Ad argumentum tertium**, quod petebatur ex Augustini epistula 153 ad Macedonium data (supra, num. 200), **respondetur** *negando consequentiam cum ejus probationibus,* quae procedunt ex perversa intellegentia quaestionis a Macedonio motae et ab Augustino solutae. Difficultas quam proponit Macedonius, oriebatur ex eo quod ex una

parte ecclesia, denegando paenitentiam publicam iis qui postquam semel eam obiissent, relapsi erant, videbatur desperare de hujusmodi hominum paenitentia, quodque ex altera parte ipsa non habebat aliam causam vere religiosam intercedendi pro iis qui a judice saeculari capitis damnati erant, nisi spem quam suis promissis facerent hujusmodi homines, fore ut ad paenitentiam se converterent seque aliquando corrigerent. Hoc porro dubium solvit Augustinus dicendo non concedi quidem hujusmodi hominibus locum iteratae paenitentiae publicae, minime tamen Deum iis denegare gratiam ad agendam privatam paenitentiam. Quod vero s. Augustinus non meminit usus ecclesiae concedendi sceleratissimis hisce hominibus absolutionem sacramentalem, id ideo facit quia usus ille erat impertinens ad solvendam difficultatem quae mota fuerat. Manifestum est quippe absolutionem sacramentalem non posse concedi nisi iis quos praeteritorum suorum delictorum vere paeniteat, jam vero difficultas Macedonii procedebat ex eo quod ecclesia suo more agendi videbatur existimare facinorosis illis hominibus paenitentiam jam esse factam impossibilem.

Propositio IV.

Non solum nullo idoneo fundamento fulcitur, sed, spectatis testimoniis ex vetustissima antiquitate repetitis, improbabilissima est sententia asserens graviorum peccatorum reis, dumtaxat post peractam paenitentiam et impletam satisfactionem primis ecclesiae saeculis ordinaria lege concessam esse absolutionem sacramentalem.

Prima pars : **Sententia asserens priscae ecclesiae instituto viguisse praedictum ordinem inter satisfactionem et absolutionem sacramentalem omni solido fundamento destituitur.**

242. — Ratio est quod in probanda sua sententia adversarii manifeste confundunt et in unum miscent forum judiciale internum cum foro judiciali externo, vel saltem gratis nulloque allato conveniente argumento supponunt absolutionem quae publicam paenitentiam obeuntibus danda esset in foro interno, lege ordinaria iis non prius concessam esse quam reciperent absolutionem a suis peccatis in foro externo. — Quippe in omnibus patrum testimoniis quibus suam sententiam fulcire conantur, nominibus *veniae, pacis, reconciliationis* et aliis ejusmodi significatur dumtaxat absolutio quae publice et in foro externo reconciliabat paenitentem cum ecclesia quaeque idcirco conferebat ei jus

communicandi mensae eucharisticae. Quandonam vero collata sit peccatori ad paenitentiam converso absolutio a suis peccatis in foro interno, id in omnibus illis testimoniis vel silentio praetermittitur, vel, si quando id innuatur, ea dicuntur a patribus quae sententiam adversariorum potius evertant quam stabiliant. Quod, singillatim discussis testimoniis quae supra numero 201 allata sunt, jam in perspicuo ponendum est.

1° In testimonio excerpto ex Cypriani epistula 52ª ad Antonianum, miratur Cyprianus duo, nempe a) quod Novatiani censeant non esse dandam lapsis paenitentiam, et b) quod putent non esse dandam paenitentibus veniam. Utrum vero absolutio sacramentalis includatur in ritu dandi actionem paenitentiae, an vero ea pertineat ad veniam quae, peracta paenitentia publica, concedi solita erat, ipse ne verbulo quidem indicat. Immo, licet ultro fateamur veniam qua de loquitur sanctus praesul, non fuisse dari solitam nisi post peractam paenitentiam, non tamen, quantum est praecise per testimonium allatum, id concedere cogimur. Nam ne hoc quidem ibi indicatur. Ceterum cujusmodi sit ea venia quae in fine paenitentiae publicae indulgebatur, perspicuis verbis significat s. Cyprianus in Epistula 12, ubi jubet « ut qui libellos a martyribus acceperunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra, apud presbyterum quemque praesentem vel, si presbyter inventus non fuerit et urgere exitus coeperit, *apud diaconum quoque exomologesin delicti sui facere possint, ut, manu iis in paenitentiam imposita*, veniant ad Dominum cum pace. » En, habes ibi ex Cypriano impositionem illam manuum qua in fine paenitentiae publicae venia et pax concedebatur, pertinuisse quidem ad officium proprium episcopi, eam tamen ex delegatione episcopi potuisse dari aliquando etiam a diacono. Non ergo haec erat absolutio a peccatis in foro interno, sed in foro externo dumtaxat, publicam conferens reconciliationem cum ecclesia et jus communicandi mensae eucharisticae. Quod ceteroquin liquet cum ex aliis epistulis a Cypriano scriptis de causa lapsorum, tum speciatim ex epistula 54, quam nomine 2ªᵉ synodi quae post decianam persecutionem Carthagine est habita, sanctus praesul scripsit ad Cornelium papam. Ait ibi in synodo prius habita statutum fuisse « ut qui lapsi fuissent, agerent diu paenitentiam plenam, et, si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. » At modo, appropinquante denuo infestatione persecutionis, censuisse ait synodi jam altera vice coadunatae patres « pacem esse dandam iis qui a primo die paenitentiam agere non destiterint. » Rationemque novi hujus decreti subjicit, dicens : « Nunc non infirmis,

sed fortibus *pax* necessaria est, nec morientibus, sed viventibus *communicatio* a nobis danda est, *ut quos excitamus et hortamur ad proelium, protectione sanguinis et corporis Christi muniamus.* » Ubi rursum patet effectum pacis sive veniae illius quae, peracta paenitentia, dabatur, non fuisse remissionem peccatorum in foro interno, sed jus communicandi corpori et sanguini Domini.

2° In testimoniis excerptis partim ex epistulis Cypriani 9ª et 11ª, partim ex ejusdem libro De lapsis, agitur de impositione manuum publice facta ab episcopo totoque clero, quae est manifeste absolutio in foro externo. *Nec valet argumentum* quod sumebatur ex eo quod in eo testimonio fiat sermo de manu ab episcopo et clero *in paenitentiam* imposito, nomine autem paenitentiae nequeat in tali formula loquendi significari nisi absolutio sacramentalis, quandoquidem paenitentia proprie dicta jam peracta supponatur. — *Hoc non valet*, inquam; nam a) eadem prorsus formula loquendi utitur Cyprianus ad significandam absolutionem a diacono in hora mortis impertitam, haec autem non erat absolutio sacramentalis. Nempe b) tametsi impositione illa manuum, quae non semel, sed saepe fiebat, imponebatur finis paenitentiae proprie dictae, ipsa tamen, prouti passive subibatur a paenitentibus, erat pars eaque maxima paenitentiae. Nempe toto tempore substrationis, quae tertia erat publice paenitentium statio, hi paenitentes subibant sub manus episcopi et cleri. Eamque caeremoniam Cyprianus, usus emphasi oratoribus propria, tribus diversis vocibus significat. Quatenus videlicet consistebat in actione paenitentium capita sub manus episcopi et cleri subdentium, eam vocat et *paenitentiam* et *exomologesin*. Quatenus vero erat actio episcopi et cleri manus paenitentibus imponentium, eam vocat *impositionem manuum in paenitentiam*. — Itidem *non valet argumentum* quod sumebatur ex eo quod impositionem eam manuum significat Cyprianus pertinuisse ad purgandam conscientiam. Nam haec non posse intellegi de purgatione quae fiat ex opere operato, patet ex eo quod purgationem hanc conscientiae tribuit ibidem Cyprianus non modo impositioni manuum, sed et sacrificio a sacerdote oblato.

3° Apud Pacianum, in Epist. 1ª ad Sympronianum, n. 7, agitur de venia « *quae datur post multos gemitus effusionemque lacrimarum, post totius ecclesiae preces.* » Quae manifeste est absolutio canonica sive publica; haec enim cum dabatur, totus interim conventus fidelium preces ad Deum fundebat. En verba Paciani: « Scio, frater, hanc ipsam paenitentiae veniam non passim omnibus dari, nec antequam aut interrogatio divinae voluntatis aut forsitan visitatio (morbo videlicet ingruente) fuerit,

relaxari; magno pondere, magnoque libramine, post multos gemitus effusionemque lacrimarum, post totius ecclesiae preces, ita veniam verae paenitentiae non negari, ut judicaturo Christo nemo praejudicet.»

4° Ambrosius, loco citato (L. II De paenit., c. 9) ita loquitur: « Nonnulli ideo poscunt paenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint [nempe reconciliatoria manuum impositione]. Hi non tam se solvere cupiunt quam sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, sacerdotis induunt. » Jam vero ex hisce verbis nullatenus inferre licet absolutionem sacramentalem lege ordinaria non fuisse indultam nisi cum jus communicandi restituebatur per reconciliatoriam manus impositionem. Aeque enim apte, immo aptius fortassis, ea verba exponi possunt in nostram sententiam ponentem lege ordinaria absolutionem sacramentalem fuisse conjunctam cum ipsa susceptione actionis paenitentiae. Dici videlicet potest propterea eos de quibus loquitur s. doctor, suam conscientiam non exuere, sed sacerdotis induere, quia absque debita contritione et proposito poscunt absolutionem sacramentalem quae una cum actione paenitentiae solita erat dari a sacerdote.

5° Ex verbis Leonis I in Epistula 108 ad Theodorum, episcopum Forojuliensem, n. 2, solummodo concludi potest eos qui paenitentiae publicae addicti erant, nonnisi post peractam hanc paenitentiam habuisse accessum ad publicam cum ecclesia reconciliationem et communionem eucharisticam secundum temporis illius ritum.

Secunda pars: Attentis testimoniis ex vetustissima antiquitate repetitis, positive improbabilis est sententia asserens graviorum peccatorum reis absolutionem sacramentalem dumtaxat post peractam paenitentiam et impletam satisfactionem primis ecclesiae saeculis ordinaria lege concessam esse.

243. — Argumentum sumitur ex vocabulis quibus in testimoniis veterum patrum et canonibus antiquissimorum conciliorum significatur absolutio sacramentalis. Argumentum est hujusmodi:

Quando veteres patres et antiquiora concilia tractant de remediis quibus et suo tempore providebatur et semper in ecclesia provisum est saluti moribundorum aliorumve hominum in praesenti vitae discrimine constitutorum, vix aliter significant hujusmodi hominibus dari vel dandam esse absolutionem sacramentalem, quam dicendo iis dari vel dandam esse *paenitentiam,* iis dari vel dandam esse *actionem paenitentiae,* iis dari vel dandum esse *remedium paenitentiae* vel etiam *benedictionem paenitentiae.* Sed talis usus loquendi est inexplicabilis, nisi dicatur, quando homini sive sano sive aegro dabatur in prisca ecclesia actio

paenitentiae, simul etiam ei lege ordinaria concessam esse absolutionem sacramentalem. Ergo more priscae ecclesiae non differebatur rite confessis ac vere paenitentibus absolutio sacramentalis usque in tempus paenitentiae jam plene peractae, sed eodem tempore ipsis et injungebatur paenitentia et dabatur absolutio sacramentalis.

Minor hujus argumenti per se patet. Nam, licet saepe contingat ut una res ab alia ipsam comitante denominetur, non aliter tamen id legibus sermonis humani permittitur, nisi quatenus est connexio per se inter rem denominantem, et rem ab ea denominatam. Jam vero, si usus veteris ecclesiae habuisset ut tantummodo in periculo mortis ei cui dabatur actio paenitentiae, simul etiam concederetur absolutio sacramentalis, connexio simultaneitatis existens inter susceptionem actionis paenitentiae et absolutionem sacramentalem non fuisset connexio per se, sed connexio per accidens tantummodo.

Assertioni vero quae loco Majoris fungitur in argumento supra facto, haec substernuntur fundamenta.

1. Epistula 1ª Innocentii papae 1 ad Exsuperium (supra, num. 199). Ibi, ut in probatione 3ae thesis ostensum est, pro eodem sumit Innocentius *concedere paenitentiam* et *concedere absolutionem sacramentalem.*

2. Epistula Caelestini papae 1 ad episcopos narbonensis et viennensis provinciae (supra, num. 229). Ibi, uti in probatione ejusdem thesis ostensum est, pro eodem sumit Caelestinus *denegare paenitentiam* atque *denegare absolutionem sacramentalem.*

3. S. Ambrosius, de paenitent, l. 1, c. 8: « Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per baptismum *an per paenitentiam* hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est. » Docet hisce verbis s. doctor a) per paenitentiam exerceri a sacerdotibus potestatem remittendi peccata quantum ad culpam, et b) paenitentiam esse sacramentum quod a sacerdotibus administratur. Manifestum est autem non aliter nisi in quantum *imponitur paenitentia a sacerdotibus ecclesiae,* verum esse dicere per paenitentiam sacerdotes ecclesiae exercere suam potestatem peccata quantum ad reatum culpae dimittendi et administrare sacramentum aliquod ecclesiae. Tum ulterius manifestum est nonnisi quatenus impositio paenitentiae connectebatur lege ordinaria cum absolutione sacramentali, potuisse quasi per synecdochen ab Ambrosio dici impositione paenitentiae remitti peccata quantum ad reatum culpae. Nempe ritus ille quem sacerdos circa peccatorem confitentem

adhibebat, complectebatur quidem tum absolutionem sacramentalem tum impositionem paenitentiae, denominabatur tamen ab una sui parte dumtaxat, nempe ab impositione paenitentiae. Concludendum est igitur aetate s. Ambrosii jam ab antiquo fuisse usum ecclesiae concedendi absolutionem sacramentalem eo ipsissimo tempore quo imponebatur paenitentia.

4. S. Augustinus, Epistula 228 ad Honoratum : « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema nec potestas est ulla fugiendi, quantus in ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, *aliis paenitentiae ipsius actionem,* omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem ? Ubi, si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt, vel ligati ! » Asserit hoc loco s. Augustinus fideles, quando in summo vitae discrimine versabantur, solitos esse petere actionem paenitentiae a ministris ecclesiae, proindeque *datio sive impositio hujus actionis paenitentiae* est id quod s. Augustinus hic exhibet tamquam sacramentum cujus erogatione fideles eripiebantur ab exitio aeterno et quo per consequens desinebant esse ligati reatu culpae. Sed non aliter sacramentum cujus administratione solvebantur fideles baptizati a reatu culpae, poterat notificari a s. Augustino ex actu actionem paenitentiae imponendi, nisi quatenus ejus aetate actus sacerdotis imponentis actionem paenitentiae conjungebatur lege ordinaria cum absolutione sacramentali.

5. Concilium arausicanum I, can. 3: « Qui recedunt de corpore, *paenitentia accepta,* placuit sine reconciliatoria manus impositione iis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones patrum [nicaenorum], qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine paenitentium, et ostensis necessariis paenitentiae fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant. » Falsificatur eo canone id quod adversarii perhibent de usu loquendi veteris ecclesiae in negotio absolutionis a peccatis in foro interno; omnino vero verificatur id quod de tali usu loquendi nos perhibemus. Significant enim patres arausicani in prima sui canonis parte quid praeter et ante communionem eucharisticam moribundo ministerio sacerdotum elargiendum sit. Quod per se patet esse apprime absolutionem sacramentalem. Hanc autem patres arausicani non designant nomine *reconciliatoriae manus impositionis*, sed nomine *acceptae paenitentiae.* Ex

quo rursum concluditur non cum reconciliatoria manus impositione, finem imponente paenitentiae publicae, sed cum hujus paenitentiae impositione fuisse lege ordinaria conjunctam absolutionem sacramentalem.

Occurrunt hic adversarii dicentes absolutionem sacramentalem significari in citato canone nomine *communionis ;* peraeque enim eo nomine atque nominibus reconciliationis et pacis consignificatam esse a veteribus absolutionem sacramentalem. — *Sed contra est ;* quia, uti a nobis antea ostensum est, nomine communionis formaliter et directe intellegitur communio eucharistica, absolutio vero sacramentalis nequit eo significari nisi indirecte et praesuppositive. Quapropter ad hoc ut posset stare responsio adversariorum, oportuisset patres arausicanos non diserte indicasse quid communioni illi eucharisticae dispensatoriae de qua loquuntur, praemittendum sit; quam condicionem hic non verificari manifestum est.

6. Concilium arausicanum I, can. 12 : « Subito obmutescens, prout status est, baptizari aut paenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu » ([1]). Nihil eo canone est manifestius ad stabiliendum id quod hic

([1]) Ejusdem quidem est sensus, minus tamen stringens ad inferendum intentum canon 76 antiquissimae canonum collectionis citari solitae sub nomine concilii carthaginensis IV. « Is, inquiunt patres, *qui paenitentiam in infirmitate petit*, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium qui eum audierunt *et accipiat paenitentiam.* Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositonem et infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suae satisfactum et subdatur statutis paenitentiae legibus, quamdiu sacerdos qui paenitentiam dedit, probaverit. » Dicunt adversarii hoc loco satis aperte distingui inter quamdam impositionem manus reconciliatoriam, quae pertinuerit ad solum forum internum et semper conjuncta fuerit cum absolutione sacramentali, et alteram impositionem manus reconciliatoriam quae pertinuerit ad forum externum. Quia tamen extra casum mortis utraque manus impositio reconciliatoria eodem tempore conferebatur, idcirco communiter nomine *reconciliatoriae manus impositionis* designatas esse per modum unius tum absolutionem sacramentalem tum reconciliationem cum ecclesia in foro externo. — Sufficienter tamen excluditur haec interpretatio a) testimoniis a nobis allatis et speciatim concilii arausicani I canonibus 3 et 12. Huc accedit b) quod in canone citato infirmus exhibetur *tantummodo petere paenitentiam.* Hinc videlicet merito infertur in prisca ecclesia nomine *petitae paenitentiae* vulgo significatam esse absolutionem sacramentalem et per consequens hanc absolutionem lege ordinaria conjunctam fuisse cum impositione paenitentiae.

Ad argumentum igitur quo suam interpretationem firmare nituntur adversarii, *respondetur* negando in canone concilii carthaginensis duplicem distingui impositionem manus reconciliatoriam, unam quae valeret pro foro interno, alteram quae valeret pro foro externo. Verum reconciliatoria manus impositio quae ibi jubetur infirmo jam morti proximo concedi, est manus impositio perfecte cum ecclesia reconcilians in foro externo, quam tamen perfectam cum ecclesia reconciliationem concilium non vult valere sive sortiri suum effectum, si praeter spem contigerit infirmum revalescere. Veramque esse talis responsionis assumptionem directe patet ex canone 36 concilii epaonensis ita sta-

intendimus probare. Praescribitur in eo quid a ministro ecclesiae praestandum sit circa hominem moribundum quem vox subito deficiat. Distinguitur autem duplex casus, prouti talis homo fuerit vel in statu catechumenorum vel in statu fidelium jam baptizatorum. Si catechumenus sit, jubetur ei administrari baptismus, si vero sit fidelis jam baptizatus, jubetur ei dari *paenitentia*. Manifestum est autem nomine datae paenitentiae ibi intellegi remedium quod sit deletivum peccati, sicuti baptismus, nempe absolutio sacramentalis.

7. S. Leo, Epist. 167, inquisitione 9, quae erat « de his qui, dolore nimio perurgente, *dari sibi paenitentiam petunt,* et cum venerit presbyter, daturus quod petebant, si dolor parum perquieverit, excusant et nolunt accipere quod offertur, » respondet : « Dissimulatio haec *potest non de contemptu esse remedii*, sed de metu gravius delinquendi. Unde paenitentia quae dilata est, cum studiosius petita fuerit, non negetur. » Ibi rursum quam manifestissimum est *nomine petitae, oblatae, dilatae, non denegandae paenitentiae* intellegi non solum impositionem paenitentiae, sed etiam absolutionem sacramentalem. Nam a) hanc apprime petit sibi concedi moribundus, saluti suae prospicere cupiens, et b) paenitentia publica quae non actu sit exercita, sed tantum imposita, eatenus est remedium contra peccatum, quatenus conjungitur cum absolutione sacramentali.

8. Paulus emeritensis, qui scripsit ineunte saeculo 7° (a. 610), loquens in vitis patrum emeritensium, c. 7, de Fideli episcopo, narrat quemdam monasterii emeritensis religiosum ad eum venisse eique narrasse visionem quae paulo ante sibi obtigisset. « Cui ille [Fidelis episcopus] ait : Hoc, ut vidisti, jam alicubi dixisti, aut non ? Qui respondens, simpliciter professus est se dixisse. Ad haec ille inquit : Indulgeat tibi Dominus, frater, non recte fecisti ; scio igitur quia in futuro judicio tibi non reputabitur ad culpam : interim vade, communica et

---

tuente: « Ne ullus sine remedio aut spe veniae ab ecclesia repellatur, neve ulli, si aut paenituerit aut se correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur. Sed si cui forsitan discrimen mortis immineat, *damnationis constituta tempora relaxentur*. Quod si aegrotum, accepto viatico, revalescere fortasse contingit, *statuti temporis spatia observari conveniet*. »

Eumdem etiam sensum atque canon 76 antiquorum ecclesiae statutorum sub nomine concilii carthaginensis IV citari solitorum fundunt haec s. Leonis papae I verba in epistula 108 ad Theodorum : « Hi autem qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantia *praesidium paenitentiae et mox reconciliationis implorant,* nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda ; quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio... *In dispensandis itaque Dei donis* (paenitentia et eucharistia) non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrimas gemitusque neglegere, cum ipsam paenitentiam (internam illam, quam lacrimae gemitusque testatam faciunt) ex Dei credimus inspiratione conceptam.

da nobis osculum ; valefac omnibus ; quia iturus es tamen (ex hac vita), *et domui tuae sub omni festinatione dispone, et, si desideras, remedium paenitentiae percipe.* Qui mox *accepta paenitentia* dispositaque domo sua, valefaciens cunctis, sequenti nocte migravit e corpore. » Manifestum est Fidelem episcopum sancto religioso cui praedixerat eum jam in eo esse ut ex hac vita exiret, impertitum esse absolutionem sacramentalem ; hanc ergo, quia conjungi solita erat cum impositione paenitentiae, ipse loco citato vocat *remedium paenitentiae.* Paulus vero diaconus, haec narrans, simpliciter eam designat nomine *acceptae paenitentiae.*

244. — Pugnavimus hactenus argumentis positivis; hanc enim nobis legem ponunt adversarii, contendentes in quaestione de facto historico nonnisi expressis veterum testimoniis decertandum esse. Non tamen silentio omittendum est eos hac sua praescriptione mirificam prodere inscitiam in re theologica. Quippe rationibus etiam pure theologicis maxima inest vis ad decidendam praesentem controversiam, quatenus ea supponitur cum viris catholicis agitari. Sunt videlicet hae rationes ejusmodi : — a) Si, uti decernunt adversarii, ritu veteris ecclesiae nonnisi post peractam paenitentiam locus fuisset absolutioni sacramentali ; ergo, cum paenitentia publica plerumque per plures annos atque adeo non raro usque ad finem vitae duraret, necesse fuit saepe evenire ut sacerdos qui absolutionem sacramentalem impertiretur, alius esset ab eo qui et confessionem peccatoris primum excepisset et modum ei atque tempus paenitentiae agendae praescripsisset. Et sic disciplina illa veteris ecclesiae magno paenitentium numero impositum fuisset onus iterandi totam suam confessionem. — Ulterius b), stante sententia adversariorum, peccatores illi quibus diuturna valde paenitentia publica fungenda erat, fuissent interim expositi periculo exeundi ex hac vita in statu peccati mortalis. Praeterea — c), eadem sententia supposita, omnia opera satisfactoria eorum paenitentium qui non elicuissent actum contritionis perfectae, fuissent opera mortua, talia videlicet quae, utpote in statu peccati mortalis peracta, nec essent meritoria salutis aeternae nec, quamdiu ad ea non accessisset absolutio sacramentalis, deletiva essent poenarum peccato debitarum. Quod quis non videt quam plurimum obesse fini qui in satisfactione principaliter intenditur? Hujusmodi disciplina paenitentialis satisne convenit cum principiis doctrinae revelatae? Aut, si revera repugnet principiis fidei, potestne concedi a theologo veri nominis, ullo eam tempore viguisse in ecclesia catholica, cui infallibilitas promissa est ?

Hisce certe rationibus, e penu solius theologiae petitis, plane dirimeretur praesens controversia, etiamsi, quantum est praecise per argumenta historica, ea esset ancipitis disputationis.

245. — Ex tota disputatione quae de priscae ecclesiae disciplina paenitentiali hactenus habita est, concluditur falsas esse quoad ipsum fundamentum historicum quod ipsis substerni contendebatur — tum a) doctrinam quam de legitimo ordine satisfactionem inter et absolutionem sacramentalem tradiderunt jansenistae quamque jam pridem damnatam ab Alexandro papa VIII (1) iterata damnatione perculit Innocentius papa XI (2), — tum b) doctrinam quae ordine 33ª ponitur inter propositiones pseudo-synodi pistoriensis damnatas a Pio papa VI in bulla dogmatica : « Auctorem fidei. » « Postquam, ait pontifex, synodus professa est se non posse non admirari illam adeo admirabilem doctrinam antiquitatis *quae ad paenitentiam non ita facile et forte numquam eum admittebat qui post primum peccatum et sacram reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit *per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis injectum iri qui parum considerant malum peccati et minus illud timent.* » Porro haec doctrina dicitur a Pio VI « contraria canoni 13° concilii nicaeni I, decretali Innocentii I ad Exsuperium tolosanum, tum et decretali Caelestini I ad episcopos viennensis et narbonensis provinciae, redolens pravitatem quam in ea decretali s. pontifex exhorret. »

CAPUT III.

De modo quo ex Christi institutione exercenda est potestas clavium.

246. — Uti in antecedentibus docuimus, omnis potestas in ecclesia existens, quae exerceatur in membra ecclesiae tamquam in subditos, vocatur generalissimo nomine *potestas jurisdictionis*. Proptereaque perhibuimus potestate jurisdictionis ecclesiasticae comprehendi, praeter

(1) Videsis propositiones 16, 17 et 18 inter propositiones damnatas ab Alexandro papa VIII.
(2) Videsis propositiones 87, 88 et 89 inter 101 propositiones quesnellianas, proscriptas ab Innocentio papa XI in constitutione Unigenitus.

potestatem judiciariam ecclesiae convenientem, omnem potestatem legiferam et exsecutivam quae eidem ecclesiae competat, immo et potestatem authentici magisterii ecclesiastici. Si tamen consideretur id unde hoc nomen *potestatis jurisdictionis* est impositum, dicendum est eo proprie significari partem aliquam praedictae potestatis, nempe solam potestatem judiciariam. Ita ut quadantenus per synecdochen omnis potestas quam ecclesia in sua membra tamquam in subditos exerceat, vocata sit potestas jurisdictionis. Et ratio sic statuendi est manifesta; jurisdictio enim dicitur a jure dicundo; dicere autem jus proprium est munus potestatis judiciariae. Aliudque profecto est jus condere, quod pertinet ad legislatorem, aliud vero ad normam a legislatore constitutam causas sive litigiosas sive criminales potestative finire, quae actio est judicis quaeque proprie dicitur jurisdictio.

247. — Est autem potestas judiciaria, qualis haec in republica civili exercetur, potestas in principe communitatis civilis exsistens vel ab eodem communicata, sententia definitiva eademque ad normam legum lata sive terminandi lites inter cives exortas sive debitis poenis plectendi eos qui jura legibus sancita violaverint. Ex qua definitione accipitur potestatem judiciariam civilem, eam saltem quae praecipue hoc nomine censetur, occupari in duobus, nempe a) in definiendo pro casibus particularibus jus quod sit ambiguum sive controversum, et b) in vindicando jure laeso. Hinc pro duplici fine quem spectare potest potestas judiciaria, ea dividitur in potestatem judiciariam pure civilem et potestatem judiciariam vindicativam.

248. — Porro omnis potestas vere judicialis, eo ipso quod est judicialis, sibi necessario adjunctam habet potestatem coercitivam; quae quidem potestas coercitiva in potestate judiciaria, qualis haec in communitate civili exercetur, attenditur secundum duo. Nempe a) qui vere ac proprie est reus sive in causa civili sive in causa criminali, potest a judice sacculari cogi ad se sistendum ante ipsius tribunal, et b) post sententiam judiciariam latam potest is in quem sententia est lata, cogi ad eam exsequendam vel ad ejus exsecutionem subeundam.

Potestas illa judiciaria praecipua quam supra definivimus, dicitur etiam *potestas practoria*, quia apud romanos juri dicundo praeerant practores. Qui vero potestative exercent munus juris dicundi, non solum dicuntur *judices* vel *praetores,* sed etiam *praesides.*

249. — Omnis autem potestatis judiciariae veri nominis duplex est actus praecipuus, nempe a) actus cognoscendi de causa quae ad

tribunal judicis defertur et b) actus sententiam ferendi. Ratio primi est quod, uti jam dictum est, judex debet ferre sententiam secundum normam legibus praefixam, quod fieri nequit nisi pronuntiationi sententiae praemittatur cognitio causae. Ratio secundi patet ex essentiali et communi fine omnis potestatis judiciariae.

250. — Omnis autem sententia judicialis proprie dicta est sententia efficax, talis videlicet quae, quantum est per se, causet verum aliquem effectum in ordine juridico. Nam si talis sententia sit definitiva alicujus litis, ea non quidem confert vel aufert aliquod jus, sed quantum ad hoc solummodo *declarat* cuinam ex partibus contendentibus jus de quo ambigitur, vere competat, cuinam vero illud non competat. Verumtamen ejusmodi sententia eum causat effectum ut una ex partibus contendentibus juridice redintegretur sive in exercitium sive in publicam agnitionem sui juris, altera vero pars vel prohibeatur ab exercitio juris ipsi non debiti vel cogatur alterius jus actu praestare. Si vero sententia judicis saecularis feratur in causa criminali, non efficit quidem haec ejus sententia ut reus sive ex scelesto evadat innocens sive ex innocente scelestus ; proindeque, in quantum agitur de decernendo utrum reus sons sit an insons, sententia judicis saecularis pure est declaratoria. Hoc tamen non obstante, sententia judicis in causa criminali judicantis, vere causat aliquem effectum in ordine juridico ; nam si talis sententia sit condemnatoria, adstringit reum debito poenas luendi; si contra, talis sententia sit absolutoria, solvit reum periculo tales poenas subeundi.

251. — Duo autem maxime advertenda sunt ad hoc ut potestas judicialis discerni possit ab omni alia potestate.

Primum est, in omni causarum particularium genere quae a persona potestatem habente in quantum hujusmodi, sententialiter decidantur, sententiam, propter hoc ipsum quod est decisio causae ad normam juris exacta, perfici posse actibus potestativis duobus iisdemque sibimet mutuo oppositis, nempe vel a) sententia causam decidente in favorem illius cujus causa agitur, vel b) sententia causam decidente in detrimentum ejusdem. In eoque situs est character universaliter discernens potestatem quae in decidenda aliqua causa particulari exercetur sententialiter, a potestate quae, licet videri posset occupari et ipsa in causa aliqua particulari decidenda, non tamen exercetur sententialiter. Quotienscumque videlicet a persona potestatem habente causa non deciditur sententialiter, sed alio modo, ea deciditur per usum vel non usum potestatis, non vero duobus modis utendi potestate sibi mutuo oppositis. Sic v. g. rex habet veram potestatem poenam rei qui capitis damnatus

sit, vel relaxandi vel aliam in poenam commutandi, quia tamen hujus potestatis usus non est sententialis, idcirco non nisi unico modo contingit eam in usum traduci, scilicet in favorem rei tantummodo. Quapropter quotiens rex non relaxat vel non commutat poenam rei capitis damnati, ipse poenam rei immutatam relinquit non per usum, sed per non-usum potestatis sibi convenientis. Ceterum propter hoc ipsum quod praedicta potestas regis non exercetur sententialiter, nequit etiam proprie loquendo dici per eam decidi causam rei.

252. — Alterum quod hic advertendum est ut ab omni alia potestate cujus usu decidatur causa aliqua particularis, discerni possit potestas vere judicialis, illud est, potestatem sententiandi quae sit vere judicialis, esse vel potestatem principaliter in principe totius societatis exsistentem vel potestatem quae in ordine ad sententialiter decidendas causas a principe societatis in alias personas sit derivata. Eo porro charactere distinguitur potestas sententiandi quae sit vere judicialis, a potestate sententiandi arbitrali. Arbiter videlicet non alia potestate fert sententiam dirimitque litem, nisi ea quae ipsi ex consensu utriusque partis contendentis conceditur. Et ratio talis differentiae inter judicem et arbitrum est quod qui est verus judex, habet potestatem in alios *tamquam in subditos,* talis vero non est potestas arbitri, in quantum hujusmodi.

253. — Quaeritur in praesentiarum utrum ex institutione Christi potestas clavium exercenda sit ad modum sententiae judicialis et utrum per consequens ea vere ac proprie sit potestas judicialis.

Quaestionem hanc negative solvunt protestantes omnes, uti satis liquet ex eorum sententiis quae supra, capite I, recitatae sunt. Uti enim ibi explicatum est, ponunt protestantes potestatem condonandorum peccatorum quam Christus ecclesiae suae concredidit, consistere sive in munere cuipiam annuntiandi pertinere ad eum in particulari promissiones Christi de remissione peccatorum apprehendenda per fidem, sive in nudo ministerio cuipiam denuntiandi sua peccata propter fidem ipsius in promissiones Christi jam esse dimissa. Jam vero manifestissimum est eum qui tali munere talive ministerio fungitur, non agere personam judicis, sed personam nuntii. Non enim ipse sententialiter decidit causam peccatoris, sed tantummodo nuntiat peccatori causam ipsius a Deo decisum iri vel a Deo jam decisam esse.

254. — Affirmative vero respondent ad quaestionem propositam catholici omnes, immo si minus diserta doctrina, saltem continua sua praxi, etiam sectae ferme omnes quae antiquis temporibus in oriente

exortae sunt, iis haud exceptis quae, uti nestoriani et monophysitae, jam inde a saeculo V a sinu ecclesiae sunt divulsae. Ut autem distinctius percipiatur ratio illius potestatis judiciariae quam secundum doctrinam catholicam Christus verbis apud Jo. xx relatis ecclesiae suae contulit, sciendum est inter hanc potestatem et judiciariam potestatem vindicativam in societate politica exsistentem, intercedere similitudinem quoad quaedam, ingentem vero dissimilitudinem quoad alia. Et quidem convenientia quae est inter utramque potestatem, praecipue attenditur — tum a) ex parte termini qui per utramque respicitur, — tum b) aliquo modo etiam ex parte finis ad quem qualitercumque ordinantur. Nam et terminus ad quem per se et principaliter utraque potestas refertur, non sunt nisi rei, in quantum hujusmodi, et id quod ab utraque aliquo saltem modo intenditur, est vindicta delictorum commissorum.

Differentia vero inter utramque hanc potestatem maxime attenditur ex parte finis ad quem principaliter ordinantur. Finis videlicet ad quem principaliter ordinatur potestas judiciaria vindicativa in societate politica exsistens, non est bonum ipsius rei, sed est bonum reipublicae, estque ea ratio cur delictorum punitio sit id quod ad modum finis proximi primo et per se usu talis potestatis intendatur. Contra, finis ad quem principaliter ordinatur potestas judiciaria in foro conscientiae ab ecclesia exercita, est *bonum ipsius rei* sive *beneficium aliquod reo conferendum,* et propterea delictorum punitio non intenditur talis potestatis usu nisi secundario et ex consequenti, id vero quod primo et per se ejus usu intenditur, est peccatorum condonatio.

Ex hac autem primaria differentia sequuntur omnes aliae differentiae quae inter utramque potestatem sint assignabiles. Secunda videlicet differentia est quod in quo sententia judicis saecularis est mere declarativa, in eo sententia sacerdotis in foro interno absolventis, est effectiva. Nam sententia judicis saecularis ostenditur dumtaxat utrum reus sit justus an injustus, sententia vero sacerdotis in foro interno absolventis, reum ex injusto efficit justum.

Tertia est differentia quod poenae quae infliguntur reo a judice saeculari exercente potestatem judiciariam vindicativam, sunt poenae pure ac simpliciter ; dum contra, poenae quae imponuntur reo a judice ecclesiastico exercente potestatem judiciariam in foro conscientiae, sunt tantummodo poenae secundum quid, nempe poenae satisfactoriae et medicinales.

Quarta est differentia quod potestas illa judiciaria quae judicibus reipublicae civilis competit, essentialiter pertinet ad forum externum,

dum contra, potestas illa judiciaria quae est potestas condonandorum peccatorum quantum ad reatum culpae, essentialiter pertinet ad forum internum.

Quinta denique est differentia quod in tribunali illo quod ad judicandos reos in foro externo societas civilis erexit, alia est persona rei, alia persona accusatoris et alia persona testis; dum contra, in tribunali illo quod in foro interno Christus erexit, idem qui est reus, est et accusator et testis.

Propositio.

Potestas clavium vi institutionis Christi exercenda est ad modum judicii, proptereaque ea potestas, prouti actu exercetur, est potestas vere judicialis, includens videlicet praeter potestatem ordinis, etiam potestatem jurisdictionis.

255. — Propositio est de fide, quam docet concilium tridentinum, sess. XIV, capp. 2, 5 et 6, quamque sub anathemate definit ejusdem sessionis canone 9. Et quidem cap. 2, differentiam declarans sacramenti baptismi et paenitentiae: « Constat, inquit, baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum ecclesia in neminem judicium exerceat qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus... Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus de lavacro baptismi sui corporis membra semel effecit ; nam hos, si se crimine aliquo postea contaminaverint,... ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam... possent liberari. » Tum capite 5 : « Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quae Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. » Deinde capite 6 : « Quamvis absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio ; tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi evangelium vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur. » Postremo canone 9 definit concilium : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti,... anathema sit. »

256. — **Primum argumentum** accipitur *ex verbis collationis pote-*

statis condonandorum peccatorum relatis apud Jo. XX, 23. Probatio est hujusmodi: Ea potestas ex institutione Christi exercenda est ad modum judicii, quae a Christo, tamquam a supremo capite ecclesiae, derivata est in apostolos et eorum successores quaeque eadem ex voluntate Christi institutoris non alium habet usum quam ut ministri ecclesiae tali potestate insigniti, auctoritative definiant causas quasdam particulares, de iis cognoscendo et sententiando. Atqui vi verborum institutoris Christi apud Jo. XX, 23, talis est potestas clavium sive potestas condonandorum peccatorum. Ergo haec potestas vi institutionis Christi, h. e. jure divino, exercenda est ad modum judicii.

Major, suppositis iis quae praemissa sunt in expositione status quaestionis, manifesta est; enumerat enim omnes condiciones requisitas ad hoc ut aliqua potestas vere ac proprie sit potestas judicialis.

Minor vero propositi argumenti probatur per partes hoc tenore:

1° *Potestas illa condonandorum ac retinendorum peccatorum, quantum ad omnem potestatem, sive ordinis sive jurisdictionis, quae ad ejus exercitium actualiter requiratur, derivatur a Christo, ut est supremum caput ecclesiae, in ministros ecclesiae.*

Et quidem a) potestatem illam omnem esse a Christo ecclesiae collatam, ideoque eam potestatem, in quocumque demum ecclesiae ministro inveniatur, esse per comparationem ad Christum *potestatem delegatam*, satis patet ex probatione quae supra, capite I, instituta est ad stabiliendum primum ex quinque assertis quae ibi enuntiata sunt. Potestatem vero illam esse b) collatam a Christo, ut est formaliter supremum ecclesiae caput, patet ex nexu verborum collationem hujus potestatis continentium cum verbis antecedentibus. Uti enim antea explicatum est, ex tali nexu concludendum est potestatem condonandorum ac retinendorum peccatorum esse partem totius illius potestatis quam Christus contulit suis apostolis hisce verbis: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. » Hisce autem verbis significavit Christus se, *prouti erat a Patre constitutus supremum ecclesiae caput,* transfundere in apostolos, tamquam in vicarios suos, participationem potestatis a se acceptae a Patre. Sensus videlicet horum verborum est: sicut Pater mihi contulit per subordinationem ad se plenariam potestatem ad fundandum sanguine meo ecclesiam et ad procurandum in ea et per eam opus salutis animarum; ita et ego modo, tamquam fundator et supremum caput ecclesiae, vobis confero per subordinationem ad me participationem hujus meae plenariae potestatis in ordine ad procurandum in ecclesia et per ecclesiam idem illud opus salutis animarum.

2° *Ex voluntate Christi institutoris potestas illa condonandorum ac retinendorum peccatorum non alium habet usum quam ut ministri ecclesiae ea potestate insigniti definiant causas peccatorum.*

Patet id quam apertissime ex verbis institutionis. Iis videlicet significat Christus definiendum esse a sacerdotibus legatione pro se fungentibus, sintne remittenda peccata an retinenda.

3° *Ex voluntate Christi institutoris in hoc negotio peccatorum sive conscientiarum ministri ecclesiae praedicta potestate instructi, praemittere debent decisioni causae cognitionem causae, h. e. juridicam ejus examinationem.*

Patet id dupliciter. *Primo* ex eo quod apud Matth. IV, 17, Christus denuo promulgavit legem paenitentiae, apud Lucam vero, XIII, 1-5, ipse significavit nemini qui paenitentiam non egerit, remissionem suorum peccatorum concessum iri. Quia ergo Christus non aliam potuit apostolis conferre potestatem nisi talem quae concordaret cum legibus a se constitutis, manifestum est voluisse eum ut a sacerdotibus potestate clavium utentibus, peccatorum causae deciderentur ad normam legis paenitentiae a se promulgatae et declaratae. Jam vero dicere ad normam legis paenitentiae peccatorum causas decidendas esse, idem est atque dicere decisioni hujusmodi causarum praemittendam esse earum cognitionem, h. e. juridicam earum examinationem.

Secundo idem patet *ex ipsis verbis institutionis.* Hisce quippe verbis Christus significat a ministris ecclesiae, potestate a se communicata utentibus, causam peccatorum ita decidendam esse ut discretio fiat inter eos quorum peccata sint remittenda, et eos quorum peccata sint retinenda. Quam discretionem nimis manifestum est non esse faciendam arbitrarie, sed ad normam legum ab ipso Christo positarum. Sed, uti jam dictum est, facere praedictam discretionem tali modo, idem est atque decisioni causae praemittere juridicam causae cognitionem.

4° *Voluntate Christi institutoris potestas clavium, quantum attinet ad essentialem suum actum, consistentem in decisione causae peccatoris, exercenda est sententialiter, et quidem ad modum sententiae judicialis.* Est haec quarta assertio ipsissima ferme propositio principalis in cujus probatione hic occupamur. Sumiturque ejus probatio a) ex duplici actu remissionis peccatorum et retentionis eorumdem, quem Christus verbis a Joanne relatis potestati clavium assignat. Est autem probatio ejusmodi : Ex tribus assertionibus hactenus probatis habetur potestatem clavium, saltem quatenus actu exercetur, esse potestatem publicam, et a persona habente talem potestatem non decidi causam aliquam, nisi quatenus prius constituta est cognitio de tali causa. Sed decisio causae

quae fiat a persona, quatenus praedicta potestate instruitur, consistit in sententia vere ac proprie judiciali, quando ea decisio non consistit in usu vel non usu potestatis, sed vel in actu potestativo personae cujus causa agitur, favente, vel in actu potestativo eidem personae non favente. Quia ergo, uti patet ex verbis Christi institutoris, quotienscumque a ministris ecclesiae pro potestate clavium ipsis collata, causa peccatoris deciditur, ea decisio, in utramvis partem fiat, semper consistit in actu aliquo potestativo, nempe vel in actu remittendi peccata vel in actu ea retinendi, necessario concludendum est potestatem clavium voluntate Christi institutoris exercendam esse ad modum judicii, hoc est ad modum sententiae judicialiter prolatae.

'Quod vero assumitur vel praesupponitur in tali probatione, nempe verbum latinum *retinere* fideliter reddere vim verbi graeci κρατεῖν, ita ut tam eo verbo quam verbo ἀφίεναι significata sit a Christo actio positiva, id nemo sane qui in lingua graeca eruditus sit, inficias ibit. Est enim κρατεῖν idem atque *coercere, impedire ne aliquid abeat*, quod procul dubio actionem positivam sonat.

Ceterum b) assertio cujus probationi modo incumbimus, sufficienter colligitur vel ex solis tribus assertionibus prius probatis. Ex omnium enim hominum conceptu ea potestas a principe communitatis descendens, est vere ac proprie potestas sententiandi atque adeo potestas judiciaria, cujus usu causa aliqua particularis decidenda est vere ac proprie, h. e. non ex arbitrio illius qui dicta potestate insignitur, sed ex meritis illius cujus causa agitur ; jam vero talem esse potestatem condonandi retinendive peccata quam Christus Jo. xx, 23, apostolis contulit, ostensum relinquitur probatione facta pro tribus assertionibus praecedentibus.

257. — Ex probatione facta haec etiam deduces, quae in ultima propositionis parte partim implicite, partem explicite asseruntur :

1° Usu potestatis clavium non posse remitti nisi peccata post baptismum admissa, quandoquidem potestas judiciaria, cujusmodi modo ostensa est esse potestas clavium, exerceri non potest nisi in subditos, non autem fit aliquis ecclesiae subditus nisi receptione sacramenti baptismi ;

2° Potestatem clavium, quatenus actu exercetur, includere praeter potestatem ordinis, potestatem jurisdictionis, idque propterea quia potestas judiciaria, eo quod terminatur ad subditos, sit pars potestatis jurisdictionis, non autem potestas ordinis sit potestas juridictionis, nisi aptitudinaliter tantummodo.

Secundum Argumentum *sumitur ex auctoritate veterum patrum,* ex quorum concordi testimonio in re praesenti sufficiens accipitur ratio asserendi doctrinam thesi contentam ab ipsa praedicatione apostolica ad nos usque manasse. Sufficiat huc adduxisse insigniora quaedam testimonia.

1° Chrysostomus, in lib. III De sacerdotio : « Neque enim solum, inquit, cum nos regenerant (sacerdotes), *sed etiam postea,* condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. Qui terram incolunt atque in ea versantur, his commissum est ut ea quae in caelis sunt, dispensent. His datum est ut potestatem habeant quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est : quaecumque alligaveritis in terra, erunt alligata et in caelis, et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo. Habent quidem terrarum principes vinculi potestatem, verum corporum tantummodo. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit atque ad caelos usque pervadit; usque adeo ut quaecumque infra sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, *ac servorum sententiam Dominus confirmet...* Pater omnifariam potestatem Filio dedit. Ceterum video ipsam eamdem potestatem a Deo Filio illis traditam. » Ostendit autem hisce verbis, quorum ordinem nonnihil interturbavimus, amplissimam hanc potestatem apostolos tunc accepisse, cum Jo. XX, 23, sic eos Christus allocutus est : « accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis » etc. « Etenim, inquit, quidnam hoc aliud esse dicas nisi omnium rerum caelestium potestatem illis a Deo concessam ? »

Ex hisce Chrysostomi verbis deducitur 1° sententia s. doctoris textu Jo. XX, 23 : « quorum remiseritis » etc., collatam esse a Christo suis apostolis veram ac proprie dictam potestatem remittendorum ac retinendorum peccatorum quantum ad reatum culpae. Rationes ita statuendi sunt — tum a) quod secundum s. doctorem usu praedictae potestatis ipsa anima intus attingitur, — tum b) quod secundum ipsum potestas haec ita distinguitur a baptismo, ut tamen per eam, haud secus atque per baptismum, remittantur peccata, — tum c) quod, uti pergit dicere s. doctor, potestate Jo. XX, 23, a Christo apostolis facta fit dispensatio rerum cælestium; cujusmodi sane dispensatio, pro eo quod est usus potestatis condonandorum peccatorum, nequit intellegi esse alia quam dispensatio gratiae remissivae peccatorum, jus haereditatis caelestis restituens, — tum d) quod, uti exponendo haec verba : « quaecumque ligaveritis, » s. doctor edisserit, apostoli, accepta

potestate ligandi atque solvendi, participes facti sunt omnifariae potestatis Christi, pars autem omnifariae hujus Christi potestatis est utique etiam potestas peccata dimittendi quantum ad reatum culpae. — Adde e) quod, stante sententia protestantium de natura praedictae potestatis dimittendorum retinendorumve peccatorum, non modo hyperbolica, sed plane ridicula essent encomia quibus hanc potestatem Chrysostomus exornat. Vel certe falso asseruisset Chrysostomus ejusmodi potestatem ne angelis quidem atque archangelis a Deo commissam esse.

Ex iisdem Chrysostomi verbis deducitur 2° pertinetque id jam proprie ad quaestionem quam modo instituimus, sententia s. doctoris potestatem dimittendorum retinendorumque peccatorum de qua Jo. xx, 23, exercendam esse ad modum judicii. Quod quidem ostenditur dupliciter. Nempe a) contendit s. doctor potestatem admittendorum retinendorumve peccatorum ecclesiae concreditam cum potestate principum saecularium, et quidem non cum hac potestate universim inspecta, sed cum ea ejusdem parte quae est potestas judiciaria. Quippe haec solummodo potestas intellegitur notificari, quando a suo effectu vocatur potestas injiciendi vincula corporibus. Et quidem sub formali ratione potestatis judiciariae contendit Chrysostomus potestatem dimittendorum retinendorumve peccatorum cum potestate judiciaria principum civilium, quando asserit priorem illam potestatem idcirco esse longe excellentiorem hac posteriore, quia haec injiciat vincula solis corporibus, illa vero injiciat vinculum animae, eo videlicet quod ligata retineat peccata. Perspicue ergo s. doctor suo modo loquendi de potestate dimittendorum peccatorum intellegendum dat eam esse potestatem judiciariam. Quod ceteroquin facit etiam, b) quando actum hujus potestatis vocat *sententiam* eamque efficacem, h. e. talem quam Dominus in caelis ratam habeat ac confirmet.

2° S. Hieronymus, Epist. 4, ad Heliodor., n. 8 : « Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos christiani sumus, *qui claves regni caelorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant.* » Hoc loco usum potestatis clavium reponit Hieronymus in actu judicandi ; intendit autem hoc verbo *judicare* significare actum qui vere ac proprie sit sententia judicialis, uti liquet ex eo quod actum judicandi sacerdotum ait esse quasi anticipationem quamdam sententiae quae in die ultimi judicii a Christo Domino proferetur.

3° S. Gregorius magnus, Homil. 26 in evang., nn. 4 et 6. Ibi pontifex,

exponens verba Christi Jo. XX, 23 : « quorum remiseritis peccata » etc., haec edisserit de natura potestatis remittendorum ac retinendorum peccatorum, ecclesiae a Christo concreditae : « Ecce non solum de semetipsis (apostoli) securi fiunt, sed etiam alienae obligationis potestatem relaxationis accipiunt, *primatumque superni judicii sortiuntur,* ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, *animarum judices fiunt,* et alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant... Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecesserit aut quae sit paenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitet, *illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis.* » Nihil opus est hoc testimonium elucidare ut pateat eo contineri doctrinam thesi assertam. Sacerdos in eo dicitur esse *judex praesesque,* qui judicandi potestatem accipiens a Deo ipsiusque *Dei vice* fungens, primum *penset,* h. e. examinet causam peccatoris, et deinde, si deprehenderit peccatorem esse vere contritum, eum *sententia sua absolvit,* secus eumdem damnaturus.

259. — Corollarium. Ex hactenus facta probatione in manifestiore luce collocatur id quod capite I, adstruendo potestatem condonandorum ac retinendorum peccatorum, asseruimus de discrimine intercedente inter talem potestatem et potestatem administrandi sacramentum baptismi. Uti videlicet eruitur ex modo allatis, attenditur illud discrimen secundum tria, quatenus videlicet a) in baptismo remissio peccatorum fit per modum ablutionis, usu vero potestatis clavium ea remissio fit per modum judicii, et quatenus b) baptismus administratur exsistentibus extra ecclesiam, potestas vero clavium non exercetur nisi in subditos ecclesiae, et quatenus denique c) licet etiam de iis qui baptismum petunt, constare debeat ex praemissa examinatione utrum sint *dispositi* an *indispositi* ad sacramentum illud fructuose accipiendum, non tamen, proprie loquendo, a ministro baptismi, sicut a ministro paenitentiae, causa peccatoris potestative deciditur, vel saltem ab eo causa baptismum petentium non in alterutram partem deciditur per actum potestatis baptizandi, sed per usum vel non usum hujus potestatis, dum contra, causa se subjicientium potestati clavium in utramvis partem deciditur per verum usum hujus potestatis.

260. — Argumenta quibus doctrina thesi asserta a protestantibus oppugnatur, jam plene proposita ac soluta sunt capitibus I et II. Sumi posset etiam **objectio** ex eo quod plures patres ecclesiae orientalis, uti

Origenes, Basilius, s. Ephrem, Aphraates, sacerdotem utentem potestate clavium, non judicem appellant, sed *medicum*. Hoc tamen facile solvitur, si praenotetur sacerdoti utenti potestate clavium convenire tum munus judicandi, tum etiam munus curandi. Quatenus videlicet peccatorem a peccatis suis absolvit, sacerdos fungitur persona judicis, quatenus vero peccatori confitenti salubrem paenitentiam imponit, ipse implet officium medici. Hoc praenotato, **dicitur ad difficultatem factam** patres illos ecclesiae orientalis propterea potius exhibuisse ministrum potestatis clavium tamquam medicum quam tamquam judicem, quia eorum sermo maxime erat de paenitentia publica quae a sacerdote peccata quaedam enormia confitentibus imponenda erat.

CAPUT IV.

De necessitate omnia peccata mortalia post baptismum commissa subjiciendi potestati clavium.

261. — Explicavimus capite superiore quid differat inter judicem proprie dictum et arbitrum.

Porro sententia quorumdam auctorum, ac nominatim Scoti et Suarezii judex proprie dictus potest esse vel necessarius vel arbitrarius sive voluntarius.

Judex necessarius, ut ipsi perhibent, est ille cujus solius sententia causa aliqua definiri potest quique idcirco pollet potestate cogendi reos ad se sistendum ante suum tribunal.

Judex vero *arbitrarius* sive *voluntarius,* ut iidem auctores definiunt, est ille sine cujus interventu causa aliqua definiri potest quique idcirco non potest cogere reum ad comparendum coram suo tribunali, quandoquidem ex voluntate principis liberum relinquitur reo ut adeat vel tribunal hujus judicis vel tribunal alterius judicis.

262. — Quaestio est *utrum ex institutione Christi apostoli et eorum successores constituti sint in foro interno judices necessarii, an judices arbitrarii tantummodo.* Quam quaestionem manifestum est non procedere de judicibus conscientiae, prouti accipiuntur determinate sive copulative, sed de iisdem, prouti accipiuntur confuse sive disjunctim. Ita ut quaestio modo proposita intendat petere utrum ex institutione Christi is qui post susceptum baptismum mortale peccatum commiserit, necesse habeat

ad obtinendam hujus sui peccati remissionem sese judicandum subjicere uni cuipiam ex iis sacerdotibus qui respectu ipsius sufficientem habent jurisdictionem in foro interno, an vero, quantum est praecise ex institutione Christi, alia adhuc via possit is qui post baptismum peccaverit, obtinere sui peccati remissionem et an per consequens in ejus arbitrio relinquatur aliquem ex praedictis sacerdotibus tamquam judicem suae conscientiae adire vel nullum prorsus adire.

Quaestio sic declarata clarius proponitur sciscitando *utrum tribunal illud quod in foro paenitentiali interno Christus erexit, sit vi verborum institutionis tribunal necessarium, an tribunal arbitrarium dumtaxat.*

Adhuc clarius enuntiatur eadem quaestio, si adhibeantur termini quibus communiter efferri solet, petendo videlicet *utrum ex institutione Christi necesse sit ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum admissorum, ea subjicere potestati clavium.*

Supposito autem verbis Christi relatis Jo. XX, 23, contineri institutionem sacramenti paenitentiae, potest quaestio proposita adhuc aliter enuntiari, petendo videlicet *utrum sacramentum paenitentiae institutum sit a Christo tamquam medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum.* Quod si ulterius supponatur confessionem auricularem partem esse essentialem sacramenti paenitentiae, potest adhuc aliis verbis proponi eadem quaestio, petendo *utrum ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum admissorum, jure divino sit necessaria specifica eorum confessio, facta sacerdoti sufficientem jurisdictionem in foro interno habenti.*

In praesentiarum ita inquirimus utrum peccata mortalia post baptismum commissa, sint ex institutione Christi necessario subjicienda clavibus ecclesiae, ut a modo quo clavibus ecclesiae necessario subjicienda sint, omnino praescindamus.

263. — Ut autem id quod proprie hic investigari intenditur, adhuc pressius determinetur, recolenda sunt ea quae parte I hujus tractatus, capite VII, docuimus de distinctione intercedente inter necessitatem medii et necessitatem praecepti. Addendumque his est ea quae sunt necessaria necessitate medii, vel a) nullo modo nostrae potestati esse subjecta, cujusmodi sunt v. g. passio Christi et auxilia gratiae praevenientis, vel b) quantum est per se, nostrae liberae voluntati esse subjecta, cujusmodi sunt v. g. baptismus et ingressus in veram Christi ecclesiam.

Porro duo sunt animadvertenda circa ea necessaria necessitate medii quae ad posteriorem hanc classem pertinent.

Primum est, necessitatem medii quae de iis asseritur, ita esse expli-

candam ut ea intellegantur esse necessaria necessitate medii vel in re vel saltem in voto. Erunt videlicet necessaria *in re,* quando expedita aderit facultas ea usurpandi. Erunt vero solummodo necessaria in voto, quando impossibile erit ea in re ipsa usurpari. Ulterius, si impossibile sit concipi de iis votum explicitum, satis erit haberi de iis votum implicitum sive virtuale. Et ratio universaliter et sine ulla exceptione ita decernendi manifesta est : ad oppositum quippe tuendum oporteret dicere Deum non velle serio omnes homines salvos fieri, neque ipsum largiri omnibus hominibus gratias vere sufficientes ad salutem operandam. Id porro dici non posse ex alibi demonstratis ut manifestum hic assumimus.

Secundum quod animadvertendum est circa ea quae ita sunt necessaria necessitate medii ut, quantum est per se, nostrae potestati sint subjecta, illud est, omnia quae sunt hujusmodi, propter hoc ipsum quod sunt necessaria necessitate medii, esse respectu adultorum ratione utentium etiam necessaria necessitate praecepti. Cujus ratio, quando loco supra citato determinatum est de necessitate paenitentiae, sufficienter assignata est.

264. — Necessitas quam usui passivo potestatis clavium competere in praesenti disputatione ostensuri sumus, est praeprimis *necessitas medii ad obtinendam remissionem peccatorum letalium post baptismum admissorum.* Quia vero hic usus passivus potestatis clavium est aliquid quod, quantum est per se, in nostra potestate est positum, idcirco, supposita demonstratione mox afferenda in considerationemque tracta doctrina quam de iis necessariis necessitate medii quae in nostra potestate sunt constituta, proxime tradidimus, consequenter *dicendum est* 1° ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum esse quidem regulariter necessarium ut omnia haec peccata subjiciantur re et effectu clavibus ecclesiae ; si tamen facultas id praestandi desit, satis esse ad praedictum finem consequendum elici de iisdem peccatis actum contritionis perfectae, conjunctum cum voto ea, ubi opportunitas se obtulerit, clavibus ecclesiae subjiciendi. Deest autem facultas re et actu peccata post baptismum admissa clavibus ecclesiae subjiciendi, quando aut copia confessarii deest, aut memoria peccatorum penitus abolita est, aut propter causam non culpabilem impeditur actualis ad peccata advertentia, aut invincibiliter ignoratur necessitas omnia peccata letifera post baptismum admissa clavibus ecclesiae subjiciendi.

Et quidem, si primum tantum ex quattuor illis casibus verificari

contigerit, numquam obtineri poterit peccatorum post baptismum admissorum remissio, nisi concipiatur votum explicitum de hisce peccatis clavibus ecclesiae subjiciendis. Quod quidem votum oportebit regulariter adjungi actui contritionis perfectae. Si tamen intervenerit casus martyrii, satis erit illud adjungi actui attritionis, uti satit patet ex iis quae parte I, capite VII, de necessitate paenitentiae detestativae determinata sunt. Quod si defuerit in casu illo quem modo consideramus, votum illud explicitum de peccatis post baptismum admissis clavibus ecclesiae subjiciendis, signum erit neque haberi actum contritionis perfectae neque adeo actum attritionis efficacis. Quippe ex utrovis actu de necessitate consequitur votum illud explicitum, dummodo actu advertatur ad absolutam necessitatem peccata post baptismum admissa clavibus ecclesiae subjiciendi ad consequendam horum peccatorum remissionem.

Si vero aliquem ex tribus reliquis casibus supra enumeratis verificari contigerit, satis erit ad eumdem finem remissionis peccatorum consequendae, votum de peccatis post baptismum admissis clavibus ecclesiae subjiciendis esse virtuale sive implicitum. Loquendumque erit de hujusmodi voto implicito accommodate ad ea quae in parte I, capite VII, de necessitate paenitentiae detestativae determinata sunt. Ita ut pro diversitate casuum proxime memoratorum votum illud virtuale reponendum sit aliquando quidem in contritione perfecta formali, aliquando vero in contritione perfecta virtuali, h. e. in actu caritatis perfectae, aliquando denique, nempe quando intervenerit casus martyrii, in efficaci attritione sive formali sive etiam mere virtuali.

Contingere etiam potest ut aliquis quaedam ex peccatis letalibus a se admissis reipsa subjiciat clavibus ecclesiae, quaedam vero iisdem clavibus non subjiciat, propterea quod actu eorum non recordatur. Et tunc manifestum est peccata haec posteriora indirecte remitti virtute clavium. Ex quo est consequens in actu attritionis virtualiter universali, prouti conjungitur cum actuali receptione sacramenti paenitentiae, contineri pro eo casu sufficiens votum virtuale peccata memoria elabentia directe subjiciendi clavibus.

Generaliter itaque decernendum est, vi institutionis Christi nulla omnino peccata letifera post baptismum admissa posse remitti nisi *aut* virtute clavium ea directe vel indirecte attingente *aut* saltem in ordine ad claves.

265. — Stante eadem suppositione sub qua primum assertum enuntiatum est, supposito videlicet necessarium esse necessitate medii

omnia peccata mortalia post baptismum admissa subjici potestati clavium, *dicendum est* 2° omnia illa peccata subjici potestati clavium esse etiam necessarium necessitate praecepti positivi divini. — Ratio hujus asserti accipitur, sicuti ratio prioris asserti, ex doctrina generali quam praemisimus de iis necessariis necessitate medii quae nostrae potestati sunt subjecta. De omnibus nimirum necessariis necessitate medii quae sint ejusmodi, ostensum est parte I hujus tractatus, capite VII, ea, propter hoc ipsum quod sunt necessaria necessitate medii, esse etiam necessaria necessitate praecepti. Nec vero est ut aliter probetur exsistere praeceptum divinum jubens omnia peccata post baptismum admissa subdi clavibus ecclesiae.

Quia autem illud praeceptum est affirmativum, obligat quidem *semper*, non tamen *pro semper*. Urget porro obligatio illud adimplendi a) per se, in articulo mortis vel in discrimine vitae quod articulo mortis aequivaleat, et b) vi praecepti ecclesiastici tempus quo illud praeceptum divinum obligat determinantis, semel intra spatium cujusque anni.

Contingere autem potest ut homo baptizatus in statu peccati mortalis exsistens, eliciat actum perfectae contritionis de suis peccatis eo tempore quo nondum urget praeceptum subjiciendi haec sua peccata potestati clavium. Et tunc consequetur talis homo suorum peccatorum remissionem, absque hoc quod propterea necesse sit eum habere propositum sese statim sistendi ante tribunal quod in foro interno Christus erexit. Non tamen poterit talis homo justificari absque ordine ad claves, h. e. absque eo quod efficaciter proponat comparere coram praedicto tribunali eo saltem tempore quo jam urgebit praeceptum ad illud adeundum obligans. Immo, spectata naturali efficacia actus contritionis perfectae, vix est ut peccator talem eliciat actum, nec tamen vi illius statim confugiat ad certissimum illud contra peccata remedium quod consistit in usu passivo potestatis clavium.

266. — Quia autem, uti supra monuimus, ita in re praesenti colligitur ex necessitate medii necessitas praecepti divini, ut ea necessitas simul cum illa vel stet vel ruat, idcirco sufficit ita institui quaestionem quam principio proposuimus, ut tantummodo investigetur utrum vi verborum Christi institutoris apud Jo. xx, 23, usus passivus potestatis clavium necessarius sit necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum letalium post baptismum admissorum.

267. — Licet autem sub tali enuntiatione quaestio hic examinanda ad artissimos terminos reducta sit, ea tamen virtute est duplex; interrogat nimirum non solum de conclusione, sed etiam de ratione

concludendi. Sciendum est videlicet controverti inter theologos utrum absoluta necessitas hujus remedii contra peccata quod est usus passivus potestatis clavium, sufficienter colligatur ex verbis Jo. xx, 23, an vero ad hoc ut talis collectio sit efficax, opus sit recursu ad traditionem. Potest autem dupliciter intellegi opus esse ad praedictam necessitatem ostendendam fieri recursum ad traditionem. *Primo modo* ita ut sensus sit traditionem illam esse *traditionem additivam*. Et secundum talem modum dicendi contenditur Christum verbis relatis apud Jo. xx, 23, significasse quidem passivum usum potestatis clavium esse remedium utile et efficax contra peccata mortalia post baptismum admissa, nullo modo tamen, quantum est ex vi horum verborum, eum significasse tale remedium esse absolute necessarium ad obtinendam horum peccatorum remissionem; proptereaque hanc absolutam necessitatem non aliunde innotescere posse quam ex traditione divino-apostolica. *Secundo modo* potest intellegi opus esse recursu ad traditionem ad ostendendam absolutam necessitatem peccata post baptismum admissa subjiciendi clavibus ecclesiae, ita ut sensus sit traditionem illam ad quam oporteat recurri, esse *traditionem declarativam*. Et secundum talem modum dicendi conceditur verbis Christi relatis apud Jo. xx. 23, contineri expressam absolutam necessitatem subjiciendi peccata post baptismum admissa potestati clavium; additur tamen haec verba non esse satis clara ut ex iis per se et nude sumptis talis necessitas efficaciter inferri possit, proptereaque ad hoc ut invicte stabiliatur talis necessitas oportere ut ea arguatur ex praedictis verbis, prouti substant sensui traditionali.

268. — Porro theologi catholici omnes qui post tempora concilii tridentini de sacramento paenitentiae tractaverunt, summo consensu asserunt ex institutione Christi necessarium esse tum necessitate medii tum necessitate praecepti omnia peccata post baptismum commissa subjici clavibus ecclesiae. Sed in eo hi auctores inter se differunt quod a) alii censent hanc necessitatem sufficienter deduci ex verbis Christi relatis a Jo. xx, 23, alii b) contendunt eam non posse efficaciter colligi ex hisce verbis, nisi ea sumantur in complexu cum traditione eorum sensum determinante, alii denique, nempe Scotistae, c) defendunt eam non posse deduci ex laudatis Christi verbis, nisi prouti accipiuntur in complexu cum praeceptis dilectionis Dei et sui ipsius.

269. — Quod vero attinet ad eos doctores scholasticos qui ante celebratum concilium tridentinum floruerunt, hi in disceptanda quaestione quae hic resolvenda proponitur, multo magis a se invicem

dissenserunt. Exstitit videlicet inter eos controversia non modo de ratione concludendi propositionem hic principaliter intentam, sed etiam de veritate ipsiusmet hujus propositionis. Tres autem sententiae hic praesertim notandae sunt.

Prima est sententia asserentium ad obtinendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum usum passivum potestatis clavium neque esse necessarium necessitate medii, neque etiam esse necessarium necessitate praecepti divini. Sive, quod idem est, juxta auctores primam hanc sententiam tenentes necessitas omnia peccata post baptismum commissa subjiciendi potestati clavium non provenit ex institutione Christi sive ex jure divino, sed tantummodo ex praecepto ecclesiastico. Ita decernunt Gratianus, Hugo a s. Victore, Alexander Alensis, Bonaventura et Jansenius.

Secunda est sententia Scoti asserentis in Sent. IV, dist. 17, quaest. unica, obligationem omnia peccata post baptismum patrata potestati clavium subjiciendi esse quidem de jure divino, non tamen hanc obligationem posse sufficienter colligi ex solis Christi verbis relatis Jo. XX, 23, sive demum ea verba per se et nude sumantur, sive accipiantur prouti eorum sensus determinatur ex traditione. Verum unicam rationem obligationem illam, si minus necessario, saltem congrue, ex scriptura adstruendi accipi ex praedictis Christi verbis sumptis in suo complexu cum duobus praeceptis divinis dilectionis Dei et dilectionis sui ipsius. Supposito nimirum ministerium potestatis clavium esse ex institutione Christi medium efficax ad recuperandam gratiam peccato amissam, virtute hujus praecepti : diliges Dominum Deum tuum etc., et virtute hujus alterius praecepti : diliges teipsum, stricta obligatione teneri hominem baptizatum qui primam gratiam amiserit, ad illud medium adhibendum. Et hoc propterea, quia, ubi sunt duae viae consequendi salutem, teneamur ad faciliorem et tutiorem sive certiorem ; ad peccatorum autem remissionem consequendam facilior et tutior via sit recursus ad usum potestatis clavium quam recursus ad actum contritionis perfectae.

Partem autem negantem suae sententiae, nempe verbis Christi relatis Jo. XX, 23, sive per se, sive prouti substant traditioni, considerentur, non contineri sufficienter expressam necessitatem peccata post baptismum admissa potestati clavium subdendi, hisce rationibus fulcit Scotus: 1° Verbis Christi relatis Jo. XX, 23, eodem modo significatur potestas retinendi peccata apostolis collata, atque potestas remittendi peccata iisdem collata; ideoque si verba priorem illam potestatem

significantia, non sint praecisa, neque verba posteriorem hanc potestatem significantia erunt praecisa. Sed ex facto patet haec Christi verba: « quorum retinueritis peccata, retenta erunt », non esse praecisa; sacerdos enim non retinet nisi peccata, quae aliquo modo ipsi sint accusata, licet signis indebitis paenitentiae; et tamen praeter haec peccata sunt alia multa, nullo modo ostensa sacerdoti, quae Deus retinet ad vindictam gehennae. Ergo etiam haec Christi verba : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, » non sunt praecisa, h. e. hisce verbis nullatenus significatur usum potestatis clavium esse unicum medium quo obtineri queat remissio peccatorum post baptismum admissorum.

Sane 2° ad hoc ut a Christo significatum esset remissionem vel retentionem peccatorum ab apostolis eorumve successoribus factam, esse praecisam respectu remissionis vel retentionis a Deo faciendae, oportuisset duabus propositionibus affirmativis quibus Christus contulit apostolis potestatem remittendi ac retinendi peccata, adjungi a Christo duas propositiones negativas denotantes non alia peccata remitti vel retineri a Deo quam ea quae apostoli remisissent vel retinuissent.

3° Ratio potissima propter quam contenditur verbis Christi relatis Jo. XX, 23, impositam esse fidelibus obligationem peccata sua mortalia post baptismum commissa clavibus ecclesiae subdendi, in eo consistit quod vi praedictorum verborum potestas clavium est vere judiciaria, non autem est potestas vere judiciaria cui reus non teneatur se submittere. Jam vero haec ratio non tenet, — tum quia non solum judex necessarius, sed etiam judex arbitrarius, verus est judex; ad hoc enim ut aliquis sit vere judex, sufficit ejus sententiam vere ligare vel solvere eum qui se ei submisit, non vero ad hoc requiritur ut aliquis teneatur se ei submittere, — tum quia de facto sunt multi sacerdotes qui vere sunt judices in foro conscientiae, et quorum tamen tribunal nemo tenetur adire. Sint enim quattuor sacerdotes, quorum quilibet habeat veram potestatem absolvendi istum peccatorem, quilibet est complete judex ejus quantum ad potestatem; nec tamen tenetur se submittere cuilibet, sed uni tantum, cui voluerit.

Tertia sententia est dicentium eos qui post baptismum mortaliter peccaverint, obligari quidem jure divino ad peccata sua subjiciendum potestati clavium; non tamen hanc obligationem expressam esse verbis Christi relatis Jo. XX, 23, neque etiam aliis scripturae locis, puta Matth. IV, 17, XVIII, 18, Jac. V; ideoque non aliunde eam probari posse nisi ex traditione additiva. Ita statuunt Gabriel, Medina et Cajetanus. Potestque

pro hac sententia citari etiam Scotus ; satis enim indicat ex verbis Christi apud Jo. xx, 23, conjunctis cum praeceptis dilectionis Dei et dilectionis sui, congrue, non autem necessario deduci obligationem peccata post baptismum commissa subjiciendi potestati clavium; proptereaque ad effaciter adstruendum hanc obligationem esse juris divini, recurrendum esse ad traditionem objective distinctam a scriptura.

Propositio.

Vi institutionis Christi relatae Jo. xx, 23, necessarium est necessitate medii ad salutem omnia peccata mortalia post baptismum commissa subjici potestati clavium.

270. — Propositio, in quantum asserit usum passivum potestatis clavium esse vi institutionis Christi absolute necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum, est de fide, quam docet concilium tridentinum, sess. xiv, capp. 2 et 5, quamque sub anathemate definit ejusdem sessionis canonibus 4 et 6.

Sess. xiv, cap. 2 : « Est autem hoc sacramentum paenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, *ut nondum regeneratis ipse baptismus.* »

Sess. xiv, cap. 5: « Ex institutione sacramenti paenitentiae jam explicata, universa ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, *et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam exsistere:* quia Dominus noster Jesus-Christus, e terra ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et judices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quae Christi fideles ceciderint, quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. »

Sess. xiv, can. 6 : « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino... anathema sit. »

Quatenus vero propositione asseritur necessitatem peccata post baptismum commissa potestati clavium subdendi expressisse Christum verbis institutionis relatis apud Jo. xx, 23, eam clare docet concilium tridentinum, Sess. xiv, uti patebit conferenti inter se caput I et caput V hujus sessionis. Nam capite I ex verbis Christi relatis Jo. xx, 23, infert

concilium institutionem sacramenti paenitentiae. Tum capite V, asserit « ex institutione sacramenti paenitentiae jam explicata, » h. e. ex ea institutione quatenus refertur Jo. XX, 23, « universam ecclesiam semper intellexisse integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam exsistere. »

An vero independenter a sensu traditionali necessitas propositione asserta satis efficaciter ex loco Jo. XX, 23, deduci possit non decidit concilium.

271. — **Probatur propositio I°** *ex verbis institutionis, Jo.* XX, *23, per se et nude acceptis.* Concluditur inde propositum tripliciter.

Prima ratio sumitur *ex eo quod potestas clavium a Christo ministris ecclesiae concessa, exercetur non solum per actum efficaciter remissivum peccatorum, sed etiam per actum efficaciter retentivum eorumdem.* Argumentum est hujusmodi: Illud homini post baptismum mortaliter lapso necessarium est necessitate medii ad salutem, quod unicum ei suppetit medium ad consequendam suorum peccatorum remissionem. Sed absolutio a peccatis data a ministro ecclesiae, potestatem judiciariam in foro interno exercente, homini post baptismum mortaliter lapso unicum suppetit medium ad consequendam suorum peccatorum remissionem. Ergo. — Major hujus syllogismi patet ex terminis ; Minor vero constat ex eo quod potestas peccatorum remissiva, ecclesiae ministris a Christo concessa, inseparabiliter sibi adjunctam habet potestatem peccatorum retentivam. Quippe minister ecclesiae, habens potestatem judiciariam in foro interno, in tantum efficaciter retinet peccata, in quantum sententia retentionis ab eo prolata efficit ut peccata quae ipse non dimittit, etiam a Deo non dimittantur. Quod ceteroquin Christus aperte significavit, dicens peccata quae apostoli eorumve successores retinuerint, retenta fore, h. e. ea etiam a Deo non dimissum iri. Sed si praeter illud medium remissionem peccatorum obtinendi quod consistit in absolutione data a ministro potestatem judiciariam in foro interno exercente, suppeteret homini post baptismum mortaliter lapso etiam aliud medium remissionem suorum peccatorum consequendi, minister ecclesiae sententia retentionis a se prolata non posset efficere ut peccata quae ipse non dimittit, etiam a Deo non dimittantur. Et per consequens frustranea seu potius falsa essent verba Christi relata Jo. XX, 23; contra videlicet atque Christus hisce verbis protestatus est, ipse nullatenus adnexuisset potestati peccatorum remissivae apostolis collatae potestatem eorumdem peccatorum retentivam. Concludendum est igitur haec verba a Christo ad apostolos directa :

« quorum retinueritis peccata, retenta erunt, » habere vim propositionis condicionalis negativae. Sicuti videlicet prior pars loci evangelii Joannis xx, 23, explicatur propositione hac condicionali affirmativa: si quorum peccata vos remiseritis, etiam ego ea remittam; ita posterior ejusdem loci pars explicanda est hac altera propositione condicionali negativa: si quorum peccata vos non remiseritis, neque ego ea remittam. Falsus est igitur Scotus, quando contendit retentionem peccatorum ab apostolis eorumve successoribus factam non esse praecisam respectu retentionis a Deo faciendae.

Haec tamen prima ratio concludendi propositum multipliciter impugnatur.

272. — *Primus modus eam impugnandi est a posteriori.* Sic videlicet contra eam arguitur ex facto incompossibili cum propositione ex qua, tamquam ex conclusione intermedia, inferebatur intentum: Uti patet ex locis scripturae novae quam plurimis, institutione illius medii obtinendi remissionem peccatorum post baptismum commissorum quod consistit in usu passivo clavium, non exinanivit Christus vim contritionis perfectae sive formalis sive virtualis ad consequendum per modum dispositionis proximae eorumdem peccatorum remissionem. Ideoque necessario dicendum est duplex in lege nova exsistere medium consequendi remissionem peccatorum mortalium post baptismum admissorum, nempe a) attritionem conjunctam cum susceptione sacramenti paenitentiae et b) contritionem sive formalem sive virtualem extra receptionem sacramenti. Non obstante ergo sententia peccatorum retentiva a ministro sacramenti paenitentiae prolata, si is cujus peccata retenta fuerint, vel in ipso instante hujus retentionis vel postea eliciat actum contritionis perfectae, ejus peccata dimittentur a Deo. Et per consequens falso argumentatione supra instituta conclusum est retentionem a ministro sacramenti paenitentiae factam, non esse praecisam respectu retentionis a Deo faciendae.

273. — *Facile tamen retunditur haec impugnatio*, dicendo ex argumento facto efficaciter concludi peccata mortalia hominis baptizati non remitti ratione actus contritionis perfectae a tali homine eliciti nisi per ordinem ad claves; simpliciter ergo peti principium, quando in praedicta impugnatione assumitur uti manifestum et concessum duas in nova lege obtinere vias omnimodis distinctas et a se invicem independentes consequendi remissionem peccatorum post baptismum admissorum.

274. — *At instatur contra talem responsionem*, dicendo votum a

peccatore conceptum sua peccata subjiciendi potestati clavium, non esse usum potestatis clavium ; illud quippe votum non esse actum ministri ecclesiae potestatem clavium habentis, sed actum ipsius peccatoris. Quamobrem, dato et non concesso contritionem perfectam non esse deletivam peccatorum mortalium post baptismum admissorum, nisi per ordinem ad potestatem clavium, nihilominus verum manere dimitti a Deo peccata quae potestate clavium fuerint retenta, nedum per eam fuerint dimissa. Jam vero hujus oppositum fuisse conclusum argumento facto ut inde ulterius inferri posset usum passivum potestatis clavium necessarium esse necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum. Recte igitur assertum esse hanc necessitatem non efficaciter esse ostensam argumento facto.

275. — *Verum et hoc solvitur*, dicendo omnibus necessariis necessitate medii quae nostrae potestati sint subjecta, illud esse commune quod ad salutem sint necessaria vel in re vel saltem in voto. Quando ergo argumento facto conclusum est nulla peccata mortalia post baptismum patrata dimitti a Deo sine usu potestatis clavium, sensus hujus conclusionis, pro natura medii de cujus necessitate agebatur, manifeste hic erat, nulla videlicet peccata mortalia hominis baptizati dimitti sine usu clavium vel in re ipsa exercito vel saltem in voto habito.

276. — *Secundo impetunt argumentum factum, directe nitendo subruere fundamentum cui innititur.* Modus impugnationis est hujusmodi : Vis illationis argumenti facti tota quanta fundatur in propositione dicente potestatem clavium, quantum ad actum retinendi, non fore efficacem, nisi Deus statuerit nulla peccata mortalia hominum baptizatorum dimittere nisi mediante exercitio potestatis clavium vel per ordinem ad tale exercitium. Atqui haec propositio est falsa. Ad cujus evidentiam considerandum est potestatem clavium a Christo collatam esse apostolis et eorum successoribus eum in finem ut non modo, quemadmodum id contingebat in statu legis naturae et legis mosaicae, peccatores perfecte contriti, sed etiam peccatores tantummodo attriti possent consequi remissionem suorum peccatorum. Nec nisi eum finem potuit spectare Christus in conferendo ministris ecclesiae potestatem judiciariam in foro interno, uti manifeste patet ex eo quod numquam contingit per reale exercitium hujus potestatis remitti peccata peccatoris perfecte contriti. — Semper enim, quando homo exsistens in statu peccati mortalis perfecte conteritur de suis peccatis, remissio peccatorum, immediate a Deo facta, praevenit absolutionem sacerdotis in foro

interno potestatem judiciariam exercentis. Non autem oportet ponere potestatem retentivam peccatorum a sacerdote judicante in foro interno exercitam, esse majoris efficaciae quam potestatem peccatorum remissivam ab ipso in eodem foro exercitam. Sicuti ergo efficacia potestatis clavium, quantum attinet ad actum remittendi peccata, cernitur in eo dumtaxat quod per eam remittuntur peccata hominum baptizatorum habentium quidem attritionem, sed non pertingentum usque ad habendam contritionem perfectam, ita efficacia hujus potestatis, quantum attinet ad actum retinendi peccata, cernitur in eo quod nonnisi per hanc potestatem valeant dimitti peccata hominum non pertingentium ad habendam contritionem perfectam. Ita ut si is cujus peccata usu potestatis clavium retenta fuerint, perveniat quidem ad habendam attritionem de suis peccatis, non tamen ad habendam de iis contritionem perfectam, impossibile sit ejus peccata dimitti, nisi absolutione judicis ecclesiae in foro interno judicantis, revocata fuerit sententia peccatorum retentiva prius in eo foro in ipsum lata.

Nec infringitur, inquiunt, vis hujus impugnationis, dicendo efficaciam potestatis clavium se extendere etiam ad remissionem peccatorum mortalium hominis baptizati elicientis de hisce suis peccatis actum contritionis perfectae. Quippe ratione contritionis perfectae non remitti peccata hujus hominis nisi per ordinem ad claves. Et sic, si is cujus peccata potestate clavium retenta fuerint, eliciat deinde actum contritionis perfectae, peccata quidem ejus illico a Deo remitti, non tamen fieri hanc remissionem nec revocari sententiam peccatorum retentivam prius in foro interno in talem hominem latam, nisi per ordinem ad claves. *Non infringitur,* inquiunt, tali ratione respondendi *vis impugnationis factae,* uti patet ex duobus. *Primo* ex eo quod per eam manifeste petitur principium. Supponitur enim ea ratione respondendi jam efficaciter probatum esse homini post baptismum mortaliter lapso, esse absolute necessarium recurrere vel in re vel in voto ad usum passivum potestatis clavium; cum tamen de vi probationis qua talis necessitas concludi intendebatur, vehementer modo ambigatur. *Secundo* liquet non enervari ratione illa respondendi modo indicata vim impugnationis factae, ex eo quod impossibile est reali exercitio potestatis clavium remitti peccata mortalia hominis baptizati habentis perfectam contritionem. Ex tali quippe impossibilitate efficitur ut peccator baptizatus habens contritionem perfectam, in quantum scit vel opinatur se habere contritionem perfectam, stulte appeteret peccata sua remitti per usum potestatis clavium. Ipsum enim tale aliquid in votis habere idem esset

atque ipsum vel concupiscere rem impossibilem vel optare se non esse perfecte contritum, sed attritum tantummodo.

Itidem non infringitur, inquiunt, vis impugnationis factae dicendo 2° cum Suarezio, tametsi peccata mortalia, quae potestate clavium retenta fuerint, deleantur quoad culpam per subsequentem actum contritionis perfectae, ea tamen remanere retenta quantum ad obligationem ea confitendi. *Etiam haec responsio non valet,* inquiunt, quia etiam per eam committitur petitio principii. Firmat enim conclusionem per conclusionem, non solum nihil curando de ratione concludendi quae per objectionem factam inefficaciae arguebatur, sed eam omnino deserendo. Quippe dicere ratione subsequentis actus contritionis perfectae peccata quae potestate clavium retenta fuerint, remitti quidem quantum ad culpam, sed manere retenta quantum ad obligationem ea confitendi, hoc idem est atque dicere absolute necessarium esse omnia peccata mortalia post baptismum admissa supponi judicio quod in foro interno a ministris ecclesiae exercetur. Haec autem necessitas non aliunde per argumentum factum inferebatur nisi ex eo quod quae peccata ab ecclesiae ministris in foro interno judicantibus, retinentur quantum ad culpam, ea etiam a Deo retinentur quantum ad culpam. Modo vero haec ratio concludendi deseritur; conceditur enim propter subsequentem actum contritionis fieri ut peccata quaedam quae potestate clavium retenta fuerant quantum ad culpam, immediate a Deo remittantur quantum ad culpam. Et tamen, uti dictum est, retinetur conclusio quae ex tali ratione inferebatur eademque jam non aliter defenditur nisi ipsamet conclusione aliis verbis prolata.

277. — *Ad haec respondetur* concedendo Majorem principalis impugnationis, sed negando Minorem cum ejus probatione. Nec oportet aliam hujus negationis rationem afferri quam eam quae jam assignata est in argumento cujus vis probativa per praedictam impugnationem infirmari intenditur. Nempe, a) ut ibi dictum est et uti est manifestum ex ipsis terminis, frustra usu potestatis clavium retinerentur baptizatorum peccata, si sine ullo ordine ad potestatem clavium obtineri posset remissio eorumdem peccatorum. Sane b) dicere potestate clavium non posse retineri nisi peccata mortalia hominis baptizati non pertingentis usque ad habendam contritionem perfectam, idem est atque dicere haec peccata non posse retineri nisi dependenter ab hypothesi quod is cujus peccata retinentur, nolit recurrere ad medium contritionis perfectae. Quod si verum esset, jam consequenter asserendum esset non per actum habentis potestatem clavium, sed per actum illius cujus

peccata retinentur, contingere ut remissio horum peccatorum retenta maneat potestati clavium.

Ceterum directe respondendo ad probationem quae allata est pro Minore negata principalis impugnationis, dicitur falsam esse ejus assumptionem asserentem non posse stare propositionem in qua fundatur conclusio argumenti facti, nisi major attribuatur efficacia potestati peccatorum retentivae quam potestati peccatorum remissivae.

Dicendum est videlicet numquam propter actum contritionis perfectae remitti peccata mortalia hominum baptizatorum nisi per ordinem ad actum remissivum potestatis clavium.

Et quando obviatur tali responsioni, dicendo per eam incurri petitionem principii, negatur ullam hic committi petitionem principii. Nempe nulla posse remitti peccata mortalia hominum baptizatorum nisi per actum potestatis clavium vel in re exercitum vel saltem in voto expetitum, argumento facto efficaciter ostensum est ex eo quod Christus, adnectendo potestati peccatorum remissivae potestatem peccatorum retentivam, universaliter et sine ulla exceptione dixit : « quorum retinueritis peccata, retenta sunt. » Nec aliter in impugnatione facta ambigitur de vi probativa hujus ostensionis, nisi quatenus in ea supponitur sufficienter salvari veritatem verborum institutionis, si dicatur efficaciam potestatis remissivae et retentivae peccatorum esse efficaciam hypotheticam et restrictam. Quam suppositionem esse falsam manifestum est. Ad hoc enim ut verificari posset, oporteret Christum dixisse : quorum retinueritis peccata, retenta sunt, eorum peccatis exceptis qui ad habendam perfectam contritionem pertigerint.

Nec valet etiam secunda ratio qua responsioni modo datae occurrebatur. Falsum est enim id quod in ea assumitur, numquam videlicet contingere ut per reale exercitium potestatis clavium remittantur peccata mortalia hominis baptizati habentis perfectam contritionem de suis peccatis. Nihil quippe obstat quominus peccata quae ratione perfectae contritionis de iis habitae jam remissa sint, rursum remittantur per sententiam sacerdotis judicantis de causis peccatorum in foro interno. Et per consequens neque peccator qui sciat sua peccata jam esse remissa propter contritionem de iis habitam, stulte exoptat et proponit eorum recipere remissionem per ministerium sacerdotis in foro interno judicantis ; neque Deus stulte imposuit obligationem omnia peccata post baptismum commissa, etiamsi ratione contritionis de iis habitae jam remissa sint, potestati clavium subdendi.

Ad obviationem qua occurrebatur responsioni qua Suarez et alii

quidam nituntur solvere objectionem factam, dicitur secundam eam responsionem fundari in prima responsione modo data et vindicata, et ex ea necessario consequi. Non ergo hac altera ratione respondendi defendi conclusionem impugnatam per ipsammet, neque deseri propositionem ex qua tamquam ex proxima ratione haec conclusio inferebatur. Nempe propterea peccata quae judicio in foro interno prolato retenta fuerant, etiamsi ratione contritionis subsequentis remittantur quoad culpam, manent tamen retenta quoad obligationem ea confitendi, quia ex verbis Christi efficaciter deducitur numquam peccata mortalia hominum baptizatorum remitti nisi vel per reale exercitium potestatis clavium vel per ordinem ad tale exercitium.

Restat tertius modus impugnandi argumentum supra factum; quia tamen hic modus impugnationis ex aequo militat contra alia argumenta quae jam deinceps afferenda sunt, ejus solutio ad calcem totius probationis rejicienda est.

278. — Secunda ratio concludendi propositum ex verbis Christi relatis apud Jo. XX, 23, accipitur *ex eo quod vi istorum verborum,* uti ostensum est capite superiore, *potestas clavium est potestas vere ac proprie judiciaria.* Argumentum est hujusmodi : Non est verus judex, cujus tribunali reus pro libitu suo potest se judicandum submittere vel non submittere. Quod quidem patet dupliciter. *Primo* a posteriori ; in nulla enim republica bene instituta liberae voluntati rei permittitur ut compareat coram tribunali judicis vel non compareat. *Secundo* idem patet ex eo quod potestas judiciaria est pars potestatis jurisdictionis ; non est autem potestas jurisdictionis cui nemo de necessitate subditur. Et propterea omnis potestas judiciaria necessario conjuncta est cum potestate cogendi reum ad comparendum coram tribunali judicis. Est tamen differentia inter modum quo cogitur reus ad comparendum coram tribunali quod in foro externo instituit respublica civilis vel etiam ecclesia, et modum quo cogitur reus ad comparendum coram tribunali quod in foro interno erexit Christus. Ad comparendum videlicet coram priore illo tribunali coguntur plerumque rei per violentiam externam; ad comparendum vero coram posteriore hoc tribunali nequeunt cogi nisi per obligationem internam. Propter hoc ipsum ergo quod Christus potestatem clavium voluit exerceri in foro interno per modum veri ac proprie dicti judicii, necesse est dicere eum omnibus fidelibus strictissimam imposuisse obligationem omnia peccata mortalia in quae post baptismum lapsi essent, potestati clavium judicanda subjiciendi.

279. — *Nec ad vim hujus argumenti enervandam valet dici* 1° cum Scoto et Suarezio, falsam esse ejus assumptionem. Ad hoc enim ut aliquis vere sit judex, sufficere ut postquam reus se ei judicandum voluntarie subdidit, ejus sententia solvat vel liget reum. Proptereaque praeter eos judices veri nominis qui sunt judices necessarii, esse etiam alios judices veri nominis qui sunt judices arbitrarii. Nec negari id posse quin necesse sit dicere potestatem clavium non esse vere ac proprie judiciariam. Esse enim multos sacerdotes qui habeant potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi a peccatis in foro conscientiae et quorum tamen judicio nemo teneatur se submittere.

Non juvat, inquam, *ita dicere;* commenticia est enim divisio illa quam Scotus et Suarez inducunt inter judicem necessarium et judicem arbitrarium. Uti enim manifeste colligitur ex duabus rationibus quae in argumento modo facto assignatae sunt, omnis judex veri nominis eo sensu est judex necessarius quod coram illo tribunali in quo ipse est judex, reus cogitur causam suam disceptare et sententiam audire. Notandum est solummodo, nos, ita statuendo, accipere nomen tribunalis sensu philosophico, h. e. *indeterminate,* prouti videlicet tribunal intellegitur repraesentari non per unumquemque judicem singillatim et seorsum sumptum, sed per omnes judices disjunctim acceptos. Quo sensu, licet in civitate bene ordinata possint esse plura tribunalia diversorum graduum, non est tamen pro singulis gradibus processus judicialis nisi unum tribunal coram quo causae determinati alicujus generis tractari possint. Et sic etiam illud tribunal quod Christus in foro conscientiae constituit, non est multiplex, sed unum tantummodo. Quamvis ergo plerumque contingat multos esse sacerdotes qui respectu alicujus hominis baptizati in peccato mortali exsistentis, jurisdictionem habeant in foro interno ; non tamen inde sequitur, quemadmodum arguit Scotus, posse aliquem judicem veri nominis esse absolute et simpliciter judicem arbitrarium. Licet enim judicio nullius ex hisce sacerdotibus determinate sumptis teneatur ille peccator sua peccata subjicere, judicio tamen alicujus ex ipsis indeterminate sumptis ea sua peccata subjicere debet, quod sufficit ad hoc ut illi sacerdotes, quatenus indeterminate et disjunctim sumpti repraesentant tribunal a Christo in foro interno erectum, dicantur judices necessarii. Et sic apparet sophisma quod in re praesenti committitur a Scoto, quando contendit ex eo quod voluntate Christi institutoris potestas clavium exercenda est per modum judicii, non posse efficaciter argui necessitatem peccata mortalia post baptismum patrata potestati clavium subjiciendi. Ex eo

videlicet quod possibile sit aliquem judicem veri nominis, quatenus determinate sumitur, non esse judicem necessarium, ipse concludit possibile esse ipsum tribunal indeterminate sumptum in quo ille judex sententiam dicit, non esse tribunal necessarium. In quo modo concludendi, uti manifestum est, fit vitiosa illatio negativa a propositionibus particularibus non valentibus nisi in sensu particulari reduplicato ad propositionem universalem. Uti si ex eo quod neque oculus sinister determinate sumptus necessarius est ad videndum neque etiam oculus dexter determinate sumptus necessarius est ad videndum, aliquis concludere vellet non esse opus oculis ad videndum.

280. — *Sed occurrit Suarezius,* dicendo nihil obstare quominus rex aliquis hominibus a se constitutis det potestatem disceptandi et terminandi causas civiles, ita ut si qui cives eorum tribunali se submiserint, ipsi omnino teneantur sententia in eo tribunali lata, simul tamen rex in arbitrio civium relinquat ut vel ad judices illos a se constitutos causas suas deferant vel immediate coram ipso tamquam supremo judice compareant. Hoc ergo modo potuisse etiam Christum deferre apostolis potestatem tractandi et terminandi causas peccatorum in foro interno.

281. — **Respondetur** nullam quidem repugnantiam includi in eo quod rex praedicto modo potestatem det hominibus a se constitutis causas tractandi et finiendi, non tamen homines illos, prouti in totali suo complexu subordinantur quidem regi, sed tamen ab eo distinguuntur, fore veros judices, ne in infimo quidem gradu sive in prima instantia, uti dici solet; quia ipsi eo modo spectati, carent potestate cogendi reos comparendi coram se, quae potestas cogendi, uti ostensum est, est de essentia potestatis judiciariae. Et sic tribunal illud a rege in civitate constitutum non repraesentabitur per praedictos homines, nisi prouti totali eorum complexu ipse rex continetur.

282. — *Sed adhuc occurrere posset* aliquis dicendo apostolos eorumque successores esse vere judices non aliunde a nobis probatum esse nisi ex eo quod potestate a Christo accepta ipsi sententialiter terminant causas peccatorum in foro interno. Modo vero ad hoc ut aliquis sit vere judex, requirimus insuper ut polleat potestate cogendi reos ad comparendum coram suo tribunali; cujusmodi potestatem includi in potestate clavium minime probatum est in argumentatione qua concludebatur potestatem clavium esse potestatem vere ac proprie judiciariam. In probatione ergo de cujus vi modo ambigitur, committi sophisma aequivocationis; variari enim in eo sensum hujus termini *potestas judiciaria ;* vel si hic terminus in utraque praemissa sensu illo

pleno qui proxime assertus est, accipiatur, medium probationis gratis assumi, immo manifestam committi petitionem principii.

283. — **Respondetur** nullam omnino in argumento facto committi aequivocationem aut principii petitionem. Ostendendo enim capite superiore potestatem clavium, quam collegio apostolorum, prouti a se distinguitur, contulit Christus, esse potestatem vere ac proprie judiciariam, supposuimus ex antea demonstratis potestatem hanc esse ejusdem modi atque potestatem sententiandi quam a Patre accepit Christus quamque manifestum est conjungi cum potestate coactiva.

Ex ultima tamen hac responsione efficitur non esse satis firmum argumentum quod ab objectionibus Scoti et Suarezii modo vindicare satagimus, nisi quatenus in unum coalescit cum tertio argumento quod mox afferendum erit.

284. — *Nec infringitur vis ejusdem argumenti dicendo* 2° cum Suarezio, etiamsi concedatur totum id quod in eo argumento assumitur, non tamen sequi conclusionem intentam. Ex eo enim quod de necessitate potestas judiciaria veri nominis conjungatur cum vi coercitiva, sequi tantummodo fideles baptizatos qui mortaliter peccaverint, posse cogi ab ecclesia ad comparendum coram tribunali quod in foro interno instituit Christus, proindeque, si qua vi argumenti facti sit obligatio subjiciendi peccata post baptismum commissa potestati clavium, hanc obligationem esse juris ecclesiastici, cum tamen ostendendum foret eam esse juris divini.

Neque etiam tali ratione, inquam, infringitur vis argumenti facti; attento enim fine potestatis judiciariae, non relinquitur in arbitrio judicum a principe civitatis constitutorum ut, prouti ipsis placuerit, cogant vel non cogant reos ad sistendum se ante suum tribunal. Quia ergo, uti inter argumentandum notatum est, tribunal quod Christus erexit in foro interno, eo differt a ceteris tribunalibus, quod non per violentiam externam, sed per obligationem conscientiae, rei coguntur se sistere ante illud tribunal, concludendum est talem obligationem ab ipsomet Christo impositam esse fidelibus qui post acceptum baptismum mortaliter peccaverint.

285. — **Tertia denique ratio** concludendi propositum ex loco Jo. xx, 23, accipitur *ex nexu hujus loci cum versiculo 21 antecedente.* Sive aliter haec ratio sumitur *ex similitudine quae vi verborum versiculo 21 relatorum exsistit inter potestatem judiciariam apostolis Jo. XX, 23, a Christo collatam et potestatem judiciariam ipsius Christi.* Uti enim capite I ostensum est, potestas illa judiciaria in foro interno exercenda, quam appellamus

potestatem clavium, pars est totius illius potestatis quam Christus apostolis contulit, quando Jo. XX, 21, protestatus est se eos authentice mittere ad eum finem procurandum propter quem et ipse missus fuerat a Patre. Quia ergo versiculo illo 21 dixit Christus se ita mittere apostolos, sicut misit eum Pater, necessario dicendum est potestatem illam judiciariam in foro interno exercendam, quae est potestas judicandi ministerialis, ita comparari ad potestatem judiciariam Christo a Patre collatam, quae est potestas excellentiae, sicuti potestas haec judiciaria Christi comparatur ad principalem potestatem judiciariam quae est in Patre. Sed potestas judiciaria Christi ita derivatur in eum a Patre et subordinatur Patri ut nonnisi mediante hac potestate Pater supremam suam potestatem judiciariam in homines exerceat. Ergo etiam potestas judiciaria apostolis eorumque successoribus in foro interno collata ita derivatur in eos a Christo et subordinatur Christo ut nonnisi mediante hac potestate Christus decreverit suam potestatem judiciariam quoad remissionem peccatorum in hac vita exercere. Sed si nonnisi mediante potestate judiciaria apostolis collata Christus remittit peccata in hac vita, manifestum est non posse in hac vita obtineri remissionem peccatorum nisi per actum potestatis clavium vel per ordinem ad talem actum, et per consequens necessarium esse necessitate medii ad salutem omnia peccata mortalia post baptismum commissa subjici vel in re vel saltem in voto potestati clavium.

Principalis assumptio hujus argumenti, nempe Patrem non judicare quemquam nisi mediante Christo homine, probatur ex eo quod, sicut Christus locutione positiva generaliter dixit Matth. XXVIII, 18 : « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, » ita explicans vim et amplitudinem potestatis judiciariae omnimoda illa potestate ei concredita comprehensae, dixit locutione negativa Jo. V, 21-22 : « Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult, vivificat. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* »

Hoc argumentum videtur innuere concilium tridentinum, quando sess. XIV, cap. V, ait Christum, e terris ascensurum in caelos, *sacerdotes sui ipsius vicarios constituisse, ad quos omnia mortalia crimina deferantur.*

286. — *Restat solvenda difficultas* qua videtur infringi vis probativa trium et singulorum argumentorum, quae, fundamento accepto ex verbis Christi relatis Jo. XX, 23, hactenus adduximus. Sumitur autem haec difficultas ex eo quod potestas clavium, prouti est potestas vere judiciaria exerceturque non modo actu remittendi peccata sed etiam actu eadem retinendi, attingit suo usu non modo peccata mortalia,

sed etiam peccata venialia, quodque tamen, hoc non obstante, neque necessitate medii neque necessitate praecepti necessarium est peccata venialia subdi potestati clavium ad hoc ut eorum remissio a Deo obtineri queat. Hinc videlicet videtur esse consequens neque ex eo quod apostolis eorumque successoribus commissa est potestas non modo remittendi, sed etiam retinendi peccata mortalia, neque etiam ex eo quod haec eorum potestas est vere judiciaria, neque denique ex eo quod apostolos cum potestate judicandi misit Christus, sicut ipse cum potestate judicandi missus est a Patre, posse efficaciter concludi esse absolute necessarium ad salutem omnia peccata mortalia quae post baptismum commissa sint, submittere judicanda tribunali quod in foro interno Christus constituit. Nam quod potestas haec clavium versetur circa peccata venialia, hoc non facit variare vim mediorum probationis quae in medium adducta sunt. Proindeque si haec media non concludunt in materia peccatorum venialium, necessario dicendum est neque ea concludere in materia peccatorum mortalium.

Ad hanc difficultatem evadendam dixerunt quidam peccata venialia non esse materiam sacramenti paenitentiae; quia ad talia peccata remittenda non sit data a Christo potestas apostolis et eorum successoribus. Sed est responsio omnino falsa, ut satis patet ex universali sensu ecclesiae ipsa ejus praxi manifestata. Multi enim fideles non solum judicio sacerdotum in foro interno potestatem clavium exercentium, submittunt peccata sua mortalia, sed etiam peccata sua venialia, et de iis etiam solis saepe absolvunt sacerdotes.

287. — **Aliter ergo respondendum est,** *negando assumptionem difficultatis factae*, eodem videlicet modo attingi utroque actu potestatis clavium peccata venialia atque peccata mortalia et propter hoc non variari vim medii probationis in materia peccatorum venialium. Ad cujus assumptionis falsitatem percipiendam animadvertendum est potestatem clavium primo et per se esse datam propter sola peccata mortalia remittenda vel retinenda, et nonnisi consecutione quadam ac secundario extendi ad peccata venialia remittenda. Quod quidem patet — tum a) ex eo quod nomen illud peccati usurpatum a Christo Jo. xx, 23, prouti communiter dicitur de peccatis mortalibus et de peccatis venialibus, analogiam includit: dicitur videlicet primario de peccato mortali, quod est simpliciter injuria Dei, secundario vero et propter proportionem quam servat cum peccato mortali, de peccato veniali, quod non est injuria Dei nisi secundum quid, — tum b) ex eo quod potestas peccata retinendi, quantum attinet ad id quod primo et

per se verbis Christi Jo. xx, 23, exprimitur, ejusdem est extensionis atque potestas peccata remittendi; haec autem potestas retinendi, qualis simpliciter et sine ulla restrictione a Christo apostolis collata est, nequit per se et primo versari nisi circa sola peccata mortalia. Eatenus igitur dumtaxat potestas clavium attingere poterit suo exercitio peccata venialia, quatenus id per viam consequentiae inferri poterit ex eo quod hac potestate attinguntur peccata mortalia. Jam vero ex eo quod potestate clavium remitti possunt peccata mortalia, optime infertur per eam remitti etiam posse peccata venialia. Quae enim potestas sufficit ad tollendum id quod est injuria Dei simpliciter, ea est etiam sufficiens ad tollendum id quod non est injuria Dei nisi secundum quid. At vero ex eo quod potestate clavium simpliciter retineri possunt peccata mortalia, non est consequens per eam simpliciter retineri posse etiam peccata venialia. Et hoc propterea quia peccata venialia non excludunt, sed solummodo retardant ab introitu in regnum cælorum. Hinc videlicet fit ut haec peccata non possint simpliciter retineri potestate clavium; quia, etiamsi non remittantur usu hujus potestatis, necesse est tamen aliis mediis ea aliquando remitti, nisi forte conjungantur in homine qui ea commiserit, cum peccato mortali. Licet igitur potestate clavium peccata venialia eodem modo attingantur atque peccata mortalia quantum ad actum remittendi, non tamen quantum ad actum retinendi; eo quippe actu peccata mortalia possunt retineri simpliciter, peccata vero venialia solummodo secundum quid, h. e. quantum attinet ad hoc medium ea remittendi, quod est usus potestatis clavium sive sacramentum paenitentiae.

288. — **II° probatur propositio** *ex universali et constanti ecclesiae traditione* explicante verba Christi relata Jo. xx, 23, de potestate judiciaria cui necessario sint subjicienda omnia peccata mortalia post baptismum commissa. — Illud argumentum nequit convenienter evolvi, quin praevertatur solutio quaestionis de necessitate confessionis auricularis. Plerique enim patres in inculcanda necessitate peccata mortalia post baptismum commissa subjiciendi clavibus ecclesiae non abstrahunt a modo quo ea subjicienda sunt, nempe per specificam horum peccatorum confessionem. Sufficiat itaque in praesentiarum unum adduxisse Leonem papam I, qui Epistula 118 ad Theodorum ait « sic divinae bonitatis praesidia ordinata esse ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. »

CAPUT V.

De institutione sacramenti paenitentiae.

289. — Sacramentum N. L. est signum sensibile quod ex stabili Christi institutione et significat gratiam et eam ex opere operato efficienter causat. Quod brevius enuntiatur dicendo sacramentum N. L. esse *signum practicum gratiae stabili lege a Christo institutum.*

Licet autem omnibus sacramentis N. L. commune sit significare gratiam sanctificantem eamdemque efficienter causare, differunt tamen haec sacramenta inter se secundum quod praedictam gratiam respiciunt secundum alios et alios ipsius effectus formales. Nam et ut sunt signa et ut sunt causae, sacramenta sunt de genere relationis; necesse est autem relationem diversificari secundum quod diversificatur terminus qui per eam formaliter respicitur.

Quaestio est modo utrum a) exercitium potestatis clavium, quantum attinet ad actum remittendi peccata, sit verum ac proprie dictum sacramentum N. L. et, supposito ita esse, utrum b) idem illud exercitium potestatis clavium sit sacramentum ab omni alio distinctum. Quae quaestio quamnam habeat controversiam et quonam modo, attenta genuina verborum Christi Jo. xx, 23, significatione, solvenda sit, ferme plene declaratum relinquitur ex hactenus demonstratis.

290. — Protestantes videlicet plerique, speciatimque Zwingliani et Calviniani, aut simpliciter negant collatione potestatis remittendi ac retinendi peccata, Jo. xx, 23, apostolis facta contineri institutionem alicujus sacramenti, dicentes exercitium hujus potestatis consistere in praedicatione verbi Dei, aut, si quando concedant hanc potestatem, quantum attinet ad actum remittendi peccata, importare institutionem alicujus sacramenti, aiunt illud sacramentum non differre a sacramento baptismi.

Lutherus tamen, licet in fine libri De captivitate babylonica neget sacramentum paenitentiae esse sacramentum veri nominis a baptismo distinctum, videtur postea sententiam mutasse. Nam tum alibi saepe, tum in propositionibus adversus Lovanienses, propos. 35, paenitentiam sacramentum esse concedit; unde etiam eam baptismo et eucharistiae sub formali ratione sacramenti connumerat. Quem imitati sunt tum veteres Lutherani in Apologia Augustana tum speciatim qui secundum

Lutherum praecipuus fuit dux Lutheranorum, Melanchtonius. At posteriores Lutherani plerique omnes, ac nominatim Matthias Illyricus et Martinus Kemnitzius, in sententiam Calvinianorum in quaestione praesenti concesserunt, paenitentiam a numero sacramentorum removentes.

291. — In oppositione ad hos haereticos tenet ecclesia catholica collatione potestatis retinendi ac remittendi peccata apostolis eorumque successoribus Jo. XX, 23, a Christo facta, contineri institutionem veri ac proprie dicti sacramenti ab omni alio distincti. Quod quidem sacramentum, pro diversitate partium ad ejus materiam vel formam pertinentium, diversis nominibus appellari contingit. Plerumque videlicet, ratione habita actuum paenitentis materiam vel quasi materiam hujus sacramenti constituentium, ipsum appellant *sacramentum paenitentiae* vel *sacramentum confessionis*. Aliquando vero, attento actu sacerdotis formam ejusdem sacramenti constituente, ipsum vocant *sacramentum absolutionis* vel *sacramentum reconciliationis*. Haud raro etiam apud Augustinum aliosque veteres patres idem illud sacramentum nomen sibi adsciscit ab impositione manus, quae, licet ejus constitutionem non intret, conjungi tamen solita erat cum sententia absolutionis.

Idem illud sacramentum aiunt catholici ab omnibus aliis N. L. sacramentis distingui — tum a) ex parte illius quod tamquam ritus sensibilis institutum est ad significandam et causandam gratiam, — tum b) ex parte illius ad quod significandum et causandum ille ritus institutus est. Nempe a) eo ipso quod proprium sit hujus sacramenti administrari per modum judicii, ejus materiam et formam, ex quarum complexu constituitur id quod in eo est ritus sensibilis, differre a materia ac forma omnium aliorum sacramentorum. Hinc videlicet fieri ut ejus materia sint actus paenitentis, prouti hic tamquam reus se sistit ante tribunal habentis potestatem clavium, ejus vero forma sit sententia absolutionis a peccatis ab habente potestatem clavium prolata. Itidem b) eo ipso quod administratio hujus sacramenti sit actus potestatis remittendi ac retinendi peccata, gratiam ad quam significandam et causandam id quod in eo est ritus sensibilis institutum est, esse *gratiam, prouti est peccatorum post baptismum patratorum remissiva,* quod et ipsum nulli alii sacramento conveniat.

Porro, nihil adhuc praejudicando circa controversiam quae de partibus sacramenti paenitentiae postea tractanda erit, potest ex doctrina hactenus stabilita definiri hoc sacramentum in sui distinctione a ceteris N. L. sacramentis esse *sacramentum novae legis quo per modum judicii reconciliantur fideles post baptismum lapsi.*

Propositio.

Sacramentum paenitentiae, consistens in exercitio potestatis remittendi ac retinendi peccata a Christo apostolis collatae, est verum ac proprie dictum N. L. sacramentum, ab omni alio distinctum.

292. — Propositio quoad utramque suam partem est *de fide*, quam docet concilium tridentinum, sess. XIV, capitibus 1 et 2, et quam sub anathemate definit in ejusdem sessionis canonibus 1° et 2°.

Sess. XIV, cap. 1: « Porro nec ante adventum Christi paenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. Dominus autem sacramentum paenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens: accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata » etc..

Sess. XIV, cap. 2: « Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre dignoscitur. »

Ibid., can. 1: « Si quis dixerit in catholica ecclesia paenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quotiens post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit. »

Ibid., can. 2: « Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum paenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo paenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit. »

293. — I^a Pars: Sacramentum paenitentiae est verum ac proprie dictum N. L. Sacramentum.

Probatur 1° *ex eo quod in exercitio potestatis clavium,* qualis haec ex loco evangelii Jo. XX, 23, hactenus declarata est, *inveniuntur omnia quae sunt de essentia sacramenti novae legis.* Argumentum est hujusmodi: Ad hoc ut aliquid sit vere ac proprie sacramentum N. L., quattuor requiruntur ac sufficiunt, scilicet a) ut sit ritus aliquis sensibilis, b) ut ritus ille sensibilis sit signum gratiae, c) ut idem ille ritus efficienter causet gratiam quam significat, et d) ut, prouti est significativus ac causativus gratiae, a Christo Domino sit immediate institutus.

Jam vero 1° *exercitium potestatis clavium per actum peccatorum remissivum est signum aliquod sensibile* tam secundum materiam supra quam proxime cadit quam secundum se et formaliter. Uti enim liquet ex antea probatis, tale exercitium consistit in sententia judiciali qua fideles post

baptismum lapsi, facti paenitentes, absolvuntur a suis peccatis. Ad hanc autem sententiam legitime ferendam necesse est a) ut ex parte rei interveniat actus aliquis externus atque sensibilis, nempe accusatio dolorosa suorum peccatorum exterius prolata, quae sit materia vel quasi materia super quam cadat sententia absolutiva, uti patet — tum ex eo quod in tribunali proprie dicto judex non fert sententiam nisi post accusationem rei, — tum, et redit in idem, ex eo quod de ratione sententiae judicialis est ut feratur post cognitionem causae; in tribunali autem instituto ad sententiandum de peccatis in foro interno, nequit ex praemissa cognitione causae ferri a judice sententia absolvens nisi praecesserit confessio dolorosa, saltem generica, exterius a reo prolata. Ut eadem illa sententia judicialis habentis potestatem clavium sit legitima, requiritur b) ut ipsamet consistat in actu externo et sensibili, uti patet — tum ex eo quod potestas judicialis data hominibus et pro hominibus, nequit exerceri nisi per sententiam verbis vel alio signo sensibili prolatam, — tum insuper ex eo quod, uti patet ex antea demonstratis, reus manet obligatus tribunali habentis potestatem clavium, quamdiu a suis peccatis absolutus non fuerit. Inde videlicet fit ut necesse sit ei innotescere sententiam quam habens potestatem clavium fert in causa peccatorum ipsius ; innotescere autem ei non potest haec sententia nisi exterius, h. e. signo aliquo sensibili, proferatur.

2° *Exercitium potestatis clavium per actum peccatorum remissivum est signum gratiae.* Patet id ex eo quod exercitium potestatis clavium consistens in actu peccatorum remissivo, fit per sententiam qua sacerdos tamquam judex pronuntiat peccatori sua peccata remissa esse. Hinc videlicet fit ut praedicto potestatis clavium exercitio significetur gratia sanctificans, prouti ea gratia est formaliter remissiva peccatorum. Quippe sententia absolutionis exprimitur ea peccatorum remissio quam Christus intellectam voluit hisce suis verbis relatis Jo. xx, 23 : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. » Peccatorum autem remissio quam Christus hisce suis verbis intellectam voluit, est peccatorum remissio, prouti est formalis effectus gratiae sanctificantis, uti patet — tum a) ex eo quod verbis collativis potestatis clavium Christus praemisit haec verba : « Accipite Spiritum sanctum, » quo videlicet significaret remissionem illam peccatorum cujus conferendae potestatem faciebat apostolis, esse effectum appropriatum Spiritui sancto, — tum b) ex eo quod verbis illis potestatis clavium collativis intendebat Christus loqui de ea peccatorum remissione quae praesentis oeconomiae est propria, talis autem peccatorum remissio secundum doctrinam quam

Christus tum per se tum praeconio apostolorum suorum promulgavit, est remissio quae fit per infusionem gratiae sanctificantis (Cf. Jo. III, 5; VI, 64 coll. V, 21 ; XIV, 23 ; XV, 1-8 ; Rom. V, 1-5 ; I. Jo., IV, 13).

Ceterum, si non dogmatice et secundum rei veritatem, sed polemice et ex praesupposita adversariorum de sacramentis doctrina, quaestio quam modo versamus, tractanda foret, sufficeret sistere in eo quod per usum potestatis clavium consistentem in sententia absolutionis, significatur remissio peccatorum. Quippe remissio peccatorum quae sententia illa absolutiva significatur, est saltem *gratia externa, consistens in non imputatione peccatorum propter merita Christi.* Jamvero protestantes nec aliam gratiam justificantem et sanctificantem agnoscunt nisi externam eam quae consistat in non imputatione peccatorum et in imputatione justitiae Christi, nec alium in finem instituta esse a Christo sacramenta aiunt quam propter remissionem peccatorum significandam et conferendam.

3° *Exercitium potestatis clavium per actum peccatorum remissivum contingens, ita gratiae sanctificantis, ut est peccatorum remissiva, signum est, ut hanc gratiam ex opere operato efficienter causet.* Et quidem sententiam absolutionis, prouti cadit super actus peccatoris facti paenitentis, esse efficienter causativam remissionis peccatorum manifeste patet ex verbis Christi. Nihil quippe aliud est efficienter causare effectum aliquem, quam actione sua in effectum eum influere. Sed tali modo apostoli eorumve successores, sententiam absolutionis ferendo, influunt in remissionem peccatorum passivam, uti manifestavit Christus, quando remissioni peccatorum activae, h. e. actioni sententialiter absolvendi, adnexuit tamquam causae remissionem peccatorum passivam tamquam effectum, dicens: « Quorum peccata remiseritis, remittuntur eis. »

Porro competere praedictam efficientiam sententiae absolutionis, prouti est *opus operatum,* non vero prout est *opus operantis,* liquet ex iisdem Christi verbis. Nam voluit quidem Christus sententiam illam absolutivam perfici actione vere humana, h. e. actione quae procedat ex voluntate deliberata ; quia nonnisi tali actione exerceri potest cum generatim omnis potestas quae in alios sit concessa, tum speciatim potestas quae sit vere ac proprie judiciaria. Itidem voluit Christus sententiam illam absolutionis ferri ex intentione utendi potestate clavium, quia nonnisi tali intentione valet absolutio illa determinari ad significationem quam ei adnexuit Christus. — Non tamen sententiae illius absolventis efficaciam alligavit Christus condicionibus fidei, boni-

tatis habitualis, intentionis actualiter rectae, quarum praesentia vel absentia faciunt opus aliquod externum esse moraliter bonum vel moraliter malum, esse meritorium vel demeritorium, verbo esse imputabile imputabilitate illa in bonum vel in malum secundum quam intellegitur opus externum esse *actio operantis non qualitercumque, sed prouti operans est agens morale.* Et ratio sic decernendi est a) quod Christus generaliter et sine ulla restrictione dicendo : « quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, » non aliis condicionibus alligavit efficaciam sive validum usum potestatis judiciariae in foro interno nisi iis quae sequuntur ex ipsa natura talis potestatis. Non autem sequitur ex natura potestatis judiciariae eam non posse valide exerceri ab homine talem potestatem habente, nisi per actionem bonam ac meritoriam. Unde etiam validitas sententiae prolatae a judice sacculari non attenditur secundum tales condiciones. Et ratio ulterior et adhuc manifestior praedicti asserti est b) quod virtus quae operatur in usu potestatis clavium ad remissionem peccatorum, non est virtus oriens ex meritis habentis hanc potestatem, sed est sola virtus meritorum a Christo acquisitorum in cruce.

4° *Ritus ille sensibilis in quo, quantum attinet ad actum peccata remittendi, consistit usus potestatis clavium; ritus ille sensibilis, inquam, quatenus sibi habet adnexam significationem practicam gratiae sanctificantis, ut est peccatorum post baptismum patratorum remissiva, est immediate institutus a Christo.* Ratio asserti est manifesta. Idem enim est dicere Christum contulisse apostolis potestatem remittendi ac retinendi peccata in foro interno, atque dicere eum per se et immediate adnexuisse sententiae absolvendi ab apostolis in foro interno prolatae significationem practicam gratiae sanctificantis, prouti est peccatorum post baptismum patratorum remissiva.

Nec difficultatem facessit in re praesenti id quod contra quartum assertum objiciunt protestantes, dicentes ad rationem sacramenti requiri *ut habeat mandatum Christi;* nullum autem exsistere mandatum Christi de potestate clavium exercenda. — *Hoc non facessit difficultatem in re praesenti,* inquam; transmitti enim potest Major; nam tametsi contineat sensum non modo aequivocum, sed etiam simpliciter falsum, sufficit negasse Minorem. Christum videlicet adstrinxisse praepositos ecclesiae strictissima obligatione exercendi potestatem clavium patet — tum a) ex ipso facto collationis hujus potestatis; non enim frustra, sed propter ejus exercitium eam potestatem Christus apostolis contulit, — tum b) ex eo quod, uti probatum est ex verbis Christi institutoris, necessarium est

tum necessitate medii tum necessitate praecepti divini omnia peccata mortalia fidelium post baptismum patrata subjici potestati clavium. Sicuti enim cum hac necessitate medii necessario conserta est obligatio juris divini fidelibus imposita sua peccata deferendi ad tribunal habentium potestatem clavium, ita ex eadem necessario consequitur obligatione juris divini adstringi eos qui hac potestate insigniuntur ad remittenda peccata fidelium rite dispositorum eorum tribunal adeuntium.

294. — **Probatur II°** *ex perpetua et constanti et per continentem testimoniorum seriem a temporibus aetati apostolorum propinquissimis directe descendente ecclesiae universalis traditione.*

Argumentum illud eadem ratione adornatur atque argumentum praecedens, in synthesin conferendo ea quae ex antiquissima ecclesiae traditione de potestate clavium ejusque usu jam singillatim demonstrata sunt. Argumentum sic compendio proponi potest:

Patres usum potestatis clavium consistentem in actu remittendi peccata, vocant *sacramentum,* s've, quod tantumdem valet, *mysterium* (Augustinus, Epist. 128 ad Honorat., et serm. 351, Ambrosius, De paenit., lib. I, c. 8, n. 36). Eos porro, ita loquendo, nomen sacramenti non accipere, prouti sensu largiore dicitur de quolibet signo sacro, sed prouti sensu strictiore dicitur de signo sacro cui ex stabili Christi institutione adnexa sit efficacia gratiae, patet — tum a) ex eo quod aiunt praedicto usu potestatis clavium vere ac proprie remitti peccata (Augustinus et Ambrosius, locis citatis, Pacianus, Epist. 1 ad Sympr. vers. fin. et Ep. 3, n. 7), — tum b) ex eo quod actum illum remittendi peccata connumerant sub ratione sacramenti sacramentis baptismi et eucharistiae (Augustinus, loc. citat. et De baptismo, lib. V, n. 28, Ambrosius, loc. cit.), quae, concedentibus ipsis protestantibus, sunt sacramenta proprie dicta, — tum c) ex eo quod perpetuo urgent, quantum ad effectum remissionis peccatorum, comparationem inter usum illum potestatis clavium et baptismum (Ambrosius et Pacianus, loc. cit.), — tum d) ex eo quod asserunt in usu illo potestatis clavium plane eodem modo atque in baptismo ministrum ecclesiae non operari nisi ministerialiter, solum vero Deum ibi operari principaliter, ita ut sola virtus quae in usu illo clavium operetur, sit virtus sive nomen Dei (Pacianus, loc. cit., Ambrosius, De paenit., lib. I, c. 8, n. 37, Augustinus, De bapt. contr. Donat., loc. cit.), — tum e) ex eo quod affirmant, sicuti ad Christi providentiam pertinuit instituere baptismum quo gentilibus sua remitterentur peccata, ita non minus ad ejus providentiam pertinuisse instituere remedium quo populo fideli et baptizato sua remitterentur peccata

(Pacianus, Epist. 3 ad Sympron, c. 9). Quod postremum assertum nequit profecto intellegi nisi de remedio quod sit sacramentum; secus quippe nec teneret comparatio instituta cum baptismo, nec recurrendum fuisset ad Christi providentiam, ante cujus adventum actui contritionis perfecto jam inerat vis remittendi peccata ex opere operantis, nec demum allatum fuisset argumentum contra Novatianos, qui non negabant actu contritionis perfectae posse ex opere operantis quaelibet peccata etiam hominum baptizatorum coram Deo remitti ([1]).

295. — II[a] Pars: Sacramentum illud paenitentiae est sacramentum ab omni alio distinctum.

Ea pars sufficienter probata relinquitur ex dictis Cap. I de potestate clavium. Non enim est controversia cum protestantibus nisi de distinctione hujus sacramenti a sacramento baptismi.

([1]) Testimonia patrum modo indicata, quibus, nisi brevitati studendum esset, plurima addi possent, fere omnia jam recitata sunt cap. 1 hujus tractationis, pp. 139-143. Cetera hic adjicimus.

S. Augustinus, Serm. 351, De utilitate agendae paenitentiae, nn. 7 et 8: « Tertia actio est paenitentiae, *quae pro illis peccatis subeunda est quae legis decalogus continet* et de quibus apostolus ait « quoniam qui talia agunt, regnum caelorum non possidebunt » (Gal. v, 21)... *Quisquis ergo post baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur*, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare cum tempus est, cum ita peccat et vivit? *Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves ecclesiae, quibus solvatur in terra ut sit solutus in caelo*, et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus est, salutem aliquam polliceri?... Judicet ergo seipsum homo in istis voluntate (h. e. sponte sua), dum potest, et mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino judicetur. *Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae, sententiam, veniat ad antistites per quos illi in ecclesia claves ministrantur*: et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, *a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum;* ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus *non solum in gravi ejus malo*, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset, non resistat, non letali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem. »

S. Augustinus, De baptismo contra Donatistas, l. v, n. 28: « Si ad hoc valet quod dictum est in evangelio: Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem sacramenta non celebrentur*: quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, *vel super capita eorum quibus manus imponitur.* »

S. Ambrosius, De paenit, l. 1, c. 8, nn. 36, 37: « Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per paenitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent. *Unum in utroque mysterium est.* »

« Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in paenitentia? *Nonne Dei nomen operatur?* Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam; ubi vultis, repudiatis. »

Pacianus, Epist, 3 ad Sympron., c. 9: « Quod si gentilem populum non passus est mori (dando baptismum), *multo magis* redemptum non patietur extingui Nec abjiciet quos magno redemit; nec enim levis illi est jactura famulorum. »

Solvuntur difficultates.

296. — Pleraeque objectiones protestantium jam adductae et solutae sunt capitibus I et II hujus secundae partis praesentis tractatus.

Praeter haec **opponunt** 1°: De ratione sacramenti N. L. est ut habeat determinatum ritum sensibilem. Sed non est assignare determinatum ritum sensibilem quo Christus exerceri voluerit potestatem remittendi ac retinendi peccata quae sit distincta a baptismo. Ergo usus potestatis remittendi ac retinendi peccata de quo Jo. xx, 23, aut non est vere ac proprie sacramentum N. L., aut non distinguitur a baptismo.

297. — **Respondetur** *concedendo Maj. et negando Min.* Uti enim partim capite III, partim probatione supra facta a nobis ostensum est, ex verbis Christi relatis Jo. xx, 23, efficaciter deducitur potestatem clavium, quantum attinet ad actum remittendi peccata, esse ex voluntate Christi institutoris exercendam sententia absolvente exterius prolata cadenteque super contritionem dolorosam tamquam materiam vel quasi materiam sacramenti.

298. — **Opponunt** 2° auctoritatem s. Augustini, qui contra Faustum, lib. XIX, c. 16, ait: « Quid sunt aliud quaeque corporalia sacramenta nisi quaedam quasi visibilia verba. » Et Tractatu 80 in Jo. generaliter explicans quid requiratur ad constitutionem sacramenti, ait: « Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum. » Tum in Serm. 272: « Sacramentum ideo dicitur, inquit, quia aliud videtur, aliud intellegitur : quod videtur, habet speciem corporalem, quod intellegitur, fructum habet spiritalem. »

Appellant etiam Isidorum Hispalensem, qui in Etymol. lib. VI, c. 19, n. 39, ita de sacramentis perhibet: « Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit ut aliquid significari intellegatur, quod sancte accipiendum est. Sunt autem sacramenta baptismus et chrisma, corpus et sanguis Domini. Quae ob id sacramenta dicuntur quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur, unde et a secretis virtutibus vel a sacris sacramenta dicuntur. »

Dupliciter inde arguunt. *Primo* ita: Uti patet ex dictis Augustini et ex definitione Isidoriana, de ratione sacramenti est ut sit elementum aliquod, h. e. substantia corporalis visibilis, cui ex institutione Christi adnexa sit gratia. Sed in usu potestatis remittendi ac retinendi peccata, si dicatur talis usus distingui a baptismo, non contingit adhiberi rem

aliquam corporalem ac visibilem. Nam et actus paenitentis et absolutio sacerdotis sunt de genere actionis, non vero de genere substantiae, iidemque non sunt visibiles, sed audibiles. Ergo secundum doctrinam veterum patrum usus potestatis clavium, si dicatur distingui a baptismo, non est sacramentum.

Secundo arguunt ita : Qui post traditam definitionem rei enumerat ea de quibus definitio verificatur, ille intendit excludere omne aliud ab extensione rei definitae. Sed Isidorus post traditam definitionem sacramenti enumerat ea de quibus talis definitio verificatur, dicens ea esse baptismum, chrisma, corpus et sanguinem Domini. Ergo omne quod distinguitur ab his tribus et per consequens etiam paenitentia, excluditur secundum Isidorum a numero sacramentorum.

299. — **Respondetur** ad utrumque argumentum simul, in iis committi sophisma fallaciae elenchi. Quaestio enim quae inter protestantes et nos in disputatione versatur, cum sit de re, convertitur a protestantibus in quaestionem de nomine. De eo videlicet in praesenti quaestione ambigitur utrum usus potestatis clavium, quantum attinet ad actum remittendi peccata, sit signum sensibile cui ex stabili Christi institutione addita sit significatio et efficacia gratiae. Quae quaestio si affirmative decisa fuerit, jam erit quaestio de solo nomine utrum praedictus usus potestatis clavium sit appellandus sacramentum veri nominis, tametsi et haec quaestio affirmative solvenda sit. Magni quippe interest ad defendendam doctrinam fidei contra errores qui in praesenti materia decursu saeculorum exorti sunt, caeremonias sacras quae in ratione signi practici gratiae inter se conveniant, nomine quopiam communi eodemque ipsis solis conveniente authentice significari. Quamobrem, licet minime inficiandum sit scriptores ecclesiasticos veteres modo laxius modo vero adstrictius nomen sacramenti adhibuisse quam id sequiore tempore a doctoribus scholasticis factitatum sit, merito tamen ecclesia significationem scholasticam hujus vocis tum solemni suo usu tum canonicis suis definitionibus sanxit.

Ceterum utrum s. Augustini verba in objectione adducta, revera eum reddant sensum quem eis tribuunt adversarii, dubitari posset. Certe in primo loco non loquitur s. doctor nisi de *corporalibus sacramentis*. Secundum ejus dictum unice pertinet ad baptismum, de quo ibi tractat. Tertium ejus dictum, pro subjecta materia concionis quam habebat ad neophytos, potest similiter intellegi de solo baptismo. Vel potest dici eum ibi verbum *videre* metaphorice accipere, ita ut *visibile* ibi vocet omne id quod sensu aliquo corporali percipi queat. Ratio-

nemque cur in generali sacramenti descriptione tali sit usus metaphora, hanc esse quod speciatim de baptismo loco citato verba faciebat.

Illud indubium est, in iis S. Augustini testimoniis quae inter argumentandum citavimus, tribui usui clavium eam sacramenti rationem ad quam significandam hoc nomen sacramenti in praesenti tractatione usurpamus. Eamdemque sacramenti rationem tribuit sacramento paenitentiae Isidorus, in ipsissimo eo capite 19 libri VI Etymologiarum unde deprompta sunt verba a protestantibus objecta. Nam et paenitentiam vocat ibidem « secundam *in similitudinem fontis* (baptismalis) purgationem, » satisque distincte tamquam partes ejus assignat contritionem, confessionem, satisfactionem et reconciliationem.

CAPUT VI.

De essentia sacramenti paenitentiae.

300. — Quando quaeritur de essentia alicujus sacramenti N. L., potest hoc nomen sacramenti usurpari dupliciter. Primo *formaliter,* ita ut hoc nomine intendatur significari *ritus sensibilis, prouti ex institutione Christi ei indita est significatio et efficacia gratiae.* Et secundum talem hujus nominis acceptionem nullus theologus catholicus negat omne sacramentum esse compositum ex materia et forma. Quod videlicet in sacramento integre et quantum ad omnia quae includit spectato, est ad instar formae, est ipsa significatio et vis efficiendi quam Christus ritui sensibili adnexuit ; quod vero in sacramento eodem modo spectato, est ad instar materiae, est *totus ritus sensibilis* qui ut subjectum et fundamentum significationi sacramentali et vi sacramentaliter causandi supponitur.

301. — Alio vero modo, quando movetur quaestio de essentia alicujus sacramenti, potest usurpari nomen sacramenti ita ut hoc nomen intellegatur supponere *materialiter,* h. e. *pro solo ritu sensibili cui adnexa est significatio et efficacia sacramentalis.* Et secundum talem modum illud nomen accipiendi dubitatur inter auctores catholicos de quorumdam sacramentorum essentiali constitutione. Quod ut manifestius percipiatur, animadvertendum est variis ritibus sacramentalibus

N. L. consideratis independenter ab institutione Christi, convenire sive ex natura rei sive ex institutione humana significationem aliquam ratione cujus apti nati sunt evehi ad significationem sacramentalem. Et quidem, attenta hac altera significatione, ritus sensibilis per se sumptus qui, attenta significatione sacramentali, erat solummodo materia sacramenti, potest intellegi componi et ipse ex materia et forma. Nam si non omnes, at certe plerique ritus sensibiles qui a Christo evecti sunt ad significationem sacramentalem, intrinsece constant ex rebus vel quasi rebus significantibus indeterminate ac confuse et verbis significantibus determinate ac distincte. Quia igitur in compositis physicis materia dicitur id quod se habet indeterminate ad plura, forma vero dicitur id quod materiam ad unum aliquid determinat, idcirco recte in praedictis ritibus sensibilibus sive in sacramentis materialiter sumptis res vel quasi res dicuntur materia sacramenti, verba vero dicuntur sacramenti forma.

302. — Porro quaestio quae in praesentiarum disputanda proponitur, est de sacramento paenitentiae considerato materialiter quantum ad ritum sensibilem qui supponitur significationi sacramentali. Quaeritur videlicet utrum talis ritus essentialiter complectatur non solummodo sententiam absolutionis exterius a sacerdote prolatam, sed etiam actus paenitentis, qui sunt contritio exterius se manifestans et confessio, et utrum per consequens de sacramento paenitentiae verum sit dicere illud componi tamquam ex partibus intrinsecis atque essentialibus ex actibus paenitentis tamquam materia et verbis absolutionis tamquam forma.

303. — In hac quaestione decidenda dissident inter se thomistae et scotistae.

Affirmative eam solvunt s. Thomas et secundum eum thomistae omnes, dicentes actus paenitentis, qui sunt contritio, confessio et satisfactio, intrinsece ingredi constitutionem hujus sacramenti per modum materiae et super illos cadere verba absolutionis per modum formae. Solos tamen actus contritionis et confessionis ita esse partes materiales intrinsecas ut simul sint partes essentiales, satisfactionem vero esse partem quidem materialem intrinsecam, non tamen partem essentialem, quia, ea non praestita vel etiam non imposita, salvatur essentia hujus sacramenti. Tenent autem hanc sententiam praeter auctores citatos major pars aliorum theologorum, ac nominatim Alexander Alensis, s. Bonaventura et Ricardus de Mediavilla, qui ex familia fuerunt Franciscanorum. Immo post habitum concilium

tridentinum nonnulli etiam discipuli Scoti, uti Brancatus et Mastrius, in eamdem sententiam concesserunt, contendentes eam esse de mente sui magistri. Inter hunc videlicet et s. Thomam illud solummodo in re praesenti differre, quod S. Thomas ponat tam actus paenitentis quam absolutionem sacerdotis importari in recto per sacramentum paenitentiae, Scotus vero doceat illud sacramentum supponere in recto pro sola absolutione, in obliquo vero pro actibus paenitentis.

304. — Negative vero solvunt quaestionem supra propositam Scotus et cum eo pars longe maxima scotistarum, item Major, Gabriel, Dionysius Cisterciensis, Almainus, Occam et Maldonatus. Concedit quidem Scotus ad sententiam absolutionis necessario praesupponi actus paenitentis et propterea asserit hosce actus esse de necessitate sacramenti paenitentiae et importari in obliquo in definitione ejus ; negat tamen eos esse ejusdem sacramenti partes intrinsecas et essentiales, sed ait eos esse condiciones requisitas vel ad debitam informationem judicis paenitentialis vel ad debitam dispositionem ipsius paeninentis ita ut in sola absolutione consistat secundum ipsum essentia sacramenti. Hanc esse genuinam doctoris subtilis mentem patet ex definitione sacramenti paenitentiae, quam tradit in Sent. IV, dist. 14, q. 4, hisce verbis : « Paenitentia, inquit, est absolutio hominis paenitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato. » Idem patet ulterius et manifestius adhuc ex eo quod ibid., dist. 16, q. 1, asserit et fuse probat ista tria, quae sunt contritio, confessio et satisfactio, non esse partes sacramenti paenitentiae.

Sunt e thomistis qui acriorem notam huic sententiae Scoti inurant, dicentes eam esse *temerariam* vel etiam *plus quam temerariam*. Cajetanus, in III, q. 84, a. 1, asserit contrarium *doceri* a concilio florentino. Sotus, in Sent. IV, d. 14, q. 1, a. 1, pronuntiat eam esse *a cànonico dicendi more alienam*. Vasquez reprehendit *modum loquendi exorbitantem*, ceterum dicit inter thomistas et scotistas esse quaestionem de nomine. Quae sane ejus assertio est falsissima ; quaestio enim qua quaeritur utrum actus paenitentis intrent constitutionem sacramenti paenitentiae, an vero sint extranei sacramento, utcumque sacramentum, propter ordinem quem ad ipsos importat, sine ipsis nec esse nec definiri possit, non est quaestio de nomine, sed de re quae est sacramentum. Illud solummodo verum est, quantum attinet ad administrationem et necessariam praxin sacramenti paenitentiae, nihil interesse utra ex duabus sententiis oppositis in re praesenti teneatur.

305. — Sed jam ad examen quaestionis hactenus propositae veniendum est. In quo instituendo eo ordine procedere placet ut primum proponantur varia argumenta quae fieri possunt pro sententia scotistarum, ac deinde expendantur ea rationum momenta propter quae omni tempore sententia thomistarum majori theologorum parti se magis probavit.

Sententiam itaque asserentem totam essentiam sacramenti paenitentiae in solis verbis absolutionis consistere, communire satagunt Scotistae argumentis ductis tum ex scriptura tum ex traditione.

306. — **Primum eorum argumentum** sumitur *ex verbis institutionis relatis a* Jo. XX, 23. Ita ferme proponi potest: Sacramentum N. L. est signum practicum gratiae a Christo Domino institutum. Unde in sacramento paenitentiae illa sola actio sensibilis cui ex institutione Christi adnexa est gratiae tum significatio tum ex opere operato efficacia, constituit essentiam hujus sacramenti. Ceterae vero omnes actiones sensibiles, etiamsi sine ipsis non possit consistere hoc sacramentum, si tamen non pertineant ad intrinsecam constitutionem signi cui a Christo adnexa est significatio et efficacia gratiae, non sunt de essentia ejusdem sacramenti, sed ad summum de necessitate ipsius. Sed actio sensibilis cui in sacramento paenitentiae sit adnexa a Christo institutore significatio et efficacia gratiae, est sola actio sacerdotis absolventis ; actus quippe paenitentis, tametsi sine quibusdam eorum non conficiatur illud sacramentum, non tamen concurrunt cum absolutione ad intrinsece constituendum signum illud sensibile cui ex Christi institutione est adnexa significatio et efficacia gratiae. Ergo sola absolutio sacerdotis est de essentia sacramenti paenitentiae, actus vero quidam paenitentis sunt solummodo de necessitate ejusdem.

Et probatur minor hujus syllogismi. Etenim ei solummodo actioni est in sacramento paenitentiae adnexa significatio et efficacia gratiae, cui Christus adnexuit vim peccatorum remissivam, uti patet — tum a) ex distinctione specifica hujus sacramenti a ceteris N. L. sacramentis, — tum b) ex probatione quae fit ad ostendendam veritatem ejus institutionis divinae. Sed Jo. XX, 23, ex quo loco repetenda est institutio divina hujus sacramenti, Christus vim remissivam peccatorum adnexuit soli actui sacerdotis absolventis ; eam quippe ibi adnexuit soli exercitio potestatis remittendorum ac retinendorum peccatorum ; tale autem exercitium, uti ex terminis est manifestum, non est nisi actus ministri dictam potestatem habentis, nempe actus sacerdotis in foro interno absolventis.

307. — **Nec** ad hoc argumentum exinaniendum **juvat dicere** 1° nullum offendi inconveniens in eo quod totum aliquod ponatur nonnisi parte aliqua sua vim suam atque efficientiam exercere; hoc enim passim nos videre evenire in compositis physicis. Uti v. g. homo non exercet potentiam suam visivam nisi solis oculis, nec potentiam suam auditivam nisi solis auribus. Hoc igitur modo posse aggregatum ex actibus paenitentis et absolutione sacerdotis esse, qua tale, verum et proprie dictum sacramentum, nec tamen exercere efficaciam suam sacramentalem nisi sola absolutione a sacerdote prolata. — *Non juvat sic dicere*, inquiunt, multipliciter enim haec ratio occurrendi argumento facto vanitatis arguitur. Etenim 1) in ea committitur fallacia elenchi. Nam ad summum per eam ostenditur *possibile fuisse* ita a Christo institui sacramentum paenitentiae ut illud vim suam nonnisi parte aliqua sua exsereret. Jam vero hoc est impertinens ad propositum. Praesens quippe quaestio non est de possibili vel impossibili, sed de facto vel non facto : quaeritur videlicet per eam quibusnam actionibus sensibilibus Christus revera adnexuerit rationem signi practici gratiae. Ceterum b) stante ea sacramenti N. L. notione quam propter conciliorum definitiones necesse est ab omnibus catholicis admitti, impossibile fuit a Christo sacramentum aliquod N. L. ita institui ut nonnisi parte aliqua sua causalitatem suam exsereret. Sacramenta quippe N. L. significant illud quod causant et causant illud quod significant, propterea que in sacramento N. L. illud solummodo est primo et per se causa gratiae quod primo et per se est signum gratiae. Jam vero, stante sententia adversariorum, non absolutio, sed solummodo aggregatum ex absolutione et actibus paenitentis est in sacramento paenitentiae primo et per se signum gratiae. Illud quippe solum ipsi ponunt esse primo et per se sacramentum. Ergo ut queant adversarii suam sententiam componere cum propria sacramenti N. L. ratione, necesse habent dicere non solam absolutionem, quippe quae seorsum sumpta non sit secundum eos sacramentaliter significativa, sed totum illud constitutum ex actibus paenitentis et absolutione sacerdotis esse in sacramento paenitentiae primo et per se causam gratiae. — Sed ut hoc omittamus, saltem c) ad quaestionem facti quod attinet, non aliter de actibus paenitentis demonstrari potest eos ad modum partis intrinsecae concurrere cum absolutione ad constituendum id quod in sacramento paenitentiae est primo et per se signum sacramentale, nisi quatenus de iisdem actibus ostenditur eos ad modum partis intrinsecae concurrere cum absolutione ad constituendum id quod in eodem sacramento est

primo et per se causa gratiae. Uti enim supra ostensum est, vis significativa sacramenti paenitentiae arguitur tamquam ex unico probationis medio ex eo quod ei adnexa est a Christo vis remissiva peccatorum ; proindeque, si actus paenitentis non intrinsece concurrant cum absolutione ad constituendum id quod in sacramento paenitentiae est primo et per se causa gratiae, nequit de ipsis ostendi eos intrinsece concurrere cum eadem absolutione ad constituendum id quod in eodem sacramento est primo et per se ritus sacramentaliter significans. — Denique d) arguitur falsitas praedictae evasionis ex auctoritate s. Thomae, cujus tamen sententia intenditur per eam defendi. Nam cum prius in Sent. IV, d. 22, q. 2, a. 1, asseruisset s. doctor totum sacramentum paenitentiae ita essentialiter constitui ex actibus paenitentis et absolutione sacerdotis ut tamen non causaret nisi ratione alicujus suae partis, h. e. solius absolutionis, postea in III, q. 86, a. 6, in corp., se ipso doctior factus, hanc suam pristinam sententiam correxit, dicens hoc sacramentum compositum ex materia et forma, causare remissionem peccatorum ratione utriusque suae partis, principalius quidem ratione formae, h. e. absolutionis, secundario vero ratione materiae, h. e. actuum paenitentis. Rationemque hujus suae emendatae magisque sibi constantis sententiae eam attulit quod, cum ex materia et forma fiat *unum sacramentum*, omne sacramentum causet suum effectum non solum virtute suae formae, sed etiam virtute suae materiae.

308. — **Nec juvat dicere** 2° actus paenitentis virtute actus clavium, h. e. absolutionis, ad quam ordinantur et cui a paenitente subjiciuntur, elevari ad efficientiam sacramentalem. — *Neque juvat ita dicere,* inquiunt, quia a) etiam tali respondendi ratione committitur mutatio elenchi. Quippe qui sic respondent, explicant dumtaxat *modum* quo contingit actus paenitentis absolutioni ad effectum remissionis peccatorum cooperari, cum tamen tali explicationi nullus sit locus, nisi jam soluta supponatur quaestio de facto hic agitata, nempe quaestio inquirens utrum revera actibus paenitentis vi institutionis Christi conveniat vis aliqua remissiva peccatorum. — Nempe b) dicere actus paenitentis virtute clavium quibus subjiciuntur, elevari ad efficientiam sacramentalem, nihil aliud est quam dicere ministrum sacramenti paenitentiae, applicando actibus paenitentis formam absolutionis, efficienter complere integrum illum ritum sacramentalem cui, propter hoc ipsum quod efficienter completur a legitimo sacramenti ministro, adnexa est ex institutione Christi significatio et efficacia sacramentalis. Et sic gratis supponitur ab auctoribus praedicto modo

respondentibus id cujus oppositum argumento supra facto conclusum est, videlicet in toto illo quod ex actibus paenitentis et absolutione sacerdotis coalescit, consistere primo et per se essentiam sacramenti paenitentiae.

309. — **Nec juvat dicere** 3° cum cardinali de Lugo, disp. 12, sect. 2, et cum nonnullis scotistis a genuina Scoti sententia in re praesenti desciscentibus, propter hoc ipsum quod Christus sententiae absolventi sacerdotis adnexuit significationem practicam gratiae, eum talem significationem necessario etiam adnexuisse actibus paenitentis. Quippe actus paenitentis pertinere, licet in obliquo, ad ipsum conceptum absolutionis. Ab hisce enim actibus verba quae profert sacerdos, formaliter habere quod sint sententia absolvens, idque satis patere ex eo quod, si confessio dolorosa non praecedat ex parte paenitentis, quantumcumque sacerdos proferat verba significantia absolutionem a peccatis, non futura sint haec ejus verba sententia vere absolvens. Quod si verba sacerdotis non habeant rationem sententiae vere absolventis, nisi prouti sunt *absolutio a peccato confessione dolorosa explicato;* ergo sacerdotis verba, ut sic formaliter denominata, non posse intrare ad constituendum sacramentum paenitentiae, quin una cum ipsis intret ad constituendum illud sacramentum confessio dolorosa a qua sic formaliter denominantur. — Neque sic juvat dicere, inquiunt; ut enim esset efficax haec ratio colligendi eminentissimi cardinalis, oporteret supponere actus paenitentis, propter hoc ipsum quod in conceptu absolutionis, prouti haec est vera et efficax, in obliquo importantur, esse de essentia absolutlonis. Quae suppositio quam sit falsa, satis patet a) ex absurdis quae, ea admissa, sequerentur. Sequeretur enim absolutionem sacerdotis formaliter sumptam non posse distingui distinctione totali ab actibus paenitentis. Nihil enim formaliter acceptum distinguitur totaliter contra aliquid intrinsece pertinens ad suam formalitatem. Unde jam ulterius sequeretur falsum esse illud quod tamen eminentissimus cardinalis defendere nititur, nempe sacramentum paenitentiae componi ex actibus paenitentis tamquam materia et verbis absolutionis tamquam forma. Et ratio cur sequeretur hoc esse falsum, est manifesta; si enim absolutio formaliter sumpta non sit nisi forma sacramenti paenitentiae, actus vero paenitentis idcirco intrent essentialem constitutionem sacramenti paenitentiae, quia ab ipsis absolutio habet ut sit formaliter absolutio, ergo actus paenitentis, in quantum intrant essentiam sacramenti paenitentiae, pertinent tantummodo ad formam sacramenti paenitentiae, nullatenus vero ad ejus materiam. Sane in

nullo composito, sive illud sit naturale, sive sit artificiale, materia est aliquid formae, neque forma est aliquid materiae. Ideoque non dicitur materia complere formam in ratione formae, neque forma dicitur complere materiam in ratione materiae, sed haec duo dicuntur se mutuo complere in ordine ad constituendum compositum quod ex eorum junctione efflorescit. Ceterum suppositionem quae involvitur in argumento cardinalis de Lugo, esse falsam patet directe b) ex eo quod in ea fit transitus ab eo quod intrat definitionem rei ad id quod intrat essentiam rei, cum tamen haec duo non simpliciter convertantur, sed prius eorum sit in plus quam posterius. Sciendum est videlicet absolutionem sacramentalem esse de numero includentium respectum trascendentalem. Quando videlicet dicitur talem absolutionem esse absolutionem a peccato per confessionem dolorosam declarato, exprimitur ordo quem includit absolutio ad confessionem dolorosam. Omnibus autem respectivis, in quantum hujusmodi, sive respectus quem includunt, sit praedicamentalis, sive sit transcendentalis, illud commune est quod intellegi nequeunt, nisi intellegatur id ad quod dicunt ordinem sive respectum. Et propterea necesse est id quod est terminus vel quasi terminus respectus quem formaliter includunt, poni in definitione eorum. Et quidem si definiantur in abstracto, semper in eorum definitione terminus vel quasi terminus quem respiciunt, importatur in obliquo. Hinc porro est quod omnia quae sunt hujusmodi, dicuntur definiri *per additamentum extrinsecum*. Nempe propterea per terminum illum vel quasi terminum quem formaliter respiciunt, dicuntur definiri tamquam *per additamentum extrinsecum*, quia, licet ille terminus ingrediatur definitionem eorum, eam complens, non tamen est intraneus essentiae eorum. Et sic patet veritas illius quod modo dicebamus, nempe suppositionem quae implicatur in argumento cardinalis de Lugo, esse falsam. Nempe, licet actus paenitentis ponantur in obliquo in definitione absolutionis, non tamen inde est consequens in essentia absolutionis formaliter consideratae includi eosdem actus, quod tamen necesse foret ut ex eo quod absolutio formaliter sumpta intrat signum sacramentale, concludi posset etiam actus paenitentis intrare idem illud signum sacramentale.

310. — **Secundum argumentum** scotistarum sumitur *ex auctoritate concilii tridentini*. Ita ferme proponi potest : Qui non aliunde probat actus paenitentis pertinere ad sacramentum paenitentiae nisi ex eo quod hi actus habent necessarium ordinem ad absolutionem, tamquam condiciones vel dispositiones praeviae ad ejus validitatem requisitae, ille

docet quidem hosce actus esse de necessitate sacramenti, non tamen docet eos esse de essentia ejusdem. Atqui patres tridentini non aliunde probant actus paenitentis pertinere ad validam administrationem sacramenti paenitentiae nisi ex eo quod hi actus sunt vel dispositiones praeviae ex parte paenitentis necessariae vel condiciones necessario requisitae ad formandam sententiam absolutionis. Ergo patres tridentini docent quidem actus paenitentis esse de necessitate sacramenti paenitentiae, nullo pacto vero docent eos esse de essentia ejusdem.

Major hujus argumenti patet multipliciter. Etenim 1) quidquid sit de quaestione facti quae hic agitatur, nequit negari potuisse Christum significationem et efficaciam sacramentalem adnectere solis verbis absolutionis ; porro, si id revera fecisset Christus, nihilominus verum esset dicere actus exteriores paenitentis esse condiciones necessario praerequisitas ut sacerdos possit valide et legitime ferre sententiam absolutionis, proindeque qui ad ostendendum actus exteriores paenitentis requiri ad conficiendum sacramentum paenitentiae, ea dumtaxat ratione nititur quod absolutio importat necessarium ordinem ad tales actus, ille probat quidem actus paenitentis esse de necessitate sacramenti paenitentiae, non tamen probat hosce actus esse de essentia ejusdem. Sane 2) eo ipso quod, uti argumento modo facto notatum est, Christus in sensu composito potestatis clavium apostolis concreditae potuisset pro suo libitu adnectere vel non adnectere actibus paenitentis efficaciam ex opere operato; eo ipso, inquam, manifestum fit ex eo quod actus paenitentis necessario requiruntur ad sententiam absolutionis ferendam, non posse argui eos ingredi essentialem constitutionem sacramenti paenitentiae, sed ad talem conclusionem stabiliendam opus esse recursu ad testimonia scripturarum vel traditionis eam sive explicite sive implicite perhibentia. Tandem 3) plerisque thomistis id fatentibus, sive demum sententia s. Thomae approbetur, sive potius sententia Scoti admittatur, nulla contingit variatio in praxi quae in administrando sacramento paenitentiae necessario servanda sit. Et hoc propterea, quia actus exteriores paenitentis importantur in obliquo in definitione absolutionis tamquam condiciones ad eam necessario praerequisitae. Ergo ex ordine quem actus paenitentis habent ad absolutionem, non concluditur eos esse partes intrinsecas sacramenti.

Probatur itaque minor, nempe non aliunde patres tridentinos probare actus paenitentis pertinere ad sacramentum paenitentiae nisi ex eo

quod hi actus sunt condiciones sine quibus non vel dispositiones praeviae ad absolutionem valide dandam ac recipiendam.

1) Et quidem quod attinet ad primum actum paenitentis, qui est contritio, patres tridentini, postquam sess. XIV, c. 4, tradidissent doctrinam de contritione perfecta, qua remittuntur peccata priusquam re et actu suscipiatur sacramentum paenitentiae, ita jam pergunt dicere de attritione : « illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur... declarat... etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum... quo paenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat ; *tamen eum ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit.* » En, dicit tantummodo concilium attritionem *esse dispositionem necessariam ad gratiam* in sacramento paenitentiae *impetrandam*, non vero dicit atque adeo ne innuit quidem eam, prouti conjungitur cum absolutione, gratiam ex opere operato efficienter causare. -- Ceterum b) contritionem, prouti requiritur ad sacramentum paenitentiae, concilium unice spectare, prouti est *opus operans*, non vero prouti est *opus operatum,* liquet etiam ex conclusione concilii. « *Quamobrem*, inquiunt patres, falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum paenitentiae *absque bono motu suscipientium* gratiam conferre. » Quibus verbis manifeste indicant patres se in iis quae de contritione praemiserant, unice docuisse contritionem paenitentis ad sacramentum paenitentiae conficiendum necessariam esse, prout est opus operans, non vero prout est opus operatum.

2) Jam in capite 5 ejusdem sessionis, agens de secundo paenitentis actu, qui est confessio, ita ostendit concilium etiam hunc actum requiri ad conficiendum sacramentum paenitentiae : « Ex institutione hujus sacramenti *jam explicata,* inquiunt patres, universa ecclesia semper intellexit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam exsistere ; quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, *tamquam praesides et judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur* in quae Christi fideles ceciderint ; quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis sententiam pronuntient. *Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse,* neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. *Ex his colligitur*

oportere a paenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri. » En rursum patres tridentini non aliunde colligunt confessionem esse necessariam ad conficiendum sacramentum paenitentiae, nisi a) ex eo quod sacerdotes a Christo constituti sunt *judices,* quod sane idem est atque dicere confessionem eatenus requiri quatenus dicit praecisum ordinem ad actum judicialem. Quod ceteroquin b) distincte docet concilium, dicens confessionem requiri ad informandum judicem paenitentialem, quo videlicet ipse, cognita causa, possit ferre sententiam.

3) Quod ad satisfactionem, qui tertius est paenitentis actus, attinet, eam ipsi thomistae fatentur non esse de essentia sacramenti. Quia tamen dicunt eam esse complementum intrinsecum, licet mere integrale, sacramenti, ex quo, si verum esset, sequeretur sane contritionem et confessionem, qui sunt actus necessarii ad hoc sacramentum conficiendum, esse de essentia ejusdem, idcirco oportet et hoc eorum assertum ex auctoritate concilii tridentini convelli. Quod sane non erit operosum praestare ; nam a) capite 8, jam tractantes patres de satisfactione, multas quidem rationes afferunt propter quas sit necessarium et utile eam a judice paenitentiali imponi, non tamen inter has rationes locum aliquem assignant ei quae ducitur ex efficacia quam juxta thomistas satisfactio haberet ex opere operato. Immo b) capite 9 satis aperte excludunt patres a praedicta satisfactione hanc ex opere operato efficaciam. Connumerant enim ibi satisfactionem in sacramento injunctam tum satisfactionibus sponte susceptis, tum satisfactioni quae praestatur patienter tolerando flagella a Deo immissa. Denique c) totis hisce capitibus 8 et 9 semper loquitur concilium de satisfactione, prouti est opus operantis, prouti videlicet est compensatio injuriae Deo illatae habetque effectus quosdam medicinales.

Ad complementum hujus ex doctrina concilii tridentini petiti argumenti adde a) quod patres concilii, loquendo de tribus hisce actibus paenitentis, qui sunt contritio, confessio et satisfactio, eos condistinguunt a sacramento paenitentiae, sic significantes eos se habere extranee ad hoc sacramentum, cum nihil totaliter distinguatur contra aliquid sui ipsius; adde b) quod iidem patres capite 7 probant et principio capitis 5 supponunt se probasse institutionem sacramenti paenitentiae ex collata apud Jo. XX, 23, potestate remittendi ac retinendi peccata; cum tamen, hunc locum tractantes, non loquantur de actibus ex parte paenitentis requisitis, sed de sola absolutione.

311. — **Nec juvat dicere** concilium in sessione illa sua XIV^{a} clare docere actus paenitentis esse de essentia sacramenti paenitentiae — tum dicendo a) cap. 3 eos esse partes hujus sacramenti, — tum dicendo b) ibid. eos esse ejusdem sacramenti materiam, — tum dicendo c) capite 3 hujus sacramenti vim esse *praecipue* sitam in absolutione, — tum dicendo d) ibid. absolutionem esse hujus sacramenti formam, — tum demum dicendo e) cap. 2 illud sacramentum a baptismo materia et forma, *quibus sacramenti essentia perficitur,* longissime differre. — *Hoc non juvat dicere,* inquiunt ; qualem enim fundant sensum locutiones in objectione adductae oportet dijudicari ex toto complexu doctrinae de sacramento paenitentiae a concilio traditae et a nobis supra expensae.

312. — **Ad primum** itaque **dicitur** *partes* a concilio accipi large, prouti etiam actus qui sunt de necessitate, sed non de essentia sacramenti, possunt dici partes *ejus.* Patet veritas talis assertionis tum a) ex eo quod eodem modo, quantum attinet ad proprietatem verborum, utitur concilium cap. 6 nomine partium quo immediate ante in eodem capite usum fuerat nomine *materiae ;* hoc autem nomine ibi sumpserat improprie, uti mox dicetur, — tum b) ex eo quod concilium ibidem diserte diminuit vim hujus vocis partium, dicendo : « *Qui quatenus* in paenitente ad integritatem sacramenti paenitentiae ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione *requiruntur, hac ratione paenitentiae partes dicuntur.* »

313. — **Ad secundum dicitur** concilium, appellando tres actus paenitentis materiam sacramenti paenitentiae, loqui cum particula diminuente et distrahente ; sic enim ipsum dicere : « Sunt autem actus paenitentis *quasi materia hujus sacramenti.* » Quo suo modo loquendi aperte significat actus paenitentis nonnisi improprie vocari materiam sacramenti paenitentiae. Dicendum est videlicet actus paenitentis esse *quasi materiam* hujus sacramenti, quatenus sunt materia subjecta inquisitioni judicis paenitentialis ejusque sententiae, ea proprietate qua examen testium, accusatio, defensio et confessio rei subjiciuntur discussioni et sententiae judicis in aliis causis. Quia ergo haec non sunt nisi requisita quaedam ad formandum judicium, non vero quaedam ingredientia ipsam essentiam judicii, idcirco dicendum est absolutionem cadere per modum formae super actus paenitentis tamquam super materiam sacramento extraneam, non vero tamquam supra materiam sacramento intraneam.

314. — **Ad tertium dicitur** additum esse in loco citato particu-

lam *praecipue,* quia noluit concilium damnare sententiam thomistarum ; haec quippe sententia, si non apposita fuisset praedicta particula vel alia aequipollens, futurum fuisse ut aperte verbis concilii excluderetur. Ceterum sufficienter salvari veritatem hujus particulae in sententia scotistarum, eo quod in hac sententia verum sit dicere etiam actus paenitentis aliquid conferre ad effectum sacramenti paenitentiae, non quidem efficienter in eum influendo, sed per modum dispositionum magis minusve removentium obicem. Hoc videlicet sensu, sicut in ceteris sacramentis, ita et in sacramento paenitentiae pro meliore suscipientis dispositione copiosiorem gratiam conferri.

315. — Ad quartum dicitur a) nomen *formae* non necessario accipi pro forma informante, sed indifferenter usurpari pro omni eo quod est ratio rem intrinsece in sua actualitate constituens. Quo modo et Angeli et Deus dicuntur formae. Proptereaque nullo tempore scotistae refugerunt ab usu hujus vocis formae ad significandam absolutionem sacramentalem. — Si tamen dicatur a concilio, quippe quod ordine et distincte recenseat formam et materiam sacramenti paenitentiae, manifeste accipi nomen formae, prouti dicitur respective ad materiam quae per eam informetur ; dicitur b) absolutionem dici formam respectu materiae quae sacramento essentialiter sumpto non sit intranea, sed extranea, et hoc sufficienter manifestari a concilio, eo quod ponit actus paenitentis esse tantummodo quasi materiam hujus sacramenti, uti supra declaratum est.

316. — Ad quintum dicitur multum interesse inter propositionem asserentem essentiam sacramenti *perfici materia ac forma* et propositionem asserentem essentiam sacramenti *constitui ex materia et forma.* Ad primam videlicet propositionem in re praesenti verificandam opus est tantummodo ut, non positis iis quae dicuntur materia et forma, non conficiatur sacramentum, iisdem vero positis, sine hoc quod opus sit aliquid ulterius accedere, jam conficiatur sacramentum. Ex quo utique est consequens intra complexum eorum quibus dicitur perfici sacramentum, inveniri totam essentiam sacramenti ; non tamen inde est consequens omne id quod continetur tali complexu, esse de essentia sacramenti, sed vel esse de essentia sacramenta vel de ejus necessitate. Patetque veritas hujus explicationis ex eo quod tali sensu utitur verbo *perficere* concilium florentinum in decreto pro Armenis, ita statuens : « Sacramenta *tribus perficiuntur*, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et *persona ministri conferentis sacramentum.* » Ex quibus concilii verbis generale etiam colligitur

argumentum contra modum argumentandi adversariorum, in eo unice consistentem quod urgent proprietatem quorumdam verborum quibus utuntur concilia in materia sacramentorum. Quia videlicet de quibusdam sacramentis nonnisi in sensu valde improprio et analogo potest verificari id quod principio loci citati generaliter asserit concilium florentinum, nempe sacramenta perfici rebus tamquam materia et verbis tamquam forma, idcirco verissime dici potest, quando concilia universim affirmant sacramenta constare rebus et verbis, vel materia et forma, haec nomina *res, materia, forma*, non accipi uniformiter, sed difformiter. Ita ut v. g. in sacramento eucharistiae intellegendum sit *verba consecrationis* non esse formam *intrinsece constitutivam* sacramenti, quippe quod sit sacramentum permanens, sed *formam effectivam* dumtaxat.

Ad ea vero quae ulterius objici possent ex concilio florentino dicitur sufficienter patere ex responsis hactenus datis quomodo diluenda sint.

317. — Tertium argumentum scotistarum sumitur ex eo *quod sacramentum paenitentiae administrandum est per modum judicii.* Ita illud proponunt : Uti colligitur ex Jo. xx, 23, et uti docet concilium tridentinum, sess. xiv, capp. 2, 5, 6, 7, sacramentum paenitentiae est institutum per modum judicii ; proindeque quidquid in sacramento paenitentiae se extrinsecus habet ad essentialem rationem judicii, id in eo sacramento est extraneum essentiae sacramenti. Sed in sacramento paenitentiae actus paenitentis se extrinsecus habent ad essentialem rationem judicii quod ibi exercetur ; quippe quod judicium unice et totaliter consistat in sententia sacerdotis absolventis. Ergo in sacramento paenitentiae actus paenitentis sunt extranei essentiae hujus sacramenti.

Et probatur minor hujus syllogismi. Nam a) constanti et uniformi omnium hominum usu nomen judicii, prout est nomen forense, numquam usurpatur nisi ad significandum actum quo judicat judex, nempe sententiam judicialem. Itidem b) in tribunalibus saecularibus accusatio actoris, defensio rei, probatio per testes, confessio rei aliaque ejusmodi non idcirco requiruntur, quia qualitercumque intrant ipsam essentiam actus judicialis, sed quia sunt condiciones requisitae ad hoc ut judex sufficienter informatus cognitione causae dijudicandae, possit valide ac legitime proferre sententiam. Unde in casu necessitatis, quando aliunde sufficienter innotescit causa, possunt omnia haec omitti, quod manifestissimum est signum nihil istorum ingredi essentiam judicii.

318. — **Hinc non juvat dicere** cum quibusdam oppositae sententiae patronis, judicium perfici quidem et compleri per sententiam judicis, ipsum tamen inchoari per accusationem rei et probationem per testes atque alios ejusmodi actus ; omnia quippe haec una cum sententia judicis constituere integrum processum judicialem ; falsum ergo assumi in argumento facto, quando dicitur essentiam judicii totaliter consistere in sententia a judice prolata. — *Hoc non juvat dicere*, inquiunt ; absurde quippe confunditur a sic respondentibus processus judicialis cum judicio quod non est totus processus judicialis, sed terminus ejus. Sane b) processus actuum sententiam judicis praecedentium non dicitur judicialis nisi per extrinsecam denominationem ; a judicio videlicet a judice prolato, tamquam a forma extrinsece denominante, actus judicium illud praecedentes analogice dicuntur judiciales propter ordinem quem habent ad sententiam judicis. Sicuti a sanitate, quae est in solo animali, cibus analogice vocatur sanus propter ordinem quem habet ad sanitatem animalis. Contradictionem autem implicat dicere ea quibus nonnisi per extrinsecam denominationem nomen aliquod tribuitur, esse partes intrinsece constitutivas formae sive essentiae eo nomine significatae. Sicuti implicat dicere cibum esse partem sanitatis quae est in animali. Unde nemo unquam dixerit, nisi absurde loquens, accusationem rei esse partem judicii prolati in reum.

319. — **Quartum argumentum** scotistarum sumitur *ex veritate verborum absolutionis*. Proponitur hunc ferme in modum : Quae primo et per se conveniunt composito, in quantum est compositum, ea nequeunt veraciter tribui parti constitutivae compositi. Sicuti, quia *flere* et *nere* sunt operationes quae primo et per se conveniunt homini, in quantum est compositum ex anima et corpore ; neque de anima, neque de corpore, in quantum nominat partem hominis, veraciter dici potest ea flere vel nere. Esse autem instrumentum ex opere operato gratiam causans, primo et per se convenit sacramento, in quantum est sacramentum. Proptereaque soli sacramento, in quantum est sacramentum, non vero parti alicui ejus potest tribui operatio ex opere operato gratiam causans. Sed juxta thomistas sacramentum paenitentiae, in quantum est sacramentum, non est absolutio, sed aggregatum ex actibus paenitentis et absolutione. Ergo, stante sententia thomistarum, necessario dicendum est non absolutionem, sed solum aggregatum ex actibus paenitentis et absolutione causare ex opere operato gratiam remissivam peccatorum. Et sic falsificabuntur verba absolutionis quibus judex paenitentialis exercite attestatur se per absolutionem, in

quantum est absolutio, conferre gratiam remissivam peccatorum. Et similiter falsificabuntur verba quibus Christus, Jo. XX, 23, attestatus est se actui potestatis clavium, consistenti in absolutione a peccatis, adnectere vim remissivam peccatorum. Denique falsum erit id quod docet concilium tridentinum, sess. XIV, capp. 2, 5 et 6, sacerdotem in administrando sacramento paenitentiae agere partes veri judicis. Non est enim verus judex in foro interno, cujus sententiae absolventi non respondeat, tamquam proprius et per se effectus, liberatio peccatoris a suis peccatis. Jam vero, stante sententia adversariorum, sententiae absolventi sacerdotis non respondet proprie et per se talis effectus. Uti enim dictum est, causatur ille effectus proprie et per se a sacramento paenitentiae, in quantum est sacramentum. Secundum sententiam autem adversariorum absolutio non est sacramentum paenitentiae, non magis quam anima est homo.

320. — Quintum Argumentum scotistarum sumitur *ex eo quod solus sacerdos absolvens est minister sacramenti paenitentiae.* Ita proponi solet : Secundum doctrinam ac definitionem traditas a concilio tridentino, sess. XIV, cap. 6 et can. 10, solus sacerdos, pro ministerio clavium ipsi soli collato, est minister sacramenti paenitentiae. Sed hoc falsum esset, si vera esset sententia thomistarum de essentia sacramenti paenitentiae. Ille enim est minister alicujus sacramenti qui ponit ritum sensibilem cui ex institutione Christi est adnexa significatio efficax gratiae. Quapropter si, uti ponit sententia thomistarum, ritus sensibilis cui in sacramento paenitentiae est annexa significatio efficax gratiae, partim ponitur a paenitente, partim vero a sacerdote, non solum sacerdos, sed etiam paenitens erit minister sacramenti paenitentiae. Seu potius paenitens et sacerdos, sibi mutuo cooperando in conficiendo ritu sensibili sacramenti paenitentiae, concurrent in unam causam ministerialem totalem hujus sacramenti.

321. — Sextum denique argumentum scotistarum sumitur *ex praxi moderna sacramentaliter absolvendi christianos* moribundos cujuscumque generis qui usu sensuum sint destituti, etiamsi nullum signum sensibile prius ediderint manifestans eos velle recipere sacramentum paenitentiae, dummodo conjectura saltem tenuiter probabili praesumi possit a sacerdote eos esse interne attritos. Argumentum ita conficitur: Impossibile est sacramentum paenitentiae perfici absque aliquo quod sit de essentia hujus sacramenti ; proindeque, si actus paenitentis sit de essentia hujus sacramenti, numquam sacramentum paenitentiae perfici poterit, nisi paenitens dolorem suum internum votumque suum

saltem implicitum confitendi aliquali signo externo ac sensibili prodiderit. Sed praxis moderna universalis habet ut moribundis sensu destitutis conferatur absolutio, etiamsi tales moribundi signum sensibile doloris concupitaeque a se confessionis nullum ediderint, dummodo qualitercumque praesumi possit eos esse interne attritos. Ergo praxis moderna administrandi sacramentum paenitentiae fundatur in sententia ponente solam absolutionem esse de essentia sacramenti paenitentiae; proindeque, cum praedicta praxi, utpote universali, se exercite manifestet sensus ecclesiae, dicendum est sententiam quae ponit actus paenitentis non ingredi essentiam sacramenti paenitentiae, magis esse conformem sensui ecclesiae quam sententiam ponentem hosce actus esse de essentia ejusdem sacramenti.

Ingens autem vis tum praxi cui innititur ultimum illud argumentum, tum etiam conclusioni quae ex ea deducitur, accedit ex auctoritate s. Augustini, qui in lib. I De conjugiis adulterinis, cum c. 26 in disputationem adduxisset utrum catechumeni qui in adulterio viverent, baptizandi essent, « si morbo vel casu aliquo oppressi petere sibi baptismum vel ad interrogata respondere non possent, » propriam suam eo in casu praxin c. 28 ita exponit : « Ego non solum catechumenos, *verum etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia,* cum salvos corpore non admittamus ad baptismum, tamen, si desperati jacuerint nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum ceteris lavacro abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad baptismum statuerint detineri ? » Tum addit pari in casu eamdem a se servari praxin in administrando sacramento paenitentiae. « Quae *autem baptismatis,* inquit, *eadem reconciliationis est causa, si forte paenitentem* finiendae vitae periculum *praeoccupaverit.* »

322. — *Nec valet* quod recens de sacramento paenitentiae tractator hic objicit, dicens locum hunc Augustini esse impertinentem ad propositum, eo quod s. Augustinus ibi sermonem habeat non de quolibet peccatore christiano, sed de iis qui in ordine essent publice paenitentium quique proinde jam publica edidissent signa paenitentiae. — Hoc non valet, inquiunt, uti patet a) ex ipso casu quem ibi tractat et solvit Augustinus. In posteriore quippe loco, sicuti in priore, quaestio est de adultero qui eo ipso tempore quo in adulterio vivit, vel subito vel progressu morbi quo correptus fuerat, omni sensu destituitur. Jam vero christiani, quamdiu peccaminose vivebant, non admittebantur ad paenitentiam publicam. Et si qui eo ipso tempore quo publice

paenitentiam profitebantur, peccaminosam suam vitam resumebant, illico ab ordine paenitentium removebantur. Falsitas allatae interpretationis patet ulterius b) ex omnimoda paritate quam pro casu quem spectat, s. Augustinus inducit inter administrationem baptismi et administrationem sacramenti paenitentiae. Hinc videlicet fit manifestum sensum a s. Augustino in verbis citatis intentum hunc esse : adulteris baptizatis qui jam omni sensu destituti jacuerint, solitum esse s. doctorem administrare sacramentum paenitentiae, quia forte eos intus in anima suorum peccatorum paeniteret, licet id signo aliquo sensibili manifestare non possent. Demum c) excluditur praedicta interpretatio eo quod inepte usus esset s. Augustinus verbo *praeoccupaverit,* nisi sensus esset, peccatores illos baptizatos de quibus loquitur s. doctor, sensibus destitutos esse, *prius quam* sensus paenitentiae, quos forte animo fovebant, exterius significare potuissent.

323. — Advertendum est tamen auctores illos recentes qui ex loco s. Augustini proxime allato et declarato et ex hodierna praxi absolutionem impertiendi omnibus christianis moribundis sensuum usu destitutis, etiamsi nulla horum petitio recipiendi sacramentum paenitentiae praecesserit ; advertendum est, inquam, auctores illos recentes qui ex duplici hoc probationis medio argumentum conficiunt, jam non genuinam Scoti sententiam defendere, sed tertiam quamdam sententiam inducere. Nam non modo asserunt cum Scoto actus exteriores paenitentis non esse de essentia sacramenti paenitentiae, sed insuper asserunt illos actus ne esse quidem de absoluta hujus sacramenti necessitate, cujus oppositum docetur a Scoto. — Ceterum jam antiquiores quidam scotistae, v. g. Hiquaeus, qui initio saeculi XVII scribebat, ad tertiam illam sententiam, studio quibusvis armis sententiam s. Thomae confodiendi, delati sunt. Arguebant autem hi auctores pro ea sententia ex eo quod secundum praxin semper in ecclesia observari solitam, et tum conciliorum carthaginiensium III et IV ac arausicani I canonibus, tum Leonis papae I ad Theodorum Forojuliensem episcopum epistula sancitam, danda est christiano moribundo sensibus destituto absolutio, dummodo sacerdoti absolventi constet eam a moribundo, priusquam usu rationis destitueretur, petitam fuisse.

Apparet tamen tale argumentum non recte concludere. Quippe ipse actus sacramentum paenitentiae petendi est confessio peccatorum, licet non specifica, sed generica, qualis tamen omnium consensu in casu extremae necessitatis sufficit.

Propositio.

Cum doctrina revelata, prouti ea non ex sola scriptura sacra, sed etiam ex traditione innotescit, melius componitur sententia asserens sacramentum paenitentiae essentialiter constare ex actibus paenitentis tamquam materia et verbis absolutionis tamquam forma, quam sententia totam hujus sacramenti essentiam in una absolutione constituens.

324. — Ut percipiatur quonam argumentorum genere opus sit ad hanc propositionem stabiliendam, animadvertatur oportet, quando dicitur actus paenitentis esse necesarios ad validam sacramenti paenitentiae confectionem, hoc posse de hisce actibus intellegi vel a) prouti sunt solummodo *dispositiones praeviae*, tenentes se ex parte subjecti sacramentum suscipientis, vel insuper b) *prouti sunt condiciones necessario requisitae ad eam judicis paenitentialis informationem, sine qua judex iste nequit sententialiter causam peccatoris decidere,* h. e. validam ferre absolutionis sententiam, vel adhuc insuper c) *prouti sunt partes intrinsece et essentialiter constitutivae sacramenti paenitentiae,* quantum ad hujus sacramenti materiam.

325. — Unde, uti supra monuimus, tres omnino possunt in re praesenti esse sententiae diversae. Prima potest esse sententia asserens ad validam sacramenti paenitentiae confectionem actus paenitentis tantummodo absoluta necessitate requiri, *prouti sunt boni animi motus disponentes paenitentem* ad validam et fructuosam hujus sacramenti receptionem. Ad hanc sententiam, uti supra monuimus, plus minusve aperte declinant nonnulli scotistae recentiores. Supposita autem ejus veritate, consequenter asserendum est ad validam sacramenti paenitentiae confectionem non esse absolute necessarium ut signo aliquo sensibili exterius se prodant sensus animi vere paenitentis quos peccator intus concepit, sed in casu quo peccator moribundus loquela sensuque omni est destitutus, sufficere ut talis peccator vel intus in anima vero attritionis sensu moveatur vel interiorem animi attritionem prius elicitam nec formaliter nec virtualiter retractaverit.

Secunda potest esse sententia ad validam sacramenti paenitentiae confectionem actus paenitentis absoluta necessitate requiri secundum duplicem rationem in iis considerabilem, nempe a) *prouti sunt boni animi motus peccatorem disponentes ad recipiendam suorum peccatorum remissionem per sacramenti susceptionem,* et b) *prouti sunt condiciones sine quibus praecedentibus non possit sacramenti minister ex sufficienti causae cognitione*

ferre sententiam absolutionis. Haec, uti diximus, est genuina sententia Scoti et veteris scholae scotisticae. Suppositoque eam esse veram, consequenter dicendum est sensus animi vere paenitentis, non solum prouti sunt actus interiores, sed etiam prouti confessione dolorosa foras prorumpunt, esse non quidem de essentia sacramenti paenitentiae, sed de absoluta ejus necessitate.

326. — Tertia denique potest esse sententia ad validam sacramenti paenitentiae confectionem actus paenitentis absoluta necessitate requiri — tum a) *prout sunt boni animi motus peccatorem disponentes ad condignam sacramenti susceptionem,* — tum b) *prouti sunt condiciones sine quibus praecedentibus non possit judex paenitentialis ex sufficienti causae cognitione ferre sententiam absolutionis,* — tum insuper c) *prouti ad modum partis materialis concurrunt cum verbis absolutionis, ut parte formali, ad sacramentum paenitentiae essentialiter constituendum.* Haec, uti antea diximus, est sententia s. Thomae ejusque scholae. Eaque admissa, consequenter asserendum est ad validam sacramenti paenitentiae confectionem actus paenitentis exteriores, h. e. confessionem dolorosam, duplici nomine requiri, nempe a) *prouti, ad modum condicionum sine quibus non, sunt de necessitate hujus sacramenti,* et b) *prouti ad modum partis materialis, sunt de essentia ejusdem sacramenti.*

327. — Ex his efficitur ad sententiam quae thomistarum in re praesenti est propria, probandam nihil prorsus valere ea omnia argumenta quae accipiuntur ex eo quod actus paenitentis sunt necessarii sive ad sufficientem ipsius paenitentis dispositionem, sive ad sufficientem judicis paenitentialis informationem. Sed praecisione facta ab eo quod sive ex parte dispositionum ipsius paenitentis, sive ex parte processus judicialis requiritur, necesse est posse ostendi Christum toti et soli complexui ex actibus paenitentis et absolutione sacerdotis adnexuisse significationem atque efficaciam gratiae. — Ex primo autem argumento quod factum est pro sententia Scoti efficaciter conclusum relinquitur impossibile esse talem sacramenti paenitentiae institutionis modum demonstrari ex verbis institutionis per se et nude inspectis. Restat ergo ut propria thomistarum in re praesenti sententia non alia ratione probari possit, nisi ostenso praedictum sacramenti paenitentiae institutionis modum sufficienter colligi, sive ex traditione viva, sensu atque praxi universalis ecclesiae sese prodente, sive ex traditione monumentis patrum decisionibusque modove loquendi conciliorum oecumenicorum consignata. Tali autem probandi generi insistentibus tria sese nobis offerunt argumenta discutienda.

328. — **Primum argumentum** *ducitur ex concursu satisfactionis in sacramento paenitentiae a sacerdote paenitenti injunctae ad procurandum plenum hujus sacramenti effectum.* Argumentum est hujusmodi. Nequit poni eum paenitentis actum qui est satisfactio a judice paenitentiali injuncta, esse partem intrinsecam, licet mere integralem, sacramenti paenitentiae, quin consequenter ponendum sit duos reliquos paenitentis actus, qui sunt contritio et confessio, esse et ipsos partes intrinsecas easdemque jam omnino essentiales ejusdem sacramenti paenitentiae. Sed actus paenitentis qui est satisfactio eidem a judice paenitentiali injuncta, est pars intrinseca, licet mere integralis, sacramenti paenitentiae. Ergo ii etiam paenitentis actus qui sunt contritio et confessio, sunt partes intrinsecae eaedemque essentiales sacramenti paenitentiae.

Major hujus syllogismi ferme per se patet et vix negatur ab adversariis. Sane a) prima fronte apparet irrationabile esse dicere Christum instituisse ut ille paenitentis actus qui minus est necessarius, operaretur in sacramento paenitentiae ex opere operato, alii vero paenitentis actus qui magis sunt necessarii, non operarentur in eodem sacramento nisi ex opere operantis. Et re quidem vera b) quandoquidem, uti patet ex Jo. XX, 23, Christus constituit ut in sacramento paenitentiae remissio peccatorum judicialiter concederetur, non potuit ipse, hac ejus voluntate supposita, adnectere actibus paenitentis vim ex opere operato ad effectum hujus sacramenti concurrendi, nisi quatenus hi actus subduntur judicio sacerdotis et qualitercumque nccessarii sunt ad hoc judicium perficiendum. Proptereaque, si cui paenitentis actui voluit Christus adnectere vim ex opere operato concurrendi ad effectum sacramenti paenitentiae, oportuit eum talem vim maxime adnectere iis paenitentis actibus qui maxime subduntur judicio sacerdotis maximeque sunt necessarii ad illud judicium perficiendum. Tales autem actus, uti patet, sunt contritio et confessio, non vero satisfactio, sine qua revera praestita atque imposita potest perfici judicium paenitentem a suis peccatis sacramentaliter absolvens. Quamobrem, si Christus ipsi actui satisfactionis adnexuit vim ex opere operato concurrendi ad completum effectum sacramenti paenitentiae, id signo manifestisssimo est ipsum eamdem vim multo magis adnexuisse actibus contritionis et confessionis.

Probatur itaque Minor syllogismi supra facti ex concilio tridentino, quod sess. XIV, c. 2, inter alia sacramenti paenitentiae a baptismo discrimina illud etiam assignat : « Alius praeterea est baptismi, alius paenitentiae fructus ; per baptismum enim Christum induentes, nova prorsus efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissio-

nem consequentes : *ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum paenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus ;* ut merito paenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis patribus dictus fuerit. » Ubi manifestum est a concilio doceri necesse esse ut satisfactio concurrat ad plenam illam peccatorum remissionem quam sacramentum paenitentiae ex opere operato causare potest. Eumdemque in sensum concilium, cap. 3, de tribus paenitentis actibus ita perhibet : « Qui quatenus in paenitente ad integritatem sacramenti *ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur*, hac ratione paenitentiae partes dicuntur. » Tum definit can. 4 : « Si quis negaverit *ad integram et perfectam peccatorum remissionem* requiri tres actus in paenitente, quasi materiam sacramenti paenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres paenitentiae partes dicuntur, anathema sit. »

Ex his ita arguitur : Juxta doctrinam ac definitionem concilii tridentini, in ordine ad procurandum perfectum eum sacramenti paenitentiae effectum qui est plena peccatorum remissio quoad culpam et quoad poenam, requiruntur non solum contritio et confessio, sed etiam satisfactio. Sed, licet de contritione et confessione dici possit eas *per modum dispositionum praeviarum* esse necessarias ad perfectum illum sacramenti paenitentiae effectum, ideoque ad talem sensum trahi possent verba concilii, si tantummodo de duobus hisce actibus ibi sermo esset ; non tamen de tertio paenitentis actu, qui est satisfactio, defendi potest eum per modum dispositionis praeviae requiri ad praedictum effectum sacramentalem. Quod enim est mera dispositio ad recipiendum influxum alicujus causae, id ex natura rei praecedit hujus causae influxum ; satisfactio autem non praecedit absolutionem ejusque influxum, sed eam saepe sat longo temporis intervallo subsequitur. Ergo quandoquidem actus aliquis paenitentis nequit concurrere ad effectum proprium sacramenti, nisi vel ut est opus operans, h. e. per modum dispositionis, vel ut est *opus operatum*, h. e. tamquam pars aliqua intrinseca sacramenti, necesse est concludere satisfactionem non aliter concurrere ad effectum plenariae remissionis per sacramentum paenitentiae consequendum, nisi quatenus, tamquam pars proprie dicta hujus sacramenti, causat ex opere operato remissionem poenae temporalis quae, post dimissa peccata quantum ad reatum poenae aeternae, adhuc luenda manet.

329. — *Sed occurrunt huic argumento scotistae,* dicentes, quidquid

sit de Majore et de vi consequentiae, Minorem cum sua probatione esse falsam et propterea totum argumentum ruere. Quippe, sicuti sola absolutione causatur ex opere operato effectus primarius sacramenti paenitentiae, qui est remissio peccati quantum ad reatum culpae et quantum ad reatum poenae aeternae, ita sola absolutione causari ex opere operato effectum secundarium ejusdem sacramenti, qui est remissio peccati quantum ad reatum poenae temporalis in quem commutatus fuerat reatus poenae aeternae. Satisfactionem vero non aliter concurrere ad causandum hunc effectum secundarium, nisi quatenus est condicio sine qua non et dispositio praevia ad eum. Haud secus atque contritio et confessio non requiruntur ad causandum effectum primarium sacramenti paenitentiae, nisi per modum condicionum sine quibus non vel per modum dispositionum praeviarum. Manifestamque rationem sic dicendi accipi ex verbis quibus Christus Jo. XX, 23, remissionem peccati tam quoad reatum culpae quam quoad omnem reatum poenae soli exercitio potestatis clavium adnexuit.

Quomodo autem haec sua responsio consequenter defendi possit, sic explicare conantur scotistae. Considerare oportet, inquiunt, attenta lege Dei ordinaria, non plene dimitti sacramento paenitentiae peccata post baptismum patrata, nisi prius operibus poenalibus expiata fuerint. Quod quidem est unum ex discriminibus quae a concilio tridentino, sess. XIV, c. 2, assignantur inter sacramentum baptismi et sacramentum paenitentiae. Hinc porro fit ut, quando absolutione sacramentali remittuntur peccatori paenitenti sua peccata quantum ad reatum culpae, reatus poenae aeternae quem is peccator, Deum offendendo, incurrerat, commutetur in reatum poenae temporalis. Potest tamen absolutio sacramentalis sua ex opere operato efficacia etiam ad hunc reatum poenae temporalis tollendum pertingere, non tamen aliter nisi servata lege pro peccatis satisfaciendi a Deo statuta. Ut igitur ad hunc effectum ex opere causato causandum vis absolutionis se extendat, judex paenitentialis paenitenti quem absolvit, imponit congruam satisfactionem. Immo, quantum est per se, tenetur hic judex talem satisfactionem paenitenti injungere, quia vi verborum Christi apud Matth. XVI et XVIII, ipsi respectu peccatoris paenitentis exercenda est in foro interno non solum potestas solvendi, sed etiam potestas ligandi.

Ex hac doctrina deducitur a scotistis 1° satisfactionem, quatenus a peccatore qui a suis peccatis jam absolutus sit, re et effectu praestatur, esse *condicionem sine qua absolutio non causat ex opere operato*

effectum suum secundarium, qui est remissio vel totius poenae temporalis remanentis vel partis alicujus hujus poenae.

2° Hunc effectum ex opere operato absolutione sacramentali causatum, majorem esse posse vel minorem, non solum prout majus vel minus fuerit opus poenale quod paenitenti sacramentaliter fuerit injunctum, sed etiam pro meliore vel minus bona *dispositione* ipsius paenitentis opus illud exequentis, h. e. prouti ipsius satisfactio, quatenus est opus operans, fuerit magis vel minus perfecta.

Quando autem dicitur satisfactionem quae ex praescripto judicis paenitentialis a paenitente praestatur, esse, ceteris paribus, majoris efficaciae quam esset eadem satisfactio, si sponte susciperetur a paenitente, et quando tale assertum ea ratione fulcitur quod satisfactio illa sacramentalis non habet solummodo effectum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, id in sua sententia scotistae ita explicant, ut, proprie loquendo, non satisfactio sacramentalis, sed aggregatum constitutum ex hac satisfactione et absolutione majoris sit efficaciae quam foret satisfactio subjective et objective eadem, quae non esset sacramentalis, sortiente quidem satisfactione in praedicto complexu eumdem prorsus effectum ex opere operantis quem alioquin sortiretur, sola vero absolutione causante effectum ex opere operato qui effectui illi ex opere operantis causato tunc adjungi contingit.

Ceterum argumentum ex satisfactione sacramentali petitum refelli potest non modo a) *directe,* uti modo factum est, sed etiam b) *indirecte.* Quaeri videlicet potest a thomistis ponantne ipsi remissionem poenae temporalis ex opere operato causari sola satisfactione, an vero complexu exsurgente ex satisfactione et absolutione. Si prius dicant, octavum videntur inducere sacramentum jamque defendere nequeunt id quod tamen in sua sententia asserere coguntur, satisfactionem videlicet se vere et proprie habere respectu absolutionis, sicuti materiam ad formam. Si vero posterius dicant, ruit argumentum factum. Si enim absolutio sua ex opere operato causalitate immediate attingat effectum remissionis poenae temporalis, quae post dimissam culpam adhuc luenda restabat, poterit sane absolutio hunc effectum se sola immediate attingere, et per consequens poterit satisfactio sacramentalis re et opere praestita esse dumtaxat condicio sine qua absolutio secundarium hunc suum effectum non attingeret.

Adde c) quod thomistae ambiguis loquendi formulis quibus utuntur ad declarandam satisfactionis ex opere operato efficaciam, satis testatum faciunt impossibile esse explicare quomodo talis efficacia, qualis

ad vim argumenti supra facti requiritur, stare possit cum hoc quod exercitio potestatis clavium remittatur in sacramento paenitentiae peccatum tam quoad reatum culpae quam quoad omnem reatum poenae. Quidam aiunt *sacerdotem per satisfactionem a se injunctam remittere poenam temporalem quae adhuc luenda restat.* Sed tale assertum, si in eo particula *per* in rigore sumenda sit, apparet esse falsissimum ; non enim propter commissum sibi ministerium clavium accepit judex paenitentialis potestatem a Christo adnectendi operi satisfactorio tamquam instrumento cuidam suo vim ex opere operato remissionem poenae temporalis adhuc debitae causandi. Si vero usu illius particulae *per* intendatur dici satisfactionem sacramentaliter injunctam et revera praestitam esse requisitam ad hoc ut absolutio non quidem se sola, sed una cum opere satisfactorio immediate causet ex opere operato remissionem poenae remanentis ; non solum ruit argumentum factum, uti jam dictum est, sed nec satis apparet quomodo simpliciter verum sit dicere remissionem poenae esse actum clavium. — Alii dicunt *in satisfactione a sacerdote imposita operari virtutem clavium.* Sed etiam tale dictum, si verba sensu proprio intellegenda sint, apparet stare non posse. Virtus enim clavium non operatur nisi in usu clavium, qui usus est actus sacerdotis absolventis, non vero actus paenitentis satisfacientis. Quod si praedicto modo loquendi solummodo intendatur dici absolutionem, in qua sola operatur virtus clavium, immediate cooperari operi satisfactorio, ruit argumentum factum, et inciditur in inconveniens quod, inquirendo in sensum primae loquendi formulae, modo notavimus. — Alii denique dicunt *satisfactionem virtute clavium elevari ad operandum ex opere operato remissionem poenae temporalis adhuc debitae.* Sed tale etiam dictum, si ejus sensus ex proprietate verborum expendendus sit, apparet esse indefendibile. Uti enim jam dictum est, defendi nequit satisfactionem, per virtutem ei a sacerdote absolvente influxam, operari ut hujus sacerdotis instrumentum aliquod. Quod si tertia illa loquendi formula intendatur tantummodo dici non per virtutem absolutione influxam, sed per ipsam absolutionem immediate cooperantem elevari satisfactionem sacramentalem ad operandum ex opere operato, rursum ruit argumentum factum, quia sic nihil aliud dicitur quam satisfactionem coire cum absolutione in unam causam totalem, immediate ex opere operato attingentem remissionem poenae.

330. — **Secundum argumentum** accipitur *ex nominibus quibus jam a remotissima antiquitate christiana significatum est sacramentum paenitentiae.* Est ferme hujusmodi : Licet nihil obstet quominus res aliqua

appelletur nomine significante ejus ordinem ad rem ipsi extrinsecam, nullus tamen usus loquendi sinit ut res aliqua appelletur nomine absolute significante aliquid ipsi prorsus extrinsecum. Sed jam a primis rei christianae saeculis sacramentum paenitentiae significatum est nominibus absolutis *confessionis* et *paenitentiae*. Ergo hisce nominibus, quibus se prodit sensus traditionalis, significatur confessionem et paenitentiam esse partes intrinsecas sacramenti a quibus per synecdochen totum sacramentum denominetur.

331. — Sed rursum hic *occurrunt scotistae,* dicentes nullum usum loquendi vetare quominus res aliqua absolute denominetur a re aliqua ipsi extrinseca quidem, necessario tamen ipsi conjuncta vel eam ordinarie concomitante. Et hoc praesertim esse verum, quando agitur de sacramento quod non administratur nisi per ritum aliquem sensibilem ex pluribus actionibus constantem. Tunc videlicet facillime usu venire ut sacramentum denominetur ab ea totius ritus sensibilis parte quae magis in oculos incurrit, sine hoc quod fiat inquisitio utrum illa pars sit de essentia vel de integritate vel de necessitate sacramenti vel etiam accidentaliter ei solummodo adjuncta. Ita porro revera factum esse in re praesenti patere ex eo quod primis ecclesiae temporibus sacramentum paenitentiae sit etiam appellitatum *sacramentum reconciliationis et sacramentum impositionis manuum.* Quippe *reconciliationem*, qui est effectus sacramenti, esse ei extrinsecam, impositionem vero manuum esse ritum extrinsece et accidentaliter sacramento adjunctum.

332. — Fatendum est tali responsione evinci etiam secundo thomistarum argumento non satis ostendi eorum sententiam habere firmum fundamentum in traditione. Quapropter praecipuum causae thomisticae praesidium collocandum est in tertio argumento, quod jam afferendum est.

333. — **Tertium** hoc **argumentum** *sumitur ex modo loquendi conciliorum florentini et tridentini.* Dicunt haec concilia a) sacramenta N. L. *perfici rebus tamquam materia* et verbis tamquam forma (concil. florent., in decreto pro Armenis ; b) actus paenitentis esse *quasi materiam* sacramenti paenitentiae (ibid. et concil. trid., sess. XIV, cap. 3 et can. 4); c) hosce actus esse *partes sacramenti paenitentiae* (concil. trident., sess. 14, c. 3) ; d) eosdem actus pertinere *ad integritatem sacramenti paenitentiae ;* e) sacramentum paenitentiae a baptismo differre materia et forma, quibus *sacramenti essentia perficitur* (ibid., c. 2) ; f) vim sacramenti paenitentiae esse *praecipue* sitam in absolutione (ibid., c. 3). Omnes porro hasce conciliorum locutiones, quae produnt sensum

traditionalem, ad sensum improprium revocare, videtur esse violentum. Ergo concilia, si minus diserta sua doctrina, saltem modo suo loquendi, testimonium ferunt pro sententia thomistica tamquam tali quae ex traditione derivata sit.

334. — Quomodo autem et huic argumento occurrant scotistae, dictum est supra, quando allatae sunt rationes quibus causa scotistica asseri potest. Ubi satis apparuit quam verum sit id quod modo supposuimus, scotistas videlicet non aliter suam sententiam cum doctrina conciliorum florentini et tridentini componere, quam locutiones horum conciliorum trahendo ad sensum inproprium. Quis enim proprietatem sermonis servans, dixerit de iis quae, licet requirantur ad exsistentiam alicujus rei, sunt tamen eidem extranea, ea esse partes hujus rei et ea requiri ad integritatem ejusdem ? Aut quomodo, si absolutio sit totum sacramentum paenitentiae, satis veraciter dici poterit vim hujus sacramenti in absolutione PRAECIPUE consistere ? Quo itidem sensu, si actus paenitentis non sint pars constitutiva sacramenti paenitentiae, dici poterit eos esse quasi materiam hujus sacramenti ? Non enim sunt materia *circa quam* versatur hoc sacramentum, talis enim materia sunt peccata, si ergo non sunt materia *ex qua* constat sacramentum, nullo modo erunt ejus materia.

Nec favet scotistis quod patres utriusque concilii diminuerunt vim hujus vocis *materiae,* ei addendo particulam *quasi.* Diminutus enim is modus loquendi acceptus est a s. Thoma (in opusculo de articulis fidei et septem sacramentis) qui eo significatum voluit actus paenitentis esse quidem id ex quo tamquam ex parte determinabili constet sacramentum paenitentiae, eos tamen non esse ejus generis materiam quae extrinsecus adhibeatur, uti aqua in baptismo et chrisma in confirmatione (cf. s. Thomas in III, q. 84, a. 1, in respp. ad 1^{m} et ad 2^{m}, et q. 90, a. 1).

335. — Illud tamen concedendum est, non esse ultra scopum urgendum modum loquendi conciliorum florentini et tridentini. Certum enim est non intendisse patres utriusque concilii dirimere controversiam quae est de essentia sacramenti paenitentiae inter scotistas et thomistas. Immo, uti testatur cardinalis Pallavicini, in sua historia concilii tridentini, lib. XII, patres tridentini, sicut antea patres florentini, vehementer caverunt ne vel minimum in suis de sacramento paenitentiae assertis et decretis patronos sententiae scotisticae offenderent. Propterea non est simpliciter verum dicere sententiam Scoti esse alienam a more loquendi canonico. Multoque minus meretur haec sententia

acriorem aliquam censuram. Et propterea satis habuimus asserere sententiam divi Thomae melius componi cum sensu traditionali quam oppositam sententiam Scoti.

Restat ut respondeatur ad argumenta scotistarum.

336. — **Ad primum argumentum respondetur,** concedendo ex praecisis verbis Christi apud Jo. XX, 23, non posse efficaciter colligi aliquid praeter solam absolutionem pertinere ad essentiam sacramenti paenitentiae. Sed negatur inde esse consequens hoc sacramentum consistere in sola absolutione. Sicuti enim ex verbis Christi praecise sumptis non habetur actus paenitentis esse intraneos sacramento, ita neque ex eis habetur hosce actus esse extraneos sacramento. Stante videlicet veritate horum verborum, duplex hypothesis est possibilis, scilicet vel a) quod Christus vim remissivam peccatorum adnexuerit actui clavium, prouti se solo constituit sacramentum, vel b) quod Christus hanc vim remissivam peccatorum adnexuerit actui clavium, prouti in unum sacramentum coalescit cum actibus paenitentis. Utra autem hypothesis sit verior oportet nos accipere ex traditione. Petuntque principium scotistae, quando supponunt verba Christi Jo. XX, 23, sumpta in sui praecisione a traditione, esse sufficientia ad nos plene edocendum quaenam sit essentia sacramenti paenitentiae. Hoc enim idem est atque supponere solum actum clavium esse de essentia hujus sacramenti.

337. — *Nec juvat dicere* tali responsionis modo supponi sacramentum paenitentiae, partim esse institutum verbis relatis a Jo. XX, 23, partim vero aliis verbis quorum substantialis sensus ope solius traditionis ad nos manaverit; jam vero talem suppositionem manifestae falsitatis convinci ex eo quod concilium tridentinum tum in sessione sua VI, cap. 14, tum toto decursu sesssionis XIV institutionem praedicti sacramenti unice repetit ex hisce Christi verbis: « quorum remiseritis » etc., « quorum retinueritis » etc..

338. — *Non juvat*, inquam, *sic dicere,* nam primo quidem reponi posset falsam esse Minorem talis impugnationis. Licet enim patres tridentini, sess. VI, cap. 14, dixerint Christum Jesum sacramentum instituisse paenitentiae, cum dixit: « accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, » etc., postmodum tamen in sua sessione XIV, capite 1, hoc suum assertum restrinxerunt: dicendo videlicet ibi Christum sacramentum paenitentiae tunc praecipue instituisse quando praedicta verba post suam resurrectionem protulit, aperte significaverunt jam ante resurrectionem Christi institutionem illius sacramenti inchoatam

fuisse. Quia tamen satis patet patres, addendo particulam illam restringentem : *praecipue*, respexisse ad Matth. XVI, 18, XVIII, 18, ubi fit promissio potestatis clavium, quae est inchoata quaedam hujus potestatis institutio, idcirco, misso priore illo modo respondendi tamquam non attinente ad propositum ([1]), negamus simpliciter Majorem impugnationis factae. Negamus scilicet in nostra sententia necesse esse dicere

([1]) Sacramentem paenitentiae quasi per partes et successive institutum esse videri posset sensisse Alexander Alensis in summae parte IV, q. 14, a. 3, ubi tractans de institutione sacramenti paenitentiae, ita perhibet : « Dicendum quod de institutione sacramenti paenitentiae est loqui quantum ad illud quod est materiale, quod est ex parte paenitentis, et quantum ad illud quod est formale, quod est ex parte absolventis. Quantum autem ad materiale ex parte paenitentis, *secundum quod ex serie evangelii potest colligi*, primo Salvator hoc sacramentum instituit, insinuando utilitatem, et hoc in principio suae praedicationis : paenitentiam agite (Matth. IV). Ab hoc autem praedicatio Christi sumpsit exordium, cujus utilitas subditur, cum dicitur : appropinquavit enim regnum caelorum. Et nota quod aliud est dicere : paenitemini et paenitentiam agite, quia agere paenitentiam non dicitur aliquis, nisi qui interiorem paenitentiam in opere declarat : unde in glossa super illud : paenitentiam agite, dicitur : paenitentiam agere est dignos fructus paenitentiae facere ; *dignos autem fructus facit qui secundum arbitrium rectum habentis claves actus paenitentiae facit* (ad quod requiritur veritas confessionis et discretio injunctionis). Insinuando autem necessitatem, instituit dominus paenitentiam in suae praedicationis progressu ibi : nisi paenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. (Luc. XIII)... Quantum autem ad formale, quod attenditur in absolutione et absolvendi potestate : fuit institutum ante passionem Domini ; collata enim fuit potestas clavium capiti ecclesiae Petro et ceteris praelatis in ipso, cum dictum est : tibi dabo claves regni caelorum (Matth. XVI). Post passionem vero collata fuit aliis apostolis : accipite Spiritum sanctum, etc. (Jo. XX).

Alensem ferme exscribit s. Thomas in Sent. IV, d. 22, q. 2, a. 3, quaestiunc. 3, ubi, tractans et ipse de institutione sacramenti paenitentiae, ait paenitentiam in diversis locis scripturae fuisse institutam quantum ad diversa. Quantum videlicet ad utilitatem, eam fuisse institutam Matth. IV, 17, quantum ad necessitatem Luc. XIII, 5, quantum ad potestatem Matth. XVI, 19, et Jo. XX, 23, denique de determinato modo paenitentiae aliquid expressisse Jacobum V, 16, dicendo : confitemini alterurum peccata vestra. Quam quidem sententiam quantum ad partem suam principalem repetit s. doctor in III, q. 84, a. 7, ubi tamen paulo aliter assignat tempora quibus successive et per partes fuit institutum sacramentum. Nam, quantum ad determinatos actus exteriores paenitentis qui ad illud pertinent, ait illud esse institutum Matth. IV, 17, quantum vero ad officium ministrorum Matth. XVI, 19, efficaciam vero hujus sacramenti et originem virtutis ejus ait Christum manifestasse post resurrectionem suam Luc. XXIV, 17, ubi, praemissa mentione passionis suae, in cujus virtute sacramenta operantur, dixit oportere praedicari in nomine suo paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. »

Nihil tamen prohibet quominus verba modo citata Alexandri Alensis et s. Thomae ad commodum sensum revocentur : Notanda sunt videlicet duo Primum est, eos locis citatis non intendere probare ex scriptura actus paenitentis ingredi constitutionem sacramenti paenitentiae ; non enim ibi quaerunt de essentia hujus sacramenti, de qua alibi tractant ; verum, supponendo ex traditione constare actus paenitentis esse partes intrinsecas hujus sacramenti, intendunt ex scriptura afferre qualemcumque conjecturam de tempore et modo quo institutio hujus sacramenti contigit. Secundum est, quando ambo auctores dicunt sacramentum paenitentiae, quantum ad actus paenitentis, esse institutum hisce Christi verbis : paenitentiam agite (Matth. IV et Luc. XIII), hoc posse intellegi de actibus paenitentis, prouti sunt partes sacramenti non formaliter, sed denomative, ita ut sensus sit Christum praedictis verbis instituisse actus exteriores paenitentiae, qui aliquando ab eo evehendi essent ad dignitatem partium constitutivarum sacramenti.

institutionem sacramenti paenitentiae esse factam quasi per partes ; cum hoc enim quod illud sacramentum, prouti intrinsece constat ex actibus paenitentis et absolutione, institutum est hisce verbis : « quorum remiseritis » etc., « quorum retinueritis » etc., stat ex hisce verbis praecise sumptis non posse efficaciter deduci aliquid praeter absolutionem ingredi essentiam hujus sacramenti. Quod quidem patebit attendenti saepe contingere ut vel ex verbis quibusdam quae praecesserant vel ex notitia ex parte audientium praesupposita vel ex aliis sermonis adjunctis verba aliqua determinentur ad significandum aliquid quod, si sumantur in sui praecisione ab omni alio, nullatenus significant. Porro aliquo ex hisce modis dicimus haec verba : « quorum remiseritis » etc., « quorum retinueritis » etc., determinata esse ad significandam institutionem sacramenti cujus essentia non consisteret in sola absolutione, sed etiam in actibus paenitentis. Ex propterea, licet ex praedictis verbis per se sumptis sufficienter inferatur quaenam sint de necessitate hujus sacramenti, non tamen, nisi prouti subsunt traditioni sensum eorum determinanti, est ex eis accipere quaenam sit integra ejusdem sacramenti essentia.

Ad secundum argumentum respondetur *concedendo totum* quod *assumitur,* sed *negando consequentiam.* Eo quippe argumento ostenditur dumtaxat patres tridentinos diserta sua doctrina non tradidisse nisi ea in quibus ambae sententiae conveniunt, nempe ad conficiendum sacramentum paenitentiae requiri actus paenitentis, alios quidem a) tamquam dispositiones prævias ex parte suscipientis sacramentum, alios vero b) tamquam condiciones sine quibus præsuppositis non possit formari sententia judicialis. Utrum vero actus paenitentis requirantur insuper tamquam *partes intrinsece constituentes sacramentum,* in neutram partem est decisum a patribus, tum quia a) ipsi noluerunt dirimere litem inter scotistas et thomistas agitatam, — tum quia b) hoc non erat necessarium ad confutandos protestantes contra quos unos patres in sess. XIV decertant.

339. — Ad tertium argumentum respondetur concedendo actum judicialem in sola sententia absolutionis consistere falsosque esse thomistas quosdam, cum hujus oppositum evincere nituntur. Sed negatur *assumptio* argumenti, nempe totam essentiam sacramenti consistere in judicio. Non enim talis assumptio colligitur ex Jo. XX, 23, neque etiam ex concilio tridentino. Aliud enim est dicere, ex loco Joannis non posse probari sacramentum paenitentiae consistere in alio quam in sola absolutione, quae propositio negativa est vera et a nobis

demonstrata ; aliud vero est dicere ex loco Joannis posse probari sacramentum paenitentiae non consistere in alio quam in sola absolutione, quae propositio affirmativa neganda est, quamdiu probatio, ejus veritatem evincens, non adducta fuerit. Concilium vero tridentinum dicit quidem ministrum sacramenti paenitentiae esse judicem, usumque potestatis clavium esse judicium atque actum judicialem, nuspiam vero docet totam sacramenti paenitentiae essentiam in judicio consistere.

340. — **Quartum** scotistarum **argumentum** alii aliter solvunt. Quorumdam est solutio, absolutionem sacramentalem esse quidem solam causam remissionis peccatorum, non tamen eam esse integrum signum sacramentale. Quam solutionem subsistere non posse satis liquet ex iis quae supra contra eam notata sunt, quando exponebatur cum variis suis vindicationibus primum argumentum scotistarum. Alii dicunt propterea actus paenitentis concurrere partialiter ad causandam gratiam, quia verba sacerdotis non habent virtutem completam movendi Deum, nisi secundum quod ab actibus paenitentis denominantur esse verba prolata ex potestate et auctoritate Christi. Quorum ratio dicendi et ipsa apertae falsitatis supra arguta est.

Vera responsio est, propterea ministrum absolutionis vere remittere peccata, ideoque et verba absolutionis esse vera, quia praedictus minister, applicando formam materiae, conficit integrum sacramentum, uti ostendetur in responsione ad argumentum sequens.

341. — **Ad quintum argumentum** respondent plerique omnes thomistae solum sacerdotem, eo quod ipse solus applicat formam materiae, esse ministrum sacramenti paenitentiae. Sicut etiam in compositis naturalibus ille dicitur causa compositi, qui, jungendo formam materiae, est causa cur exsurgat compositum. — *Dices* fore quidem ut teneret haec responsio, si absolutio sacerdotis esset forma sacramenti paenitentiae, in quantum est formaliter sacramentum. At vero, uti antea dictum est, solam significationem efficacem gratiae peccatorum remissivae esse formam hujus sacramenti, prout est formaliter sacramentum, totum vero ritum sensibilem tali formae tamquam materiam substerni. Non autem satis apparere cur, si duo concurrant ad ponendam hanc materiam, unus tantummodo eorum dicendus sit esse minister sacramenti, et non potius ambo causae partiales dicantur suo concursu integrare unum completum sacramenti ministrum. Et per consequens neque illud satis apparere cur, si sacerdos possit vere dicere se actu absolutionis remittere sua peccata paenitenti, etiam paenitens non possit vere dicere se propriis suis actibus sibi sua peccata remittere.

Respondetur propter hoc ipsum quod sacerdos, applicando formam materiae, conficit integrum ritum sensibilem, ipsum conficere integrum sacramentum, prouti est formaliter sacramentum ; quia, conficiendo integrum ritum sensibilem, ipse conficit id cui ex institutione Christi adnexa est significatio et efficacia gratiae.

342. — **Ad sextum argumentum** dicitur ex praxi illa moderna quoslibet christianos moribundos sensu destitutos absolvendi nihil posse concludi in favorem sententiae quae per eam asseri intenditur. Et ratio sic dicendi est quod in eo casu non solet dari absolutio nisi sub condicione. Et etiamsi non expresse apponatur condicio, semper ea subintelligitur. Condicio autem ista vel explicite vel implicite comprehendit omnia quae sunt de essentia vel de absoluta necessitate sacramenti. Ideoque, si signum aliquod sensibile doloris confessionem saltem genericam peccatorum continens, sit de essentia vel de absoluta necessitate sacramenti paenitentiae, tale autem signum revera nullum ediderit moribundus, non purificabitur condicio sive apposita sive subintellecta, nec proin valebit absolutio.

343. — Si quaeras quid sentiendum sit de probabilitate tertiae illius sententiae quae per tale argumentum adstrui intenditur, respondetur non apparere quomodo, supposita veritate hujus sententiae, salvetur in verbis absolutionis ratio verae ac proprie dictae sententiae judicialis. Item non apparere quomodo, stante ea sententia, non nutent omnes probationes quae adduci possunt ad ostendendam necessitatem confessionis auricularis.

CAPUT VII.

De ratione modoque signi essentiam absolutionis constituentis.

344. — Post declaratam essentiam sacramenti paenitentiae, jam ordine agendum est de singulis ejus partibus. Et primum quidem dicendum est de parte ejus formali, quae est absolutio a peccatis sententialiter prolata a sacerdote habente jurisdictionem in foro interno. De qua ex dictis capite superiore patet eam essentialiter consistere in signo aliquo sensibili sufficienter significante potestatis judiciariae exercitium per actum peccatorum remissivum.

345. — *Quaeritur autem 1°* utrum vi institutionis Christi, ex qua unice repetenda sunt ea quae requiruntur ad validitatem absolutionis, signum illud essentialiter consistat in verbis, an vero absolutio dari possit signo quocumque sufficienter significante remissionem peccatorum judicialiter factam, puta an dari possit scripto vel etiam nutu.

346. — Non defuerunt qui quaestionem sic disjunctive propositam affirmative solverent quantum ad posterius disjunctionis membrum. Ratio eorum praecipua fuit quod a) ex institutione Christi solummodo colligi potest potestatem clavium exercendam esse per modum judicii, potest autem sententia judicialis ferri quocumque signo sufficienter significante absolutionem vel condemnationem rei per usum potestatis judiciariae. Quod insuper b) patet etiam ex signo. Contingit enim ut in foro externo sententia judicialis scripto vel etiam nutu proferatur, et nihilominus sententia tunc censetur efficax.

Propositio I.

De essentia absolutionis est ut verbis proferatur ad praesentem directis.

347. — Est communis sententia, quam probant nonnulli ex concilio tridentino quod, sess. XIV, c. 3, docet sacramenti paenitentiae formam in illis ministri verbis positam esse : ego te absolvo etc.. — Dici tamen posset ibi a concilio doceri quidem hanc verborum formam esse *sufficientem,* non tamen ab eodem tradi eam formam essentialiter requiri ad validitatem absolutionis ; quia ad hoc significandum oportuisset concilium uti *propositione exclusiva,* vel propositioni affirmativae qua usum est, addere aliam propositionem negativam. Adderent fortassis aliqui non satis constare utrum loco concilii tridentini modo citato nomine *verborum* non possint intellegi verba etiam impropria, qualia sunt *verba scripta,* vel nutus signave alia locum verborum proprie dictorum supplentia. Esset tamen haec stultissima evasio. Nullum enim decretum fidei non eludi posset, si liceret verba quibus utuntur concilia, a proprio suo sensu distrahere. Adde quod concilium florentinum in decreto pro Armenis ita perhibet: « Forma hujus sacramenti (paenitentiae) sunt verba absolutionis, *quae sacerdos profert,* cum dicit, » etc. Quapropter prima solummodo responsio adhiberi potest.

348. — Maxime vero auctores recurrunt in re praesenti ad decretum datum a Clemente papa VIII, 20 Jun. 1602. Verba sunt decreti : « Sanctissimus Domanus noster... re mature ac diligenter considerata, hanc

propositionem, scilicet *licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere,* ad minus ut falsam, temerariam ac scandalosam damnavit ac prohibuit, praecepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisve lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, *aut ad praxin quovis modo deducatur.* »

349. — Fuerunt qui etiam post illud Clementis VIII decretum existimarent absolutionem absenti per litteras vel internuntium datam esse validam, *eo quod summus pontifex sit tantum de licito, non autem de valido locutus.* Et Isambertus, qui disp. 18, de paenit., a. 6, hujus rei testem se praebet, ait etiam se aliquamdiu in ea fuisse sententia. Est tamen sententia aperte falsa, uti patet duplicitur. *Primo* ex eo quod non licuisset summo pontifici declarare in quovis casu, h. e. etiam in casu ubi agitur de salute hominis in periculo mortis constituti, illicitam esse eam sacramentum paenitentiae administrandi praxim, quae, attenta institutione Christi, esset valida. *Secundo* idem patet ex eo quod, uti inspicienti verba decreti liquebit, pontifex non reddit vi sui decreti illicitam praxin quae antecedenter ad hoc suum decretum fuisset per se sive objective licita, sed solummodo declarat eam praxin objective et secundum se consideratam, esse illicitam. Inde videlicet efficitur ut secundum declarationem pontificis ea praxis jure divino sit illicita, non autem aliter potest ea praxis jure divino esse illicita, nisi quatenus, ea adhibita, non conficitur sacramentum.

350. — Hinc neque valet quod ait Ludovicus Morinus, De administ. sacrament. paenit., l. VIII, c. 25, pontificem suo decreto effecisse ut qui modus sacramentum paenitentiae administrandi ante ipsius decretum erat validus, jam post illud suum decretum non modo esset illicitus, sed etiam invalidus. Pontificem videlicet suo decreto jurisdictionem omnium episcoporum atque inferiorum sacerdotum restrinxisse ita ut jam se non extenderet ad casum in decreto memoratum. — Non valet, inquam, haec interpretatio ; manifestae enim falsitatis convincitur a) rationibus quas proxime assignavimus. Apparetque b) eam esse nimis ineptam; decretum enim Clementis VIII formaliter et in terminis non agit nisi de licito et illicito; quapropter, si praxis quam prohibet pontifex, ante decretum latum valebat ad conficiendum sacramentum, etiam post idem decretum latum valet ad eumdem effectum. Adde c) quod interpretatio Morini aperte refragatur doctrinae patrum tridentinorum qui, sess. XIV, c. 7, asserunt « pie admodum,

ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuisse ut nulla sit reservatio in articulo mortis. » Non enim credibile est voluisse Clementem VIII abolere praxin quae et pia sit et perpetuo ecclesiae usu sancita.

351. — Verissime tamen dicitur decretum Clementis VIII spectare dumtaxat casum quo *absenti per litteras vel internuntium absolutio datur;* proptereaque, quantum est praecise per hoc decretum, indecisam manere quaestionem utrum non valeat absolutio quae praesenti detur sive scripto, sive nutu, sive alio quocumque signo exteriore quod non sit verbale. Certe pontifex suo decreto damnat ut universaliter illicitam et per consequens ut invalidam praxin confessario absenti peccata sacramentaliter confitendi; non tamen inde efficitur in nullo casu licere paenitenti sua peccata confessario praesenti scripto aliisve signis quae non sint vocalia, confiteri. — Ceterum, licet theologus teneatur respicere ad decreta conciliorum ac romanorum pontificum tamquam ad normam doctrinae a se tradendae; proprium tamen ejus munus est doctrinam hisce decretis contentam ex revelationis fontibus asserere ac vindicare.

352. — Talem itaque argumentationem adornare studentes, Suarezius, cardinalis de Lugo atque alii plures adducunt rationes propter quas ad validam sacramenti paenitentiae confectionem universaliter necessarium sit absolutionem verbis proprie dictis, h. e. vocabulis efferri. Ferme omnes tamen hae rationes sunt inefficaces. Cujusmodi est v. g. ratio quam desumit Suarez ex eo quod de ratione locutionis est ut non dirigatur nisi ad praesentem. Principium enim petitur, cum ita arguitur. Nam dirigi ad praesentem est de ratione verborum ore prolatorum, non tamen hoc est de ratione verborum scripto consignatorum; modo autem est quaestio num ad validitatem absolutionis sacramentalis sufficiat eam dari verbis quae ad posterius hoc verborum genus pertineant. Ceterum, dato etiam toto eo quod assumit Suarezius, non sequitur conclusio ab eo intenta et demonstranda. Sequitur enim dumtaxat absolutionem quae scripto, nutu aliove quocumque signo non vocali exprimatur, non esse validam nisi dirigatur ad personam praesentem. — Ejusdem est inefficaciae ratio quam affert cardinalis de Lugo, ex eo petita quod verba absolutionis non dirigantur ad hominem qui absolvitur, sed ad Deum, Deum autem non alloquamur, quantum est per se, nisi signis vocalibus. Sane, si verum esset id quod assumit haec ratio, sequeretur verba absolutionis esse falsa. Sequereturque itidem haec verba, quantum est ex intentione ministri ea

pronuntiantis, habere vim mere precatoriam, quod tamen illustrissimus cardinalis deinde impugnat.

353. — **Unica** itaque **ratio** propositionem quae modo demonstranda est, efficaciter evincens, sumitur ex traditione, quatenus se exserit perpetua et universali praxi ab ecclesia in administratione sacramenti paenitentiae observari solita. Nullo videlicet tempore usus ecclesiae habuit ut absolutio sacramentalis aliter daretur quam verbis proprie dictis ad praesentem directis. Quod signo est Christum instituisse ut nonnisi determinato eo modo sententia judicialis in tribunali paenitentiae proferretur. Nam si, quantum est ex institutione Christi, etiam alii modi ad hanc sententiam ferendam valerent, profecto ecclesia, saltem pro iis casibus ubi primus modus adhiberi non potest et extrema necessitas urget, usu suo eos sanxisset.

354. — Quae autem a Morino, loco supra citato, afferuntur episcoporum, conciliorum ac romanorum pontificum facta ad ostendendum revera per plura saecula viguisse in ecclesia praxin dandi absolutionem per litteras absentibus ; ea ad falsissimam interpretationem ab hoc auctore trahuntur. Pro more videlicet suo, cum absolutione sacramentali confundit Morinus sive absolutionem canonicam, qua in foro externo aliquis absolvebatur ab excommunicatione vel censuris, sive absolutionem qua per modum indulgentiae plenariae aliquis absolvebatur a poenis quae post dimissam culpam ei luendae remanebant (1). Sane ridiculum est supponere sacramentalem fuisse absolutionem quae itentidem dabatur non ab uno aliquo episcopo, sed a numeroso episcoporum coetu. Patetque non modo ex omnibus adjunctis, sed ex ipso saepe contextu, facta de quibus agitur, pertinuisse ad solam absolutionem canonicam vel ad absolutionem relaxantem poenas a Deo

(1) Facta quae huc a Morino adducuntur, sunt

1° Absolutio quae Roberto cenomanensi episcopo, cum graviter aegrotans sua peccata scripto generice confessus esset, anno 872 per litteras data est a concilii patribus ab ipso per 20 milliaria gallica dissitis.

2° Absolutio quae ab Hincmaro archiepiscopo moguntino data est Hildeboldo suessonensi episcopo eam per litteras petenti.

3° Absolutio quam s. Gregorius VII per litteras dedit lincolniensi episcopo (Epist, l. I, epist. 34).

4° Absolutio quam idem pontifix per litteras concessit episcopo leodiensi (Epist. l. II, epist. 61).

5° Absolutio quam idem pontifex per litteras concessit Alphonso II, Hispaniae regi (Epist. l. VIII, ep. 2).

6° Absolutio quam, ita narrante Harmenopolo, episcopus quidam per scriptum militi dedit.

7° Absolutio quam petenti s. Thomae, cantuariensi archiepiscopo, Alexander III per litteras concessit anno 1264.

alioquin exposcendas. Sic, quod attinet, v. g. ad sextum ex factis quae in subjecta nota recensuimus, narrat Harmenopolus episcopum qui absolutionem militi dederat, vocatum esse ad concilium eo quod absolutionem, *non imposita paenitentia canonica, dedisset.* Erat ergo haec absolutio canonica: ad hanc quippe ordinabatur paenitentia canonica. Alexander vero III absolutionem quam per litteras dat s. Thomae Cantuariensi, diserte distinguit ab absolutione sacramentali. Innuitque absolutionem illam a se concessam esse saltem partialiter absolutionem ab excommunicatione, quam timebat sanctus Thomas se incurrisse propterea quod nimis molliter Henrico II Anglorum regi assentatus fuisset. « Si igitur aliquid te recolis commisisse, inquit pontifex, de quo propria te debeat conscientia remordere ; quidquid sit, *sacerdoti qui discretus et providus habeatur, tibi consulimus per paenitentiam confiteri.* Quo facto et misericors Dominus, qui multo amplius ad cor respicit quam ad actus, tibi consuetae pietatis suae miseratione dimittet. Et nos de beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus ; et idipsum fraternitati tuae apostolica auctoritate relaxamus, *consulentes utique ac mandantes ut postea a missarum celebrationibus propter hoc non debeatis abstinere.* »

355. — Ad reliqua argumenta quae a Paludano, Medina, Hadriano, Sylvestro, Navarro, Tabiena, Morino aliisque adversae sententiae patronis fiunt, facile est respondere, supposita probatione modo a nobis inducta.

Ad praecipuum eorum **argumentum,** quod jam supra proposuimus, **dicitur** ex eo quod vi institutionis Christi absolutio sacramentalis danda est per modum judicii, utique sequi de ea oportere verificari omnia quae sunt de essentiali ratione judicii. Neutiquam tamen exinde sequi oportere ut judicium illud sacramentale exerceri possit omnibus illis modis ad quos ratio judicii indeterminate sumpti se habet indifferenter, nullum horum modorum determinate sumptum sive per se exigens, sive per se excludens. Sed ad talem conclusionem inferendam oportere supponi Christum ita voluisse absolutionem sacramentalem esse essentialiter judicium, ut nihil determinaverit circa modum quo exercendum sit illud judicium. Ejusmodi autem suppositionem esse falsam patere ex traditione, perpetua ecclesiae praxi sese prodente, tametsi id non pateat ex verbis institutionis apud Jo. XX, 23.

356. — **Ad secundum argumentum,** quod petebatur ex eo quod in foro externo contingit sententiam vere judicialem ferri non modo voce, *sed etiam scripto, nutibus aliisve signis,* **respondetur** 1° argumentum

retorqueri posse. In multis enim rebus publicis non valere sententiam judicis, nisi determinato quodam modo et praemissis certis quibusdam solemnitatibus feratur. — **Respondetur 2°** non tenere paritatem, nisi supponatur ex multis illis modis quibus in foro externo contingit ferri judicium, Christum nullum definitum modum peculiarem fecisse judicio sacramentali.

357. — **Arguunt** praeterea 3°, instituendo paritatem inter sacramentum paenitentiae et sacramentum matrimonii. Sacramentum matrimonii, inquiunt, absque verbis perfici potest, eo quod sequitur naturam contractus, qui per se est indifferens ad hoc ut verbis potius quam alio quovis signo externo sufficienter expressivo consensus perficiatur. Ergo a pari, etiam absolutio sacramentalis absque verbis perfici potest, eo quod sequitur naturam judicii, quod et ipsum est per se indifferens ad hoc ut verbis potius quam alio signo sufficienter expressivo sententiae judicialis perficiatur.

358. — **Respondetur,** *negando paritatem.* Et ratio disparitatis est quod Christus matrimonium jam exsistens evexit ad dignitatem sacramenti ; unde necessario consequens est ut quot modis valide perfici potest contractus matrimonialis, tot etiam modis valide perfici possit sacramentum matrimonii. Non autem judicium aliquod jam exsistens Christus evexit ad dignitatem sacramenti, sed ipse volens sacramentum paenitentiae judicialiter administrari, novum aliquod judicium in foro interno constituit, cujus proinde et determinatum modum quo exercendum esset, definire potuit ; id autem eum revera fecisse constat ex traditione, uti jam saepe dictum est.

Quando igitur in argumento assumitur absolutionem sacramentalem sequi naturam judicii, haud secus atque sacramentum matrimonii sequitur naturam contractus, falsum dicitur et fit transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Matrimonium videlicet sequitur simpliciter naturam contractus, absolutio vero sacramentalis non sequitur naturam judicii nisi secundum quid. Sive, ut hoc enucleatius explicemus, sacramentum matrimonii sequitur naturam contractus — tum a) quantum ad hoc quod omne id quod est de essentiali ratione contractus, est etiam de essentiali ratione sacramenti matrimonii, — tum b) quantum ad hoc quod ad quae, tamquam ad diversos contrahendi modos, ratio contractus se habet indeterminate sive indifferenter, ad ea etiam sacramentum matrimonii se habet indeterminate atque indifferenter. Contra, absolutio sacramentalis sequitur quidem rationem judicii quantum ad hoc quod omne id quod est de essentiali ratione

judicii, est etiam de essentiali ratione absolutionis sacramentalis, non tamen sequitur rationem judicii quantum ad hoc quod ad quae, tamquam ad diversos judicandi modos, judicium se habet indeterminate atque indifferenter, ad ea etiam absolutio sacramentalis se habet indeterminate atque indifferenter.

359. — **Arguunt** 4° ex eo quod in certis quibusdam casibus confessio valide et licite perfici potest non modo verbis, sed et scripto et nutibus et aliis signis non vocalibus. Eadem, inquiunt, est ratio accusationis atque judicii quantum ad hoc quod determinatis signis alligentur : non enim judicium magis quam accusatio, quantum attinet ad modum quo proferendum est, exigit determinato alicui signo alligari ; quamobrem, si, quantum est praecise ex institutione Christi, accusatio sacramentalis nulli determinato signo alligatur, signo id est neque judicium sacramentale determinato alicui signo alligari. Atqui, quantum est ex institutione Christi, accusatio sacramentalis nulli determinato signo alligatur ; potest enim in casu necessitatis confessio perfici tum scripto tum etiam nutibus aliisve signis exterioribus. Ergo, quantum est ex institutione Christi, etiam absolutio sacramentalis nulli determinato signo alligatur.

360. — **Respondetur** *distinguendo Antecedens* Majoris : Eadem est in sacramento paenitentiae ratio judicii atque accusationis, quantum est praecise ex natura judicii atque accusationis per se et abstracte sumptorum, *Conc. Antec.,* Quantum est ex voluntate Christi, qui potuit libere constituere ut unius modus esset indeterminatus, alterius vero modus esset determinatus, *Nego Antec.,* et sub hac distinctione, *nego Consequens Majoris. Unde, concessa Minore, nego Cons. et conseq.* — Si vero quaeratur quae sit ratio cur voluerit Christus modum dandi absolutionem sacramentalem esse limitatum, modum vero persolvendi confessionem sacramentalem esse illimitatum, facilis erit responsio, si in quaestione de essentia sacramenti paenitentiae magis approbetur sententia Scoti. Ea videlicet sententia supposita, dicitur Christum instituisse confessionem sacramentalem non propter se, sed per modum consequentiae cujusdam, in quantum videlicet talis confessio est necessaria ad sufficientem informationem judicis. Quia ergo sufficiens haec informatio acquiri potest, sive demum confessio verbis sive alio quovis modo persolvatur, idcirco, non sicuti absolutionem sacramentalem, eam certo alicui ac definito signo alligatam esse. — Adhibent hanc solutionem etiam Suarez et Lugo, non advertentes se, sic respondendo, scotizare. — Si vero teneatur sententia s. Thomae, ratio cur Christus modum absolvendi, non vero modum confitendi determina-

verit, repetenda est ex incommodis quae secuta fuissent, si confessio sacramentalis nonnisi verbis perfici posset. Consequens videlicet fuisset ut et muti et moribundi loquela destituti a beneficio absolutionis sacramentalis exclusi essent. Verum ea ratio respondendi patitur instantiam, seu potius retorsionem quae jam explicanda est.

361. — **Arguunt** videlicet 5° ex fine quem in instituendo sacramento paenitentiae Christus spectavit. Argumentum est hujusmodi : Quia sacramentum baptismi datur in remissionem peccatorum, ideo voluit Christus ut illud sacramentum suscipere volentibus omni loco ac tempore facillimus ad illud pateret accessus. Proptereaque instituit ut illud ab hominibus omnis sexus omnisque professionis ac cultus valide administrari posset, Sed, sicut baptismus est necessarius ad consequendam remissionem peccati originalis et peccatorum ante baptismum admissorum, ita sacramentum paenitentiae est necessarium ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum. Ergo instituit etiam Christus ut omni loco ac tempore usus sacramenti paenitentiae volentibus illud sacramentum recipere quam facillime pateret. Hoc autem falsum foret, si vi institutionis Christi valida absolutionis sacramentalis collatio limitatae cuidam signorum speciei, nempe signis vocalibus, alligata esset. Supposito enim tali institutionis modo, contingeret multos fideles qui post baptismum peccaverunt, ab usu hujus sacramenti excludi. Et veritas hujus assertionis est manifesta; haud raro enim contingit ut vel propter persecutionem immaniter saevientem vel propter sacerdotum penuriam inde consequentem multi alicujus regionis fideles nonnisi per litteras vel internuntium cum sacerdotibus communicare possint. Ergo, spectato fine quem Christus in instituendo sacramento paenitentiae intendit, dicendum est ipsum validitatem sacramenti paenitentiae nullis determinatis signis alligasse.

362. — **Respondetur** *concedendo Majorem, sed negando Minorem,* quatenus per eam intenditur asseri sacramentum paenitentiae in re susceptum ejusdem esse necessitatis universalis atque baptismum. Est enim disparitas quoad hoc inter utrumque sacramentum. Baptismus enim est necessarius etiam infantibus, qui aliud remedium contra peccatum originale non habent; sacramentum vero paenitentiae est solummodo necessarium adultis, qui praeter illud remedium habent etiam remedium situm in actu contritionis perfectae.

363. — **Et si adhuc instetur** dicendo nihilominus verum manere fini propter quem institutum est sacramentum paenitentiae magis

congruere ut validitas absolutionis sacramentalis nulli determinato signo alligetur; **respondetur** *id simpliciter negando.* Quamvis enim propter definitum modum quo judicium sacramentale exercendum est, contingat nonnunquam aliquos a beneficio sacramenti paenitentiae excludi; multo tamen majora incommoda orirentur, si judicium illud sacramentale quovis modo exerceri posset. Cujusmodi incommodum esset, v. g. multo minor erubescentia quam parerent confessio facta absenti et absolutio recepta ab absente; inde videlicet fieret ut necessitas sua peccata subdendi tribunali paenitentiae minus efficaciter fideles revocaret a peccando.

334. — **Quaeres** quid facto opus esset, si forte contingeret hominem in statu peccati mortalis detentum, jam morti proximum esse, nec reperiri sacerdotem nisi unum tantummodo eumdemque mutum. Utrum in tali extremae necessitatis casu liceret moribundo sua peccata confiteri sacerdoti muto, is vero eum posset scripto vel nutu absolvere. — **Respondent** Hiquaeus, in IV, d. 14, q. 4, Poncius, ibid., d. 46, et Mastrius, de paenit., q. 12, a. 2, in tali casu id non fore inconsultum, immo tutius ; cum ex una parte graves theologi sentiant absolutionem quae scripto aut nutu paenitenti praesenti detur, esse validam nec hujus oppositum ab ecclesia sit definitum, ex altera vero parte, ubi in negotio salutis extrema urget necessitas, sacramentum necessitatis licite administrari possit, etiamsi dubium adsit de aliquo ad ejus validitatem requisito. Patereque id ex eo quod in casu necessitatis baptismus licite administretur, etiamsi valde dubitetur de valore materiae adhibitae vel de capacitate subjecti. Obligari tamen in tali casu moribundum a) ad eliciendum actum contritionis perfectae, quia medium certum non est deserendum pro medio probabilissime non profuturo, — et b) ad confitendum sua peccata sacerdoti non muto, quando hujus copiam habebit.

365. — **Secunda quaestio** est quaenam verba sint essentialia in consueta hac absolutionis forma : ego tè absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

366. — Tres sunt sententiae principales. Prima tenet non sufficere haec verba : *ego te absolvo,* sed ad essentiam absolutionis pertinere etiam verba mox sequentia : *a peccatis tuis.* Ita tenuit Paludanus, quem sequuntur nonnulli recentiores. Ratio hujus sententiae est duplex. Prima sumitur ex auctoritate conciliorum florentini et tridentini. Utrumque videlicet concilium, inquiunt, docet sacramenti paenitentiae formam in hisce ministri verbis positam esse : « *ego te absolvo et ceteris.* » Porro

addendo *et ceteris*, satis expresserunt patres essentiam formae non sufficienter salvari in solis hisce verbis : *ego te absolvo,* sed iis saltem addenda esse verba proxime sequentia : *a peccatis.* Ceterum hanc esse revera patrum tridentinorum mentem apertissime colligitur ex discrimine quod constituunt hi patres inter haec verba : *ego te absolvo, et cetera,* et formulas precatorias quae ante et post talia verba adhiberi consueverunt. Discrimen videlicet secundum patres situm est in eo quod formulae illae precatoriae « ad ipsius formae essentiam nequaquam spectant. » Quod discrimen non teneret, immo ineptissime induceretur, si in altero etiam distinctionis membro esset positum aliquid ad essentiam non pertinens.

Altera ratio pro praedicta sententia afferri solita sumitur ex eo quod haec verba : « *ego te absolvo* », si sumantur in sui praecisione a verbis mox sequentibus, sunt significationis confusae et indeterminatae. Sic porro proponi potest. Sacramenta novae legis efficiunt id quod significant et significant id quod efficiunt ; proindeque, si verba sacramenti formam continentia, quae sunt pars sacramenti distinctius et expressius significans, non significant effectum primarium sacramenti, non conficitur sacramentum novae legis. Sed haec verba : *ego te absolvo*, non significant effectum primarium sacramenti paenitentiae, qui est peccatorum remissio ; significatio enim horum verborum se habet indeterminate et indifferenter ad solutionem a quocumque vinculo, ita ut non magis significent solutionem a vinculo animam alligante quam solutionem a vinculo corporali, solutionem a peccatis quam solutionem ab excommunicatione vel a censuris vel ab alia poena quacumque. Ergo haec verba : *Ego te absolvo,* non sunt forma sacramenti paenitentiae, nisi quatenus eorum sensus determinatur verbis mox sequentibus : *a peccatis ;* proindeque haec posteriora verba sunt de essentia formae sacramenti paenitentiae.

367. — **Secunda sententia** asserit ad hoc ut salvetur essentia formae absolutoriae, oportere ad haec verba : *te absolvo*, aliquid addi antecedenter vel consequenter quod contineat invocationem divini nominis. Quia tamen institutione Christi non est determinatum qualis debeat esse ista appositio, ideo verba quibus exprimenda sit, relinqui in arbitrio sacerdotis. Et propterea vel dicendum esse : *auctoritate Dei* vel *auctoritate Christi te absolvo,* vel addenda esse in fine sive verba : *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* invocationem sanctissimae Trinitatis continentia, sive verba : *in nomine Christi,* continentia invocationem Christi. Tenet hanc sententiam Durandus, qui eam

probat ex eo quod in sacramento paenitentiae sacerdos non est nisi causa ministerialis absolutionis a peccatis. Ratio sic procedit. In forma cujuscumque sacramenti in qua, sicut in forma sacramenti paenitentiae, exprimitur actus ministri, necesse est etiam exprimi principale agens. Quod patet et ratione et inductione. *Ratione quidem,* quia actus non attribuitur ministro, sed principali agenti. Proprie enim loquendo, non instrumentum agit, sed causa principalis agit per instrumentum. Ex quo fit ut si alicujus sacramenti forma exprimatur solummodo actus ministri, significetur tali forma ministrum esse principale agens, et per consequens falsa reddetur significatio formae. *Inductione* vero patet assertum; quia in ceteris sacramentis in quorum forma exprimitur actus ministri, nempe in baptismo, confirmatione, ordine et extrema unctione, additur invocatio nominis Christi vel invocatio Trinitatis.

Atque hinc potest formari pro eadem sententia secunda ratio petita ex paritate quam, quantum attinet ad rem praesentem, necesse est obtinere inter formam baptismi et formam sacramenti paenitentiae. Tam enim forma sacramenti paenitentiae quam forma baptismi significat remissionem peccatorum. Sed in forma baptismi, quia causa principalis remissionis peccatorum est Deus, oportet ponere invocationem sanctissimae Trinitatis. Ergo etiam in forma sacramenti paenitentiae oportet ponere non quidem invocationem sanctissimae Trinitatis, sed vel hanc invocationem vel invocationem Dei aut Christi; uti enim supra dictum est, institutione divina non est ita determinatus modus invocationis divinae in hoc sacramento sicut in sacramento baptismi.

368. — Tertia denique sententia ponit sola haec verba praecise sumpta : *absolvo te*, esse essentialia in consueta absolutionis formula. Cur vero haec sententia non requirat etiam pronomen *ego* tamquam essentiale, ratio satis manifesta est; significatum enim hujus pronominis jam includitur in verbo : *absolvo*. Sicuti in hoc complexu verbali : *a peccatis tuis,* significatum possessivi *tuis* jam includitur in pronomine *te* quod praecesserat; quae causa est cur auctores qui verbalem peccatorum a quibus absolvitur paenitens, expressionem putant esse de essentia absolutionis, non addant hisce verbis: *absolvo te*, nisi haec verba : *a peccatis*.

Propositio II.

In consueta absolutionis sacramentalis formula sola verba essentialia sunt: absolvo te; proindeque statim atque haec verba a legitimo ministro cum debita intentione supra paenitentem rite dispositum pronuntiata sunt, resultat effectus sacramenti paenitentiae.

369. — Propositio est s. Thomae, Scoti et omnium ferme theologorum, ex quorum unanimi consensu efficitur ut sit habenda pro conclusione theologice certa.

Probatur porro **prima ejus pars** *ex eo quod verba haec : te absolvo, praecise sumpta, continent totam significationem quae propria est absolutionis sacramentalis.* Argumentum sic procedit. In iis verbis praecise sumptis consistit tota essentia absolutionis sacramentalis, quibus pronunciatis, sine hoc quod necesse sit aliquid ulterius accedere, *primo* ponitur significatio effectus proprii sacramenti paenitentiae. Atqui pronuntiatis hisce verbis: *absolvo te,* sine hoc quod necesse sit aliquid ulterius accedere, primo ponitur significatio proprii effectus sacramenti paenitentiae. Ergo in iis verbis: *absolvo te*, praecise sumptis, consistit tota essentia absolutionis sacramentalis.

Major patet, Minor vero sic probatur: Hisce verbis: *absolvo te,* significatur a) actus potestatis judiciariae directus ad reum tamquam ad terminum hujus actus, et consistens in ejus liberatione a vinculo aliquo. Impossibile est quippe, spectatis adjunctis in quibus haec verba proferuntur, iis significari physicam solutionem a vinculo aliquo corporali; exclusa autem tali significatione, necessario dicendum est praedicta verba accipi prouti sunt forensia eumque prae se ferunt sensum quem modo declaravimus. Ulterius b), cum generatim ex foro in quo haec verba proferuntur, tum speciatim ex confessione peccatorum quae ex parte rei ad quem eadem verba diriguntur, praecessit; necessario determinantur haec verba ad significandam solutionem rei a vinculo suorum peccatorum, sive, quod idem est, ad significandam horum peccatorum remissionem. Sed per hoc quod significatur remissio peccatorum judicialiter facta, plene significatur proprius effectus sacramenti paenitentiae. Ergo per hoc quod haec verba praecisa : *absolvo te*, pronuntiantur, ponitur signum plene significans proprium effectum sacramenti paenitentiae. Iisdem autem verbis complexive sumptis *primo* poni tale signum, manifestum est ex eo quod neutrum horum verborum tolli potest, quin illico significatio quae proxime explicata est, deficiat.

370. — **Secunda** vero **propositionis pars,** supposita veritate partis prioris, **est manifesta.** Quando enim causa in actu applicatur subjecto apto ad recipiendum ejus influxum, statim sequitur effectus, et quidem totaliter, quando effectus est instantaneus. Sed, uti colligitur ex probatione facta, modo tam ex parte sacerdotis quam ex parte paenitentis adsint omnes condictiones requisitae ad validitatem absolutionis, eo ipso quod pronuntiantur haec verba praecisa : *absolvo te*, ponitur causa sacramentalis in actu et applicatur haec causa subjecto apto. Ergo illico, antequam alia verba pronuntiantur, sequitur totaliter effectus ille sacramentalis instantaneus qui est remissio peccatorum.

371. — **Nec** *ad impugnandam hanc conclusionem* **juvat dicere** *cum Vasquez,* verbis hisce praecisis : *absolvo te,* poni quidem totam essentiam sacramenti ideoque, ipsis positis, illico sequi effectum sacramentalem, quotiens contingit ea sola adhiberi ; non tamen hoc verificari, quando adduntur a sacerdote absolvente haec verba in formula absolutionis sequentia : *a peccatis tuis.* Haec quippe verba non esse extranea significationi essentiali sacramenti : proptereaque, quotiens sacerdos absolvens intendit haec verba addere, ea esse de substantia sacramenti et concurrere cum praecedentibus verbis ad effectum sacramentalem, ita ut effectus ille sacramentalis tunc non sequatur, nisi postquam integra ea verba pronuntiata fuerint. — *Hoc non juvat dicere*, inquam ; male enim sibi cohaeret haec Vasquezii sententia. Etenim a) dummodo sacerdos, dum pronuntiat absolutionis verba, habeat veram intentionem absolvendi, non pendet ab ipso ut haec praecisa verba *absolvo te*, non constituant integram absolutionis essentiam, et propter hoc illico ex iis sequatur integer effectus sacramentalis, antequam alia iis verba addantur. Aut si illa praecisa verba non constituant in casu proposito integrum signum sacramentale, ergo sacerdos ea pronuntiavit sine respectu ad paenitentem antea sua peccata confessum ; quo posito, illa verba: *absolvo te,* jam nullo modo erunt sacramentalia, nihilque juvabit iis addere haec verba : *a peccatis tuis,* quandoquidem ex parte sacerdotis defuit debita intentio, cum priora verba pronuntiabat. Sane b) si vera esset sententia Vasquez, consequens foret posse suspendi effectum absolutionis, donec sacerdos innumera ferme verba synonyma alia aliis accumulaverit, dicendo v. g. a peccatis tuis, a delictis tuis, a transgressionibus tuis, ab offensis tuis, et ita porro. Non minus enim significatio istorum verborum : *a delictis tuis,* continetur in significatione horum verborum : *a peccatis tuis,* quam significatio horum verborum : *a peccatis tuis,* continetur in significatione horum verborum : *absolvo te ;*

quamobrem, si, hoc non obstante, propter intentionem sacerdotis volentis addere haec verba *a peccatis tuis*, non sequitur effectus sacramentalis, nisi postquam haec verba integre pronuntiata fuerint ; ergo etiam propter intentionem sacerdotis volentis addere haec alia verba : *a delictis tuis*, *a transgressionibus tuis*, et ita porro, non sequetur effectus sacramentalis, nisi postquam omnia ea verba pronuntiata fuerint, quod absurdum est. Et hinc patet c) confundi a Vasquezio *significatum* horum verborum : *a peccatis tuis,* cum ipsismet his verbis, prouti sunt significantia, h. e. cum significatione ipsorum. Nam *id quod significatur* his verbis, intrat quidem essentiale significatum signi sacramentalis, non tamen ipsamet haec verba intrant *significationem sacramentalem,* sive ipsum signum sacramentale. Et hoc propterea, quia, positis verbis e quorum complexu primo exsurgit significatio sacramentalis, quidquid postea additur est extra hanc essentialem significationem. Impossibile est quippe ut rei in sua essentia jam complete constitutae aliquid essentiale ulterius accedat.

372. — Superest ut respondeatur argumentis quae supra facta sunt pro duabus primis sententiis.

Ad primum argumentum quod fiebat pro prima sententia, **dicitur** *integram* formulam enuntiativam quae a sacerdote absolvente adhibetur, opponi a concilio integris formulis precatoriis quae formulae illi priori adjunguntur; in hoc porro stare discrimen quod prior illa formula contineat totam essentiam absolutionis, reliquae vero nihil contineant quod ad essentiam pertineat. Proindeque tunc solummodo, stante veritate sententiae quam defendimus, fore ut in priore distinctionis membro contineatur aliquid ad alterum distinctionis membrum pertinens, si formula absolutionis indicativa pluribus constaret formulis quarum una nihil contineret ad essentiam absolutionis pertinens. Non vero nostrae sententiae obstare quod in una illa ac simplici formula indicativa de qua loquitur concilium, quaedam verba praecise sumpta constituant totam essentiam absolutionis, cetera vero verba sint accessoria.

Ad secundum argumentum quod fiebat pro eadem sententia, **dicitur** modum quo solvendum sit, patere ex probatione facta pro prima propositionis parte.

373. — **Ad primum argumentum** quod fiebat pro secunda sententia, **dicitur** satis patere tum ex adjunctis, tum ex ipsa rei natura ministrum sacramenti paenitentiae non remittere peccata, nisi ministerialiter tantummodo. Et propterea ad veritatem sententiae absoluto-

riae minime requiri ut in ea fiat mentio causae principaliter remittentis peccata. Nec valere rationem ex inductione petitam, quando agitur de re quae tota quanta pendeat a libera institutoris Christi voluntate. Ceterum posse rationem assignari cur in forma absolutionis non, sicut in ceteris formis sacramentalibus in quibus exprimitur actus ministri, necesse sit fieri mentionem causae principalis. Id videlicet ex eo explicandum esse quod sola sacramenti paenitentiae forma consistat in sententia judiciali, ad veritatem quippe talis sententiae sufficere significationem exercitii potestatis judiciariae ministro competentis, non vero ad id insuper requiri ut exprimatur causa unde ad ministrum derivata sit talis potestas. Patereque id ex modo quo in societate politica judices inferiores sententiam ferunt.

374. — **Ad secundum argumentum dicitur** non tenere paritatem — tum quia Christus, docendo Matth. XXVIII quaenam sit baptismatis forma, expressit invocationem Trinitatis esse essentialem huic formae, nihil vero hujusmodi expressit, quando Matth. XVI, XVIII et Jo. XX, docuit quaenam sit forma sacramenti paenitentiae, — tum quia b) sacramentum paenitentiae, non vero baptismus, institutum est per modum judicii.

375. — **Tertia est quaestio** utrum ad validitatem absolutionis necesse sit adhibere formulam illam, *Ego absolvo te,* a concilio tridentino assignatam, an vero sufficiat usurpare sive hanc formulam sive aliam quamlibet ei aequipollentem. — **Respondendum est** validam fore absolutionem, dummodo verborum formula quae in ea danda adhibetur, eumdem fundat sensum atque formula absolutionis consueta. Ratio sic decernendi est quod, tametsi formula verborum a patribus tridentinis assignata, deprompta sit ex verbis quibus usus est Christus, cum Matth. XVI et XVIII potestatem clavium apostolis pollicitus est, aliis tamen verbis ipse Christus est usus, cum eamdem potestatem actu apostolis contulit. Hinc videlicet manifestum fit usum potestatis clavium nullis determinatis verbis a Christo alligatum esse. Quapropter valida erit absolutio sacramentalis, si in formula absolutoria usurpetur loco verbi *absolvere* verbum *remittere,* quo ipse Christus est usus in conferendo apostolis potestatem clavium ; item si loco ejusdem verbi usurpentur verba : *indulgere, condonare, dimittere,* et alia ejusdem sensus.

Nec difficultas oritur ex doctrina concilii tridentini reponentis sess. XIV, c. 3, formam absolutionis in hisce ministri verbis: *ego te absolvo.* Dicendum est videlicet hoc patrum tridentinorum assertum intellegendum esse non de verbis materialibus, sed de verbis formalibus, hoc est, de sensu quem fundunt verba materialia.

376. — **Quarta est quaestio** utrum absolutio sacramentalis, sine hoc quod reddatur invalida, possit dari sub condicione. Ad cujus solutionem sit

Propositio III.

Supposito adesse condiciones quae aliunde requiruntur ad validitatem absolutionis sacramentalis, valet absolutio data sub condicione de praeterito vel de praesenti, si condicio verificetur; non vero valet absolutio data sub condicione de futuro.

Est conclusio certa, uti satis patet ex praxi ecclesiae et ex consensu ferme unanimi theologorum.

377. — **Ratio primae partis** est quod, supposito adesse condiciones quae ex parte paenitentis ad validitatem absolutionis requiruntur, sufficit ad valorem absolutionis eam procedere a sacerdote, quatenus is per debitam intentionem potestatem clavium sibi commissam *efficaciter* applicavit ad agendum ; tali autem modo absolutio procedit a sacerdote, quotiens condicio quae absolutioni apponitur, est de praeterito vel de praesenti. Quippe in tali casu sacerdos habet intentionem applicandi potestatem ministerialem clavium sibi commissam, hac tantummodo condicione objectiva apposita, verificari videlicet talem vel talem eventum ad tempus sive praeteritum sive praesens pertinentem. Quia igitur haec condicio pro eo tempore quo sacerdos suam intentionem format, jam purificata est, ejus appositio non obstat *actuali applicationi potestatis clavium* ad absolutionem dandam, nec per consequens ea obstat absolutionis datae valori et efficaciae.

378. — **Ratio secundae partis** accipitur ex eo quod appositione condicionis de futuro excluditur a ministro sacramenti paenitentiae intentio requisita ad valorem absolutionis. Quod ita arguitur. Quando absolutio datur dependenter a condicione de futuro, intentio ministri proferentis verba absolutionis est ut haec verba non habeant rationem absolutionis sacramentalis jam inde a principio suae integrae prolationis, sed solummodo postquam purificata fuerit condicio illa de futuro a qua minister vult pendere absolutionem. Quia ergo non conficitur sacramentum aliquod, nisi minister sacramenti illud conficere intendat, impossibile est, quando absolutio datur sub condicione de futuro, ut verba absolutionis nanciscantur rationem absolutionis sacramentalis eo ipso tempore quo haec verba actu proferuntur a ministro. Ut ergo

valere posset absolutio data sub condicione de futuro, oporteret ut verbis hanc absolutionem continentibus adveniret ratio absolutionis sacramentalis, cum primum purificari coepit condicio de futuro quae absolutioni apposita fuerat. Hoc autem apparet esse impossibile, quia ex institutione Christi sacramentum est signum sensibile, et quia per consequens definitus ille ritus in verbis a sacerdote prolatis consistens qui solus ex institutione Christi potest habere rationem absolutionis, nequit incipere esse sacramentum nisi eo tempore quo adhuc physice exsistit per aliquid sui quod sit actu sensibile. Absolutio ergo quae sub condicione de futuro datur, neque cum actu profertur neque postea potest nancisci rationem absolutionis sacramentalis et per consequens talis absolutio est essentialiter invalida.

379. — **Dices :** Quando absolutio datur sub condicione de futuro quae revera verificanda sit, contingere potest ut non sit de intentione ministri suspendere in futurum absolutionis actum, sed solummodo effectum hujus actus. In tali igitur casu verba absolutionis jam inde a primo instanti suae integrae pronuntiationis nanciscentur rationem absolutionis sacramentalis et per consequens non in omni sensu verum est dicere absolutionem datam sub condicione de futuro esse invalidam.

380. — **Respondetur** etiam in casu modo memorato absolutionem esse essentialiter invalidam. Non enim est in potestate ministri sacramenti suspendere effectum sacramenti, quia ex institutione Christi sacramenta N. L., statim atque actu sunt, operantur suum effectum circa subjectum sacramenti, modo illud reperiant rite dispositum. Quapropter, quando intentio ministri fertur in absolutionem absolute quidem dandam, sed futuram dependentem quantum ad suum effectum a condicione de futuro, non conficitur sacramentum paenitentiae, quia vi praedictae intentionis apponitur confectioni hujus sacramenti condicio ejus essentiae repugnans. Sive, quod idem est, in tali casu intentio ministri non fertur in dandam absolutionem quae sit vere sacramentalis, quia talis non est absolutio cujus effectus suspendi possit. Concludendum est igitur quotienscumque et quoquo modo absolutio datur sub condicione de futuro, deficere in ministro intentionem requisitam ad valorem absolutionis.

381. — Sed contra vim probationis hactenus factae **ita arguitur.** Si, uti ea probatione concludi intenditur, ex natura rei est impossibile valere absolutionem datam sub condicione de futuro, oportet hanc impossibilitatem posse colligi vel ex eo quod absolutio habet rationem sententiae judicialis, vel ex eo quod habet rationem sacramenti. Sed

ex neutro capite praedicta impossibilitas colligitur. *Non a) ex eo quod absolutio habet rationem sententiae judicialis.* Nam in foro externo aliquando contingit ferri sententiam judicialem sub condicione de futuro, et tunc, ubi impleta fuerit condicio, sine hoc quod necesse sit novam proferri sententiam, fit prior illa sententia valida et suum consequitur effectum. Uti, si in foro ecclesiastico absolvatur aliquis a censuris sub condicione quod tale vel tale opus praestiturus sit, omnium consensu incipiet sententia illa esse efficax, quando praestitum fuerit opus dependenter a quo praestando talis absolutio fuit data. *Neque b) impossibilitas illa dandi valide absolutionem sub condicione de futuro potest colligi ex eo quod absolutio habet rationem sacramenti.* Nam etiam matrimonium christianum habet rationem sacramenti, nec tamen id obstat quominus inter christianos valide possit iniri matrimonium sub condicione de futuro. Et hoc patet: in matrimonio enim christiano ratio sacramenti sequitur rationem contractus; quocirca quidquid non obstat valori contractus matrimonialis, id neque obstat valori sacramenti matrimonii. Sed valori contractus matrimonialis non obstat quod matrimonium ineatur sub condicione de futuro; non enim quantum ad hoc est assignabilis ratio discriminis inter contractum matrimonialem et ceteros contractus quibus transfertur dominium alicujus rei, qui quidem ceteri contractus iniri possunt sub condicione de futuro valentque statim atque condicio de futuro purificata fuerit.

382. — **Respondetur** *negando Majorem et, concessa Minore quoad priorem ejus partem, ea vero transmissa quoad posteriorem ejus partem, negando simpliciter consequentiam.*

Ratio negandi Majorem duplex est. Nam a) in ea aliquatenus supponitur falsum. Probatione enim facta pro secunda parte propositionis supra enuntiatae propositum partim concludebatur ex eo quod vi institutionis Christi absolutio nequit dari nisi verbis proprie dictis a sacerdote prolatis. Non ergo intentum praedictae probationis erat concludere propositum ex natura rei; cum hoc enim quod absolutio simul est et sententia judicialis et sacramentum, stat potuisse institui a Christo ut ea signis quibuscumque perfici posset. Si tamen per naturam rei significari velit ipsa essentia absolutionis sacramentalis, qualis haec ex institutione Christi definienda est, sic verum est probationem a nobis factam ad ostendendum non valere absolutionem datam sub condicione de futuro, concludere propositum ex natura rei. Insuper b) in praedicta Majore insufficienter enuntiantur causae

propter quas ex natura rei aliquid disconvenire potest absolutioni sacramentali. Potest enim aliquid ex natura rei repugnare absolutioni sacramentali non solum quia repugnat rationi judicii vel quia repugnat rationi sacramenti, sed etiam quia repugnat rationi rei duas rationes praedictas in se complectentis, h. e. quia repugnat rationi judicii sacramentalis. Immo si nomine *naturae rei* velimus intellegere in re praesenti determinatam illam essentiam quam ex institutione Christi habet absolutio sacramentalis, ex natura rei repugnabit absolutioni sacramentali quidquid repugnat ejus essentiae.

383. — His porro suppositis, facile est ostendere posse concedi vel transmitti totum id quod asseritur in Minore argumenti facti, nec tamen exinde infirmari vim probationis factae ad ostendendum non valere absolutionem datam sub condicione de futuro.

Sane a) omnino concedimus, quantum est praecise ex vi sententiae judiciariae, nihil obstare quominus in foro externo, sive civili sive ecclesiastico, judex ferat sententiam sub condicione de futuro quae, purificata condicione, incipiat esse absoluta et efficax. Non enim est de ratione sententiae judiciariae ut per aliquid sui sensibile adhuc physice exsistat, quando incipit esse vera et efficax sententia. Hoc tamen est de ratione sententiae judiciariae quae sit sacramentum, et propterea, licet contingere possit ut, purificata condicione, valeat sententia absolutionis sub condicione de futuro lata in foro externo, non tamen, purificata condicione, valere potest sententia absolutionis sub condicione de futuro lata in foro interno.

Itidem b) etiamsi ut vera approbanda esset sententia asserens posse valide iniri matrimonium per consensum praestitum sub condicione de futuro, nihil tamen id officeret efficaciae probationis factae ad ostendendum non posse valide dari absolutionem sub condicione de futuro. Est enim differentia inter matrimonium et absolutionem quantum ad signum sensibile cui oportet adnecti significationem sacramentalem. In matrimonio scilicet, utpote sequente rationem contractus, tale signum sensibile possunt esse signa quaecumque quae sufficienter sint expressiva consensus. Contra, in absolutione vi positivae ordinationis Christi tale signum sensibile non possunt esse nisi verba proprie dicta a sacerdote prolata. Ex hac autem prima differentia sequitur altera. Quia videlicet in matrimonio consensus potest exprimi signis quibuscumque, idcirco, postquam datus est consensus sub condicione de futuro, potest ille consensus, ut est exterius expressus, quadantenus sensibiliter permanere ratione variorum signorum ostendentium con-

sensum non esse revocatum. In ipsoque instanti in quo purificatur condicio de futuro sub qua praestitus fuerat consensus, consensus ut exterius expressus, per aliquid sui sensibile physice exsistit, hoc videlicet sensibile est ipse eventus condicionis de futuro qui ex pacto assumptus fuerat in signum completi et consummati consensus. Contra, quia ex institutione Christi signum sensibile absolutionis a peccatis non possunt esse nisi verba proprie dicta, idcirco, postquam data est absolutio sub condicione de futuro, impossibile est hanc absolutionem per aliquid sui sensibile physice permanere. Et hinc tandem fit ut, quando purificatur condicio de futuro sub qua initum fuerat matrimonium, matrimonium incipiat valere tum in ratione contractus tum in ratione sacramenti, dum contra, quando purificatur condicio de futuro sub quo data fuerat absolutio, absolutio manet invalida.

384. — Superest ut solvatur molestum dubium quod ratione prioris propositionis partis moveri posset. Interrogaverit scilicet aliquis sitne valida absolutio sacramentalis *quae conferatur sub condicione quae sit quidem de praesenti,* ad quam tamen, attento ordine consequentiae, praesupponatur quadantenus eventus futurus. Distinguendum esse videtur. Aut enim condicio illa de praesenti ad quam qualitercumque praesupponitur eventus adhuc futurus, est actus aliquis divinus, prouti vel immanenter attingit vel ad extra manifestat eventum futurum, aut ea condicio est ipsa aeterna veritas eventus futuri. Si est actus divinus, nempe vel praescientia divina vel revelatio aut praedictio divinitus facta, dicendum est absolutionem sub tali condicione prolatam esse validam. Sic valebit v. g. absolutio, si sic efferatur : Si Deus vere praedixit Antichristum esse venturum, te absolvo ; vel : Si Deus praescit te tali tempore hoc vel illud esse facturum, te absolvo. Absolutio tamen cui tamquam condicio apponeretur praescientia divina alicujus futuri contingentis non revelati, esset graviter illicita, non solum quia condicio esset de re impertinente ad sacramentum paenitentiae, sed vel maxime quia propter appositam condicionem incertum redderetur paenitenti utrum revera sit absolutus. — Si vero condicio illa de praesenti sit ipsa veritas eventus futuri, adhuc multiplici distinctione est opus. Vel enim a) absolvens, cum veritate talis eventus condicionat absolutionem a se datam, intendit loqui de veritate quam futurum aliquod necessarium habet in suis causis necessariis, et tunc valet absolutio ; quia condicio est vere de praesenti. In tali quippe casu perinde est ac si diceret absolvens : si adsunt causae ex quibus talis

effectus, puta ortus solis die crastina, orietur, te absolvo. Vel b) absolvens intendit condicionare absolutionem veritate quam respectu mentis humanae futura sive necessaria sive contingentia habent in seipsis. Et tunc dicendum esse videtur non valere absolutionem ; quia condicio apposita non est de praesenti, sed de futuro. Quippe respectu mentis humanae eventus futuri sive necessarii sint, sive liberi, non habent veritatem in seipsis, quamdiu actu non exsistunt. Vel denique c) absolvens intendit condicionare absolutionem veritate quam respectu mentis divinae habent futura sive necessaria sive contingentia, quodcumque sit demum hujus veritatis fundamentum. Et tunc dicendum esse videtur valere absolutionem ; quia condicio ei apposita est vere condicio de praesenti. Plerumque tamen erit absolutio quae eo modo sit condicionata, graviter illicita propter rationes quas jam supra assignavimus.

Restat solvenda quinta quaestio, quae non est nisi casus particularis tertiae quaestionis quae supra soluta est. De hoc in capite sequenti.

CAPUT VIII.

De validitate formulae absolutionis deprecatoriae.

385. — *Oratio* sive *phrasis* dicitur omnis vox vocumve complexio quae completum sensum prae se fert. Dividiturque in orationem simplicem et orationem complexam. Oratio simplex est ea qua aliquid, prouti substat actui intellectus vel voluntatis, attribuitur alteri. Hinc omnis oratio essentialiter complectitur tria, scilicet a) subjectum b) attributum et c) copulam, quae est significativa *actus animi subjectum cum attributo conjungentis.*

Pars maxime essentialis orationis est copula ; ea quippe sui parte distinguitur oratio ab omnibus sive vocibus sive vocum complexibus incomplete significantibus. Omnis porro copula exprimitur verbo antonomastice sumpto pro parte aliqua determinata orationis. Et quidem aliquando verbo significatur sola copula, aliquando vero eodem significatur copula sumpta in sui complexione *cum attributo.*

386. — Porro secundum quod diversificatur actus ille animi attributum cum subjecto connectens qui significatur copula, diversae enascuntur orationum species, quibus saepe respondent, in linguis antiquioribus praesertim, diversae illae verborum inclinationes quas

verborum modos grammatici vocant. Et quidem a) si actus ille attributum cum subjecto connectens, sit judicium aliquod intellectus, enascitur oratio quam vocant indicativam sive enuntiativam cuique respondet *modus* verbi *indicativus*. Propterea autem talis oratio dicitur *indicativa*, quia objectum intellectus judicantis sunt *res, prout sunt in seipsis :* inde videlicet fit ut oratione qua judicium mentis exprimitur, intendatur *indicari* sive *demonstrari* id quod *est* vel *non est,* sive in ordine essentiarum sive in ordine exsistentiarum. Hinc est quod attributum orationis enuntiativae sumit sibi nomen praedicati, quodque nonnisi hujusmodi orationi inest veritas vel falsitas objectiva. Et quia in processu scientiali, quo verum inquiritur, non possunt esse usui nisi orationes enuntiativae ; logica porro, tamquam universale scientiarum instrumentum, negotiatur circa processus scientialis veritatem formalem, praescindendo ab omni hujus processus determinata materia ; idcirco de sola oratione enuntiativa logica regulas tradit.

387. — Si vero b) actus ille animi qui significatur copula inter se connectente attributum cum subjecto, sit dubitatio intellectus, enascitur *oratio interrogativa*. Cui nulla respondet particularis verbi inclinatio sive modus : significatur nempe peculiaris ratio talis orationis vel appositis particulis quibusdam, quas *interrogativas* vocant, vel vocum orationem constituentium ordine atque textura. Ceterum oratio interrogativa, eo ipso quod significat actum intellectus, aliquid participat de natura judicii. Quamvis enim oratione interrogativa neque affirmetur neque etiam negetur nexus aliquis objectivus inter subjectum et attributum exsistens ; interrogat tamen haec oratio de exsistentia talis nexus.

388. — Si denique c) actus ille animi qui significatur copula connectente attributum cum subjecto orationis, sit affectus aliquis voluntatis, duplex casus oriri potest. Quia enim objectum voluntatis est bonum, bonum autem potest esse vel praesens vel absens ; idcirco potest affectus voluntatis ferri in res, vel prouti sunt revera in rerum natura, vel prouti non sunt in rerum natura. Si prius accidat, tunc oratio significans affectum voluntatis est vel a) *oratio admirativa,* vel b) *oratio exclamativa*. Quae orationis species proxime accedunt ad orationem enuntiativam. Quippe in earum significatu revera includitur judicium, eo quod nexus quo in iis subjectum et attributum inter se copulantur, *primario constituitur* per intellectum judicantem de rebus quales in se sunt. Estque haec ratio cur etiam eae orationum species non discernantur a ceteris, peculiaribus quibusdam modis sive inclinationibus verbi, sed vel particulis quibusdam orationi insertis vel

ipsius phraseos textura. Uti cum dicimus : quam pulcher est ! o me felicem !

Si vero posterior ex duobus casibus supra notatis interveniat, tunc vere et proprie nexus quo subjectum et attributum orationis inter se junguntur, constituitur affectu voluntatis. Versaturque tunc is affectus circa res non exsistentes vel prouti sunt mere concupiscibiles, vel prouti sunt insuper factibiles ab eo ad quem dirigitur sermo. Si prius horum accidat, oratio affectum animi exprimens est *oratio optativa,* cui respondet peculiaris ille verbi modus quem *optativum* grammatici vocant. Si posterius accidat, oratio affectum animi exprimens, prouti dirigitur vel ad inferiorem, vel ad aequalem, vel ad superiorem, est vel a) oratio *imperativa,* vel b) oratio *exhortativa,* vel c) oratio *deprecativa.* Orationi imperativae et orationi deprecativae respondent peculiares illi verborum modi quos vocant *imperativum* et *deprecativum,* oratio vero exhortativa, quae quadantenus mediat inter duas alias, indifferenter notatur sive modo verbi imperativo sive modo verbi deprecativo. Ceterum hi modi sunt usus admodum promiscui, ita ut quae oratio quoad inclinationem grammaticalem est imperativa, quoad sensum saepe sit deprecativa, et ut vicissim quae oratio quoad inclinationem grammaticalem est deprecativa, quoad sensum saepe sit imperativa.

389. — Octo orationis speciebus hactenus recensitis addunt grammatici nonam, nempe orationem *vocativam*, cui illud est peculiare quod solo nomine substantivo exprimitur. Haec tamen oratio non constituit peculiarem orationis speciem nisi secundum considerationem pure grammaticalem ; quoad sensum enim est vel imperativa, vel exhortativa vel deprecativa.

Notandum est etiam identidem accidere ut oratio quae modo imperativo effertur, quoad sensum sit pure indicativa. Uti si rex dicat alicui in custodia detento : *sis liber;* non exprimitur tali oratione aliquid quod mere concupiscitur a rege, multoque minus aliquid quod ab eo quem rex alloquitur, sit factibile. Sed intenditur ea oratione *indicari* actualis hominis carcere detenti assertio in libertatem potestate regis facta.

390. — Ad intellegentiam quaestionis quam jam propositurus sumus, maxime pertinet consideratio orationis indicativae et orationis deprecativae.

Quaeritur videlicet utrum ad validitatem absolutionis sacramentalis requiratur ut ea efferatur formula verborum indicativa, an vero valeat

absolutio, sive efferatur formula verborum indicativa, sive formula verborum deprecativa. Quae sane quaestio, independenter ab omni varietate exsistente in modo dandi absolutionem sacramentalem, tractari posset ac deberet. Praecipua tamen ratio cur a theologis instituatur, est discrepantia quae, quantum attinet ad rem de qua quaeritur, obtinet inter usum ecclesiae latinae et usum sectarum orientalium schismate ab ecclesia separatarum. Latini videlicet utuntur sola forma absolutionis indicativa, orientales vero ac praesertim graeci, passim adhibent in administrando sacramento paenitentiae formulam verborum deprecativam.

391. — Apprime autem necesse est statum quaestionis aliquanto pressius definiri.

Notandum est itaque ad validitatem cujuscumque sacramenti ea solummodo requiri quae vel constituunt ipsam essentiam sacramenti vel sine quibus impossibile est perfici essentiam sacramenti. Manifestum est autem in re praesenti non quaeri de aliquo quod sit tantummodo de necessitate sacramenti; quaeritur enim de absolutione sacramentali secundum se spectata, quae est identice vel pars essentialis vel tota essentia sacramenti paenitentiae. Quapropter quaestio modo proposita eo reducitur ut quaeratur an de essentia sit absolutionis sacramentalis eam efferri formula verborum indicativa. Et quidem nomine formulae verborum indicativae determinate intellegitur in hac quaestione oratio enuntians *actualem usum potestatis judiciariae in ordine ad remissionem peccatorum de praesenti praestitam.*

392. — Manifestum est autem ex variis fidei capitibus quae hactenus stabilita sunt, quaestionem sic determinatam esse aliquo sensu affirmative solvendam. Sive, quod idem est, ex iis fidei capitibus quae de absolutione sacramentali hactenus asserta sunt, manifestum redditur non posse esse validam absolutionem sacramentalem quae formula verborum deprecativa efferatur, nisi haec formula aequipolleat formulae verborum indicativae id omne edicenti quod capite superiore explicavimus, et nisi per consequens eadem formula, quamvis secundum considerationem grammaticalem sit pure deprecativa, secundum suum sensum tamen sit partialiter indicativa. Quippe 1) de fide est, uti antea demonstravimus, absolutionem sacramentalem per modum sententiae vere ac proprie judiciariae efferendam esse. Non continet autem formula aliqua verborum sententiam vere judiciariam nisi per eam significetur et a) potestas judiciaria in pronuntiante verba exsistens, et b) actualis hujus potestatis usus, et c) actualis effectus

qui hoc usu causatur. Itidem 2) concilium tridentinum in sess. sua XIV, cap. 3, de essentia absolutionis tractans, ita perhibet : « Docet praeterea sancta synodus sacramenti paenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *ego te absolvo* etc.. Quibus quidem de ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur ; *ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant,* neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae. » Inde porro dupliciter concluditur propositum. Nempe a) uti capite proxime praecedente ostensum est, licet, cum concilium decernit absolutionis formam sitam esse in his verbis : « *ego te absolvo,* » haec ejus doctrina non sit intellegenda de verbis materialibus, est tamen necessario intellegenda de verbis formalibus, ita ut vi talis doctrinae dicendum sit ad valorem absolutionis necesse esse adhiberi vel formulam verborum a concilio propositam vel aliam formulam aequipollentem. Jam vero formulae illi tridentinae, quae est indicativa, nullo modo aequipollet formula verborum pure et omnimodis precatoria ; quippe quae nullo modo redderet eum sensum qui priori formulae inest. Ceterum b) in loco citato concilium prorsus excludit ab essentia absolutionis preces, quae consuetae formulae adduntur. Sed si ad validitatem absolutionis sufficerent formulae pure precatoriae, falso praedictae preces ab essentia absolutionis excluderentur ; stante quippe tali hypothesi, hae preces, non minus quam formula absolutionis indicativa, continerent se solis totam absolutionis essentiam.

393. — Illud proinde solummodo hic in controversiam adduci potest, utrum videlicet a) quaedam absolutionis formulae quae secundum considerationem grammaticalem sunt deprecativae, possint quoad sensum esse partialiter enuntiativae atque eatenus formulae absolutionis tridentinae aequipollere, et b) quaenam sint illae absolutionis formulae, et c) utrum in censu harum formularum habendae sint formulae absolutionis quae graecis schismaticis sunt in usu. Ut quaenam sit verior quaestionis sic definitae solutio indagari possit, duo jam animadvertenda sunt.

394. — *Primum est,* si ad meram formam grammaticalem spectes, non de duorum tantummodo, uti hactenus supposuimus, sed de quattuor modorum absolutionem efferendi vi ac validitate quaestionem moveri. Quae enim circumferuntur absolutionis formulae, aliae, quantum attinet ad considerationem grammaticalem, sunt indicativae, aliae imperativae, aliae deprecativae, aliae optativae. Manifestissimum est tamen a) absolutionis formulas quae in modo imperativo efferuntur, esse ad sensum

quod attinet, vel indicativas, si dirigantur ad paenitentem, vel deprecativas, si dirigantur ad Deum. Etenim non potest verum imperium dirigi ad Deum, quippe qui omnibus dominetur nullique subjaceat. Neque etiam potest in re de qua modo agitur, dirigi imperium ad ipsum paenitentem, quippe qui ad effectum sacramentalem remissionis peccatorum active concurrere non possit. Quamobrem hae absolutionis formulae : *Deus, ei indulge, ei condona, eum absolve,* sunt, ad sensum quod attinet, accensendae formulis absolutionis deprecatoriis ; hae vero aliae absolutionis formulae : *absolvere a me, absolvere a Deo,* sunt quoad sensum quem fundunt, adnumerandae formulis absolutionis indicativis.

Itidem b) tum generatim ex communi usu loquendi, tum speciatim ex consuetudine ecclesiae perspicuum est formulas hasce : *indulgeat tibi Deus, absolvat te Deus,* atque aliae ejusdem modi, quamvis secundum considerationem grammaticalem sint optativae, ad sensum tamen quod attinet, esse deprecativas. Nempe, tametsi ejusmodi loquendi formulae, si ad solas regulas grammaticae attendas, non contineant nisi votum aliquod, ex omnium tamen hominum usu ipsae intelleguntur esse preces ad Deum directae.

395. — *Secundo* notandum est nihil differre, ad sensum quod attinet, utrum absolutio exprimatur per modum actionis, dicendo, v. g. *absolvo te,* an vero exprimatur per modum passionis, dicendo v. g. *absolveris a me.* Solum videlicet discrimen inter duas hasce formulas stat in hoc quod in priore formula causa absolutionis significatur in recto, subjectum vero absolutionis in obliquo ; in posteriore vero casu subjectum absolutionis significatur in recto, causa vero absolutionis in obliquo. Quod si in formula absolutionis fiat mentio tam causae principalis quam causae ministerialis, perinde etiam erit utrum causa ministerialis ponatur in recto, causa vero principalis in obliquo, an contra, causa principalis ponatur in recto, causa vero ministerialis in obliquo ; vel, si utraque causa in obliquo ponatur, utrum causa principalis an causa instrumentalis propinquius ponatur in obliquo. Unde hae verborum formulae ejusdem prorsus sunt potestatis : *ego te absolvo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ; Deus per ministerium meum te absolvit ; absolveris a Deo per ministerium meum.*

396. — His praesuppositis, jam facile erit secernere eas absolutionis formulas de quarum valore nemo unus theologus addubitat, ab iis de quarum validitate ambigitur.

Omnium videlicet consensu a) valet absolutio quae cum consignifica-

tione temporis praesentis effertur in forma enuntiativa vel in forma imperativa ad paenitentem directa, dummodo in ea fiat expressa mentio causae ministerialis, sive demum in ea fiat etiam mentio causae principalis, idque sive in recto, sive in obliquo, sive in ea mentio hujus causae prorsus omittatur.

At vero b) si absolutio efferatur quidem in modo indicativo vel in modo imperativo ad paenitentem directo, sed cum adsignificatione temporis futuri, sive demum sola causa instrumentalis, sive causa principalis peraeque atque causa instrumentalis, sive, ut in eo casu fieri assolet, sola causa principalis exprimatur, admodum dubitabilis est valor absolutionis datae. Et ratio dubitandi est quod sacramenta novae legis, quantum est per se, efficiunt de praesenti, cum ergo ipsa efficiunt id quod significant, oportet ut significent gratiam tamquam conferendam de praesenti, non vero tamquam conferendam de futuro tantummodo. Sic admodum saltem dubia esset ea absolvendi formula : « Deus tibi condonabit omnia quae modo mihi recensuisti. »

Si vero c) absolutio efferatur in modo deprecativo (vel in modo optativo) cum adsignificatione temporis praesentis, manifestum est semper in ea fieri mentionem causae principalis, mentionem vero causae instrumentalis aut in ea prorsus omitti aut non posse in ea poni nisi in obliquo. Et de omnibus ejusmodi formulis est dubitatio, quia neque usus potestatis ministerialis neque effectus remissionis peccatorum significatur in iis *tamquam de praesenti praestitus et tamquam necessario consequens ex pronuntiatione verborum absolutionis.*

397. — Porro, quod attinet ad absolutionis formulas quae vel antiquitus in usu fuerunt apud graecos vel hodiedum ab iisdem usurpantur, haec praecipue notanda sunt.

a) In uno alterove ex libris paenitentialibus quos antiquitas ad nos transmisit, occurrit formula absolutionis indicativa inter multas formulas deprecativas. — Versus a. 1580 graeci schismatici qui Venetiis degebant, interrogati a cardinali Claudio Guisano de formula absolutionis ab ipsis adhiberi solita, responderunt eorum sacerdotes eos qui deliquerunt, absolvere *hujusmodi quadam oratione : benignissimus Deus tibi haec omnia condonabit quae modo coram ipso indignitati meae recensuisti.* Arcadius, vir graecus, romanae ecclesiae addictissimus, testatur in sua Concordia ecclesiae occidentalis et orientalis sacerdotem ruthenum sibi narrasse a nonnullis suae gentis sacerdotibus hanc adhiberi absolutionis formulam : ἔχω σε συγκεχωρημένον : habeo te absolutum (condonatum). Hancque esse absolutionis formulam tradit etiam

Gabriel, episcopus Philadelphiae, qui saeculo XVII scripsit et Venetiis inter Latinos enutritus fuerat.

b) In plerisque vero libris paenitentialibus ac nominatim in paenitentiali Joannis jejunatoris, patriarchae cpolitani, qui versus finem saeculi VI floruit, non occurrunt nisi formulae deprecativae. Ipse Arcudius testis est in euchologiis quae suo tempore sacerdotibus graecis in usu erant, nullam se deprehendisse formulam absolutionis quae non esset deprecativa. Fateturque ibidem a plerisque sacerdotibus graecis nonnisi hasce formulas adhiberi. Sunt autem hae formulae usitatiores: « Deus tibi indulgeat, » « Deus te absolvat, » « Deus remitte, dimitte, condona peccata huic servo tuo, » «Deus te absolvat per ministerium meum. »

Porro de valore harum aliarumque his similium formularum sunt tres inter theologos sententiae.

398. — Prima asserit nulli prorsus formulae deprecatoriae posse inesse sensum indicativum, proptereaque non valere absolutionem quae in modo deprecativo efferatur. Ratio auctorum sic statuentium est quod sacerdos, utendo formula verborum deprecativa, non ostendit remissionem peccatorum de praesenti fieri, sed petit a Deo ut fiat. Nec dici potest, inquiunt hi auctores, orationi precatoriae, propter hoc quod in ea fit mentio causae ministerialis, accedere vim indicativam, ita ut, quoad sensum quem facit talis oratio, non sit pure precatoria, sed mixta ex oratione deprecatoria et oratione enuntiativa. Hoc dici nequit, inquiunt; quia, sicut sacerdos, utendo oratione deprecatoria, non significat remissionem peccatorum fieri de praesenti, ita neque significat se actu uti sua potestate ministeriali. Dicendo quippe peccatori : Deus tibi per meum ministerium indulgeat, sacerdos petit tantummodo a Deo ut suo ministerio utatur.

Defendunt hanc sententiam S. Thomas, in opusc. XXII et in Sent. III, d. 84, a. 3, Scotus, in IV, d. 14, et post eos pars longe major scholasticorum tam antiquiorum quam recentiorum. Eam ut *probabiliorem* habet Estius, in Sent. IV, d. 15. *Probabilissimam* eam pronuntiat Arcudius, in libro De concordia ecclesiae occidentalis cum orientali. Qui tamen, utrum, ita decernendo, veram animi sui sententiam proponat, admodum est dubitabile. Nam principio suae de praesenti argumento tractationis videtur insinuare se potius quid latinis theologis quos consuluerat, visum sit, referre, quam quid ipse sentiat, aperire. Deinde fatetur unum ex argumentis quae fiunt pro parte adversa esse molestissimum. Tum refellit omnia ferme argumenta quibus s. Thomas utitur ad evincendam

necessitatem formae indicativae. Postremo eo usque progreditur ut non solum asserat per se non repugnare ut sententia judicialis deprecative efferatur, sed concedat etiam, si usu alicujus regionis sententiae judiciales in foro externo formulis deprecativis proferrentur, fore ut in tali regione valida esset absolutio quae oratione deprecatoria conciperetur.

399. — Secunda sententia affirmat absolutionem valere, si conferatur formulis verborum deprecatoriis in quibus fiat expressio causae ministerialis, eam vero non valere, si conferatur formulis verborum deprecatoriis, quae non contineant nisi nominationem solius causae principalis. Fundamentum auctorum sic opinantium est quod formulae prioris generis, propter factam in iis mentionem potestatis clavium, sint quoad sensum indicativae remissionis peccatorum ministerialiter factae, idem vero dici non possit de formulis posterioris generis, sed hae etiam quoad sensum pure sint precatoriae.

400. — Tertia denique sententia generatim affirmat valere absolutionem quae in modo deprecativo proferatur, sive demum in absolutione ea deprecatoria fiat mentio causae ministerialis, sive mentio hujus causae omittatur.

Secundum hanc itaque sententiam nullae ex iis formulis verborum deprecatoriis quae ad praesentem considerationem pertinent, sunt pure deprecatoriae, sed omnes, quoad sensum quem menti ingerunt, sunt mixtae ex oratione deprecatoria et oratione enuntiativa. Inter quas tamen auctores ita decernentes illud discrimen agnoscunt, quod quaedam earum, etiamsi verba quibus concipiuntur, praecise et per se expendas, sunt quoad sensum quem fundunt, mixtae ex orationibus deprecativa et enuntiativa, aliae vero, quantum est praecise per verba quibus concipiuntur, non habent nisi sensum deprecatorium, at ex adjunctis in quibus ea verba proferuntur, determinantur nihilominus ad ingerendum menti sensum indicativum.

Citantur pro hac sententia ex antiquioribus doctoribus qui ante aetatem s. Thomae floruerunt, Petrus cantor (a. 1200), Gulielmus altisiodorensis, Gulielmus parisiensis, et Hugo cardinalis. Quorum tres posteriores allegat pro se auctor ille ignotus contra quem s. Thomas scripsit opusculum suum XXII. Nec s. Thomas ad hanc ejus allegationem aliter respondet quam dicendo de horum doctorum sententia sibi non satis constare. — Post tempora vero divi Thomae eamdem sententiam suis suffragiis approbarunt Hervaeus, vir ceteroquin doctrinis s. Thomae addictissimus, Franciscus Mayronis, ex ordine minoritarum, et Aureo-

lus. — Inde denique a seculo XVI ei adstipulati sunt Dominicus Soto, in IV, d. 3, q. unica, a. 5, Vivaldus in candelabri aurei I[a] parte, titulo II, Andreas Croquetius, Benedictinus, in catechesibus quas edidit, Matthaeus Gallenus, Hugo Menardus in notis ad sacramentarium s. Gregorii, ac praesertim Johannes Morinus qui totum ferme librum VIII sui operis huic causae defendendae impendit.

Propositio.

Non videtur deneganda solida probabilitas sententiae asserenti formulas verborum precatorias quae a graecis presbyteris in danda absolutione adhiberi consueverunt, mutuari sive a mentione causae ministerialis ipsis inserta, sive ab adjunctis in quibus proferuntur, vim indicativam, ratione cujus aequipolleant formulae absolutionis tridentinae, proptereaque valere absolutionem verbis hisce precatoriis conceptam.

401. — **Argumentum primum** sumitur *ex legibus secundum quas ex institutione atque usu hominum de sensu alicujus orationis judicandum est.* Argumentum est hujusmodi. Secundum leges omnium hominum usu sancitas, ad hoc ut oratio specietenus simplex atque in modo deprecativo prolata, sit revera oratio composita ex deprecatoria et indicativa, sufficit ut *vel* a) orationi sint insertae voces quaedam, quae exponi exigant per orationem indicativam, *vel* b) oratio ad sensum indicativum determinetur ex adjunctis sermonis. Atqui formulae absolutionis deprecatoriae quae graecis presbyteris sunt in usu, vel a) sibi insertas habent voces quasdam quae exponi exigunt per orationem indicativam, vel b) ad sensum indicativum determinantur ex adjunctis in quibus proferuntur. Ergo formulae illae absolutionis deprecatoriae quae in ecclesia graeca usurpantur, licet specietenus sint pure deprecatoriae, revera sunt compositae ex oratione deprecatoria et oratione indicativa.

Major est satis manifesta, probatio vero Minoris sic procedit. 1° In formula : « Deus te absolvat per ministerium meum, » atque in aliis in quibus exprimitur causa ministerialis, hae voces : *per ministerium meum,* vel aliae voces ejusdem sensus, exigunt exponi per propositionem enuntiativam prorsus aequipollentem formulae absolutionis a concilio tridentino propositae. Quippe a) cum generatim propter adjuncta fori interni, tum speciatim propter verba quae presbyteri graeci facere solent priusquam formulam absolutionis pronuntiant, impossibile est haec verba : *per ministerium meum,* intellegi ac si iis peteretur sive potestas

ministerialis absolvendi a peccatis sive applicatio hujus potestatis ad agendum. Quippe presbyteri graeci, priusquam confessionem peccatoris ad se accedentis excipiant, eum admonent in se transiisse potestatem remittendi ac retinendi peccata quam Christus apostolis Jo. XX, 21, contulit. Cum vero post auditam confessionem jam ad Deum verba precatoria faciunt, rursum injiciunt mentionem potestatis sibi a Deo factae condonandorum peccatorum. Hanc porro potestatem non a Deo, sed ab ipso ministro esse applicandam ad agendum, intellegitur ex eo quod in ejusdem exercitio minister non se habet per modum instrumenti inanimis, sed per modum instrumenti animati atque liberi. Quia ergo haec verba *per ministerium meum* non possunt referri ad petitionem ad Deum directam, restat b) ut presbyteri graeci iis utentes intendant significare se actu applicare atque exercere potestatem ministerialem condonandi peccata sibi a Deo commissam. Ita ut formula illa precatoria de qua modo agitur, atque aliae ei consimiles eum demum reddant sensum : ego quidem, pro potestate ministeriali mihi commissa, remitto peccata hujus peccatoris ; tu vero, Deus, memor promissionis a Christo factae, meam sententiam ratam habeas, remittens in caelis ea peccata quae ego remitto in terris.

2° Hae formulae deprecativae : « Deus te absolvat, » « Deus tibi indulgeat, » atque aliae iisdem similes, licet, si vis earum non expendatur nisi ex parte verborum e quibus constant, dicendae sint esse pure deprecatoriae, determinantur tamen ratione adjunctorum in quibus proferuntur, ad fundendum sensum indicativum. Nempe — tum a) ratione confessionis a paenitente factae, quae praemissa fuerat in ordine ad formandum judicium, — tum b) ratione verborum quibus praefatus fuerat sacerdos se, prouti ei commissa est potestas condonandorum peccatorum, confessionem paenitentis excipere, necessario determinantur praedictae absolvendi formulae ad hunc sensum : Deus te absolvat per ministerium meum, Deus tibi indulgeat per ministerium meum. Formulis porro quae hujusce sint sensus, inesse vim indicativam ratione cujus aequivaleant formulae a patribus tridentinis propositae, proxime conclusum est argumentatione facta pro prima parte Minoris.

402. — Ceterum vis hujus conclusionis multiplici ratione confirmatur.

Etenim a) uti in superiore tractatione dicebamus, formula haec verborum indicativa : « ego te absolvo, » quantum est per se solam, est indifferens ad significandam solutionem a vinculo peccatorum vel

solutionem ab alio vinculo quocumque. Nihilominus secundum ipsos adversarios haec verba, ratione adjunctorum in quibus proferuntur, determinantur ad significandam absolutionem a peccatis. Quidni igitur haec verba : « Deus tibi indulgeat, » quae et ipsa sunt per se indifferentia ad significandam sive absolutionem a solo Deo immediate concessam sive absolutionem a Deo concessam mediante ministerio sacerdotis; quidni, inquam, etiam haec verba determinabuntur ratione adjunctorum in quibus pronuntiantur, ad significandam remissionem peccatorum quam Deus elargiatur per sacerdotem tamquam suum ministrum ?

403. — **Dices** disparem esse causam utriusque formulae. Haec quippe verba : « ego te absolvo, » quae per se sunt indeterminata, nancisci ratione fori in quo pronuntiantur, significationem determinatam; id porro veritati verborum non obesse, proptereaque id congruere legibus sermonis humani ; in significatione quippe determinata contineri totam significationem indeterminatam. At vero ut stare possit haec verba : « Deus tibi indulgeat, » nancisci ratione adjunctorum sensum indicativum, oportere ut transferantur a sensu pure precativo quem per se habebant, in significationem omnino aliam ; hoc porro, quia repugnat veritati verborum, repugnare etiam legibus consueti sermonis humani.

404. — **Respondetur** omnem omnino orationem, etiamsi praecise et per se consideretur, esse eatenus indicativam, *quatenus ostendit actum animi quem loquens praesentialiter habet.* Quo modo oratio haec precatoria : « Deus te absolvat, » est indicativa actus voluntatis praesentialiter exerciti a proferente hanc orationem. Illud porro quaeritur in praesentiarum utrum ratione eorum adjunctorum quae mox recensuimus, oratio illa precatoria non determinetur ad significandum sensu indicativo non actum quemcumque voluntatis, sed actum potestativum, h. e. actum ministerii clavium. Esse autem hanc quaestionem affirmative solvendam, est idipsum quod conclusum relinquitur argumento modo allato.

405. — **Et si adhuc instes** dicendo verba haec : « Deus te absolvat, » non significare indeterminate quemcumque voluntatis actum, sed determinate votum aliquod sive precationem, proptereaque verum manere id quod antea objiciebatur, non posse videlicet stare nostram conclusionem, nisi concedatur ratione adjunctorum posse transferri verba ab una significatione in aliam, hoc porro repugnare tum veritati verborum, tum consuetudini loquendi; **respondetur** negando in sententia quam defendimus, laedi veritatem orationis aut infringi leges sermoci-

nandi. Quippe veritas orationis non est pensanda ex sensu quem faciunt verba nude et per se spectata, sed ex sensu quem verba induunt pro determinatis adjunctis in quibus proferuntur. Nihilque est magis conforme legibus sermonis politioris quam ut in iis adjunctis, in quibus satis apparet quis sit verus sensus a loquente intentus, aliquis modestiae vel demissionis animi vel urbanitatis causa utatur loco orationis enuntiativae vel imperativae alio orationis modo. Quo modo qui vult reprehendere, utitur saepe verbis exhortatoriis, et qui vult imperare, utitur nonnunquam oratione optativa. Verum de hoc fusius in alia ratione confirmatoria mox afferenda.

406. — b) Nonnulli adversarii, uti Arcudius, fatentur valituram esse absolutionem sacramentalem in modo deprecativo prolatam, si in foro externo obtineret usus sententias judiciales oratione precatoria pronuntiandi. At vero hoc est fateri orationem precatoriam posse ex circumstantiis fori in quibus pronuntiatur, determinari ad significandum actum potestatis judiciariae praesentialiter exercitae. Quod si ita est, non satis intellegitur cur usus jam a multis saeculis inter graecos obtinens, absolutionem in foro interno verbis deprecatoriis efferendi, non per se et independenter a praecedente fori externi usu valere possit. Estque id eo magis inintellegibile quod quoad possibilitatem utendi in pronuntiando judicio oratione precatoria manifesta est differentia inter judices fori externi et judices fori interni. Quippe supremus gubernator alicujus rei publicae neque omnibus judicibus a se constitutis, cum munere suo funguntur, simul adesse potest, neque, etiam si mente omnibus simul adesse posset, attendere posset ad omnes simul causas quae iisdem dijudicandae sunt. Proptereaque absurde nimis inferiores judices, cum sua sententia causam aliquam decidunt, verba facerent ad regem absentem eosque audire non valentem. At vero Deus, cujus, tamquam supremi imperantis, sacerdotes sunt ministri in foro interno, tum omnibus locis praesens adest, tum mole negotiorum non impeditur quominus ad omnia quae ubique locorum geruntur, simul attendat. Proptereaque sacerdos in foro interno judicans, potest verba precatoria facere ad Deum, pro quo legatione fungitur; non vero judex in foro externo judicans, potest talia verba facere ad regem, cujus nomine atque auctoritate causas in eo foro sententialiter decidit.

407. — Ceterum c) ut rite aestimari possit quaenam in ore presbyterorum graecorum sit vis absolutionis formula peccatoria prolatae, oportet valde attendere ad leges urbani elegantisque sermonis, quarum graecos fuisse omni tempore observantissimos apparet vel ex ipsis

sacramentorum formis quae apud ipsos sunt in usu. Ubi enim latini dicunt: *ego,* graeci dicunt: *humilitas mea;* ubi latini dicunt: *te,* graeci dicunt: *servum Christi* vel aliam nuncupationem plus minusve honorificam usurpant. Sane, si apud politiorem aliquam gentem rex omnibus judiciis praesens adesse soleret, vix est dubium quin mox in foro externo invaliturus esset usus omnes sententias judiciales oratione precatoria proferendi. Spectatis autem adjunctis fori externi, omnes in tali casu intellegerent oratione illa precatoria significare judices se *tamquam ministros regis* actu et praesentialiter proferre sententiam. Cur ergo propter adjuncta fori interni oratio precatoria quam in danda absolutione sacerdotes graeci usurpare solent, non haberet eamdem vim, ita ut ea significaretur sacerdotem vere quidem et de praesenti, non tamen potestate principali, sed potestate ministeriali, absolvere paenitentem a suis peccatis ?

408. — **Secundum Argumentum** procedit *via exclusionis,* excludendo causas propter quas contenditur absolutionem verbis precatoriis prolatam, esse invalidam. Argumentum est hujusmodi : Absolutio in modo precativo prolata, esset invalida, vel quia a) ea non significaretur de praesenti effectus sacramenti paenitentiae, qui est remissio peccatorum, vel quia b) ea non significaretur usus potestatis judiciariae, quod tamen ad veram rationem sententiae judiciariae requiritur. Atqui utraque haec ratio est falsa.

Scilicet 1° falsum est dicere absolutione, eo quod oratione precatoria profertur, non posse significari gratiam peccatorum remissivam tamquam de praesenti praestitam. Commune est quippe omnibus N. L. sacramentis, iisdem significari gratiam de praesenti. Et tamen, hoc non obstante, forma sacramenti extremae unctionis est haec formula precatoria : « Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, per auditum, per tactum... deliquisti. » Crescitque argumentum eo quod sicut sacramento paenitentiae, ita etiam sacramento extremae unctionis, remittuntur peccata, si minus mortalia, saltem venialia, immo et reliquiae peccatorum. — Adde quod baptismo remittuntur peccatum originale et peccata mortalia ante baptismum admissa, sicuti sacramento paenitentiae remittuntur peccata mortalia post baptismum admissa. Jam vero, utut veteres scholastici erronee opinati sunt formam hujus sacramenti apud graecos : « baptizetur servus Dei, » esse deprecativam, omnes nihilominus asseruerunt baptismum valide administrari tali verborum formula.

Ulterius 2° falsum est dicere modo precativo dandi absolutionem

non posse significari actualem usum potestatis judiciariae et propterea modum hunc deprecativum essentialiter contrariari naturae sententiae judiciariae. Falsitas quippe talis asserti apparet a) ex eo quod absolutio a censuris, puta ab excommunicatione, est vere sententia judiciaria in foro ecclesiastico externo prolata, et tamen etiam in ecclesia latina talis absolutio saepe datur formula verborum deprecatoria. — Itidem b) si usus potestatis judiciariae nequeat manifestari formula verborum precatoria; ergo neque usus alius potestatis tali formula significari potest; cum quoad hoc sit par ratio omnis omnino potestatis. Sed consequens apparet esse falsum in usu potestatis benedicendi; quando enim sacerdos vult uti tali potestate, indifferens est utrum dicat : « benedicat tibi Deus, » an « ego tibi benedico »; quapropter una formula perinde atque altera manifestatur usus potestatis benedicendi. Ergo.

409. — Hoc argumento convictus Arcudius, fatetur inefficacia esse argumenta quae communiter afferuntur ad ostendendum formulam verborum indicativam esse de essentia absolutionis sacramentalis. Quod idem ante ipsum jam fassus fuerat Vasquez. Uterque tamen hic auctor contendit restare pro causa quam defendunt, argumentum efficax, licet unicum dumtaxat, illud videlicet quod ex constanti ecclesiae praxi deducitur. Praxi videlicet hac traditionali satis aperte manifestari aiunt Christum instituisse ut absolutio sacramentalis non posset valide proferri nisi oratione enuntiativa. Sicuti etiam ex sola traditione, quatenus se manifestat perpetua ecclesiae praxi, efficaciter ostendi posse aiunt non valere absolutionem nisi perficiatur signis vocalibus.

Verum quod in tali ratione argumentandi accipitur uti probationis medium, nunquam videlicet intra fines ecclesiae catholicae datam esse absolutionem nisi in modo indicativo, id non solum ab utroque auctore gratis et sine ullo ex antiquitatis monumentis adducto testimonio asseritur, sed videtur etiam esse falsum, uti jam ostensuri sumus.

410. — **Tertium** nimirum **argumentum** accipitur *ex antiquioris ecclesiae praxi.* Argumentum est hujusmodi : Si Christus instituisset ut absolutio sacramentalis non posset valide dari nisi in forma verborum indicativa, nunquam praxis huic Christi institutioni opposita obtinere potuisset in ecclesia universali vel in ecclesia romana vel in insigni aliqua ecclesia pertinente ad ecclesiae romanae communionem. Sed consequens est falsum. Ergo et antecedens. *Et probatur Minor* ex eo quod supra annum millesimum centesimum nuspiam deprehendere est vel minimum vestigium formulae absolutionis indicativae, ubique vero

toto hoc tempore tam apud latinos quam apud graecos occurrit usus formulae absolutionis deprecatoriae.

Sane A. de usu exclusivo formulae deprecatoriae in ecclesia latina usque ad annum 1100 obtinente, ex hisce constat :

411. — I. Patres, quando agunt de remissione peccatorum per usum passivum potestatis clavium consequenda, saepe adnotant precibus ac supplicationibus sacerdotum peccata dimitti et paenitentem a peccatis absolvi ; absolutionis vero peccatorum quae in modo indicativo pronuntietur, nuspiam meminerunt.

1) S. Ambrosius, De Spiritu sancto, lib. III, c. 18 : « Nunc videamus, inquit, utrum peccata donet Spiritus. Sed hoc dubitari non potest, cum ipse Dominus dixerit : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, *sed in Patris et Filii et Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. Isti rogant, divinitas donat ;* humanum enim obsequium, sed munificentia supernae est potestatis. »

2) S. Hieronymus, in haec verba psalmi XXVIII : « *Vox Domini intercidentis flammam ignis,* » cum varias hujus loci explicationes attulisset, hanc subjungit quae ad confessionem et absolutionem pertinet : « Vel cottidie in unoquoque nostrum flammam libidinis per confessionem et gratiam sancti Spiritus intercidit, *id est per orationem sacerdotis facit cessare.* »

3) S. Augustinus, De baptismo contra Donatistas, lib. V, cap. 20 : « Si ad hoc valet quod dictum est in evangelio : Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem sacramenta non celebrentur ;* quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, *vel super capita eorum quibus manus imponitur ?* Quae omnia tamen fiunt et valent etiam per homicidam. »

4) S. Leo papa I, in Epist. 168 ad episcopos Campaniae etc., ubi improbans morem qui in quibusdam locis irrepserat publice paenitentibus imponendi publicam suorum peccatorum confessionem : « Reatus conscientiarum sufficit, inquit, solis sacerdotibus indicari confessione secreta... Sufficit illa confessio, quae primum Deo offertur, *tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit.* »

5. S. Leo papa I, in Epist. 108 ad Theodorum : « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam *per paenitentiae medicinam* spes vitae reparetur

aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent : sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut *indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.* Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Jesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem paenitentiae darent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. »

6) S. Leo papa I, ibid. : « Multum utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem *sacerdotali supplicatione solvatur.* »

412. — Sane negandum non est haec patrum testimonia posse explicari in sententia adversa, dicendo absolutionem sacramentalem vocari *orationem, supplicationem, precationem,* vel a) quia, ut exponit s. Thomas, formulae absolutionis indicativae semper addi consueverunt preces quaedam ; quae tamen expositio videri posset esse violenta, vel b) quia antiquitus, perinde atque hodie, addebatur in formula absolutionis indicativa invocatio sanctissimae Trinitatis. Quae certe posterior expositio sola videtur quadrare in verba s. Ambrosii. Notari etiam potest in laudato testimonio s. Augustini exhiberi sacerdotem deprecantem super eucharistiam, cum tamen vel ex ipsis antiquitatis monumentis sit certissimum essentialem consecrationis formam contineri ipsis Christi Domini verbis, quae sunt indicativa. — His tamen non obstantibus, verba patrum saltem satis apte explicantur, si dicatur temporibus quibus scribebant, sententiam absolutionis concipi solitam esse verbis deprecatoriis.

413. — II. Exstant in manuscriptorum archiviis exemplaria librorum ritualium, paenitentialium, item ordinum, sacramentariorum, pontificalium, quorum quamplurima conscripta sunt ante saeculum XIII, quaedam antiquitate sua pertingunt usque ad saeculum IX vel etiam usque ad saeculum VII. Huc imprimis pertinent antiquus ordo romanus et antiquum pontificale romanum, quorum exemplaria, qualia modo in bibliothecis asservantur, saeculum VII non superant, sed quae, quantum attinet ad substantiam praescriptionum in iis contentarum, oportet esse conscripta temporibus Gelasii papae (saeculo V) et Gregorii papae I (saeculi VI) His accensenda sunt paenitentialia Theodori Cantuariensis, Venerabilis Bedae et Ecberti, episcopi Eboracensis, quae ipsa quidem, saltem integra, jam non exstant, sed e quibus Burchardus, scriptor ineuntis saeculi XI, consarcinavit librum XIX operis quod inscripsit : *Magnum decretorum volumen.* Qui quidem liber est

et ipse verus liber paenitentialis. Etiam capita quae in suo opere De divinis officiis pseudo—Alcuinus fecit de ritibus imponendi paenitentiam et dandi reconciliationem, compendio nobis exhibent paenitentialia quae saeculo XI in usu erant. Porro in omnibus hisce libris non repraesentatur solummodo ritus et ordo dandi paenitentiam publicam, sed etiam ritus et ordo imponendi *paenitentiam privatam.* In descriptione autem hujus posterioris ritus manifestum fit legentibus describi modum quo saltem inde ab initio saeculi VII solitum erat administrari sacramentum paenitentiae. Minutatim ibi notantur omnia quae ex parte sacerdotis praemittenda sunt ut paenitens cum debitis animi dispositionibus ad confitendum accedat. Tum longus texitur catalogus peccatorum quae paenitens confiteri debeat, si in ea incurrerit, et de quibus interrogandus sit a sacerdote an ea commiserit. Eique descriptionis parti saepe hic titulus praefigitur: « *Incipit ordo qualiter confiteri debet homo peccata sua.* »

Quod vero hic imprimis notandum est, paenitens, peracta confessione, jubetur confessarium hisce verbis alloqui: « Multa quidem et innumerabilia sunt alia peccata mea, quae recordari nequeo, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur,... ideoque *consilium,* immo et *judicium tuum,* qui sequester ac medius inter Deum et peccatorem hominem ordinatus es, suplex deprecor *et ut pro iisdem peccatis meis intercessor exsistas, humiliter imploro.* » Ita apud pseudo - Alcuinum opere nuper citato. Eadem ferme verba exhibet antiquissimum sacramentarium Turonense: « Ideoque, (ita jubetur ibi dicere paenitens) o Domine sacerdos, *consilium tuum,* immo *judicium tuum,* qui sequester et medius inter Deum et peccatorem hominem ordinatus es, suplex deprecor, *ut pro iisdem peccatis meis intercessor exsistas.* »

Quis haec verba legens non illico advertat iis sacerdoti absolventi idem assignari munus quod iis ipsissimis paene verbis s. Leo eidem assignat? Aiunt antiqua paenitentialia paenitentem, confessione peracta, orare sacerdotem *ut pro se intercessor apud Deum exsistat.* Vicissim ait Leo sacerdotem, audita confessione, *precatorem pro paenitente ad Deum accedere.*

Ceterum, quod caput est, antiquissima illa paenitentialia ecclesiae latinae non continent nisi formulas absolutionis precatorias. Postquam videlicet docuerunt quibus verbis oporteat a paenitente implorari absolutionem sacerdotis, sic pergunt dicere: « Tum confessor sic precatur: « misereatur tui omnipotens Deus et donet tibi veniam, indulgentiam et emendationem et de peccatis tuis veniam et remissionem. »

414. — Concludit hoc argumentum Morinus dicendo impossibile esse supponere libros paenitentiales, qui tam minute describunt etiam ea quae in ritu administrandi sacramentum paenitentiae sunt accessoria, modum quo administranda sit pars maxime essentialis hujus ritus, quae est absolutio sacramentalis, silentio praeteriisse. Talem praeterea suppositionem eo excludi quod libri paenitentiales sunt libri practici,eum in finem conscripti ut scirent sacerdotes quonam modo sacramentum paenitentiae administrare debeant.

Revera tamen tali ratione concludendi falsa pro veris vel saltem incerta pro certis assumit Morinus; proptereaque dicendum est argumentum quod pro valore absolutionis deprecativae ex antiquis libris paenitentialibus ducitur, nonnisi aliqualem probabilitatem affere. Pro parte videlicet opposita licet sic argumentari: a) Libri paenitentiales eum tantummodo in finem sunt conscripti ut scirent confessarii quaenam secundum ecclesiae canones singulis peccatis poenae praescribendae sint. Quod quidem patet — tum ex ipso nomine *paenitentialia* quod his libris est impositum, — tum adhuc manifestius ex eo quod quidam ex his libris praenotantur hoc titulo: *liber de remediis peccatorum.* Attento autem tali scopo libris paenitentialibus praefixo, neutiquam necesse erat iis edoceri sacerdotes quaenam sit formula absolutionis sacramentalis. Sane b) ipse Morinus cogitur fateri esse libros paenitentiales non paucos qui, contenti assignare poenas quae singulis peccatis imponendae sint, omittant memorare tum ritum confitendi tum ritum imponendi paenitentiam. Additque imprudens Morinus non fuisse necesse haec adnotari, quia omnium memoria tenebantur. At vero, si ita est, neque etiam necesse fuit adnotari quaenam sit formula absolutionis sacramentalis, quia etiam ea formula omnium memoria tenebatur. c) In antiquo aliquo pontificali romano et in antiquo libro manuscripto de paenitentia a monacho abbatiae s. Victoris concinnato singulis formulis precatoriis quas post auditam confessionem sacerdos supra paenitentem recitat, hic titulus praemittitur : *oratio, alia (oratio).* Interseritur autem hisce formulis precatoriis sub titulo speciali *absolutionis* haec formula indicativa : « Absolvimus te vice Petri, apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit, et, quantum ad te pertinet accusatio et ad me remissio, sit Dominus omnipotens tibi vita et salus et omnibus peccatis tuis indultor. »

Haec tamen ultima responsio est infirmior. Pontificale enim romanum quod citatur, pertinet ad saeculum XIII, manuscriptum vero illud Victorinum vel pertinet et ipsum ad saeculum XIII vel certe aetate non

superat finem saeculi XII. Hisce porro temporibus conceditur adhiberi coeptam esse in ecclesia latina formulam absolutionis indicativam.

415. — III. E nonnullis scriptorum ad saeculum XIII vel saeculum XIV pertinentium testimoniis videtur concludi posse nonnisi ab ineunte saeculo XIII introductum esse usum adhibendi formulam absolutionis indicativam, ab eodemque tempore ita paulatim in desuetudinem abiisse formulam absolutionis deprecativam ut tamen nondum penitus exolevisset saeculo XIV.

a) Petrus cantor parisiensis, qui ante et circa annum 1200 in academia parisensi doctor erat celeberrimus, refert in sua Summa de sacramentis quibusdam in monasteriis licitum esse cuilibet fratri audire fratrum suorum confessiones et iis paenitentiam injungere, sed abbati absolutionem esse reservatam. Cujus consuetudinis causa hunc casum proponit: « Conversus quidam in extremis laborans nullo modo poterat induci ut confiteretur abbati, adeo timebat eum ; confessus est autem priori cum maxima contritione, ut videbatur, et petiit ab eo absolutionem. Prior respondit ei quod non poterat eum absolvere, sed ex quo non volebat confiteri abbati vel absolvi ab eo, Deus absolveret eum... Quaeritur ergo utrum ex talibus verbis prioris, quando dixit : *absolvat te Deus,* iste fuit absolutus; *quia, si abbas eum absolveret, non aliter diceret.* »

b) Gulielmus, episcopus parisiensis (a. 1230-1240), sic scribit, c. 19 de sacramento paenitentiae : « Non more judiciorum forinsecorum pronuntiat confessor : *absolvimus, non condemnamus,* sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat. Et nemo dubitat quin possit et debeat confessor orare patrem misericordiarum ut etiam remittat paenitenti peccata quae nec ipse paenitens in se cognoscit... Unde in confessione paenitentium non consueverunt dicere sacerdotes : *dimittat tibi Deus peccata quae confessus es mihi, sed potius omnia.* » Et initio capitis 21, in quo confessarii officia enumerat : « Horum omnium primum atque praecipuum est officium sanctificationis. Ex quo officio quoad absolutionem et benedictionem ipsius divinique nominis invocationem vincula peccatorum disrumpuntur. » Parum ergo erat usitata in dioecesi parisiensi absolutio indicativa, quando haec scribebat Gulielmus.

c) Alexander Alensis, qui Gulielmo familiaris fuit, in IV parte Summae, memb. 2, a. 2 « Sed si contra haec objiciatur, inquit, quia absolutio sacerdotis quae fit expressione talium verborum : *ego absolvo te, vel Dominus absolvat te,* magis exprimit absolutionem a

peccato, quam confessio paenitentis. » Tempore ergo Alexandri Allensis absolutio deprecativa erat in usu Parisiis, et quidem quam maxime, uti colligitur ex verbis Gulielmi.

d) Doctor adversus quem scripsit s. Thomas opusculum suum XXII, asserebat in scripto suo vix annos 30 elapsos esse cum omnes sola forma deprecativa uterentur. Cui s. Thomas nihil aliud respondet capite 5 opusculi citati praeter hoc, eum de omnibus testimonium perhibere non posse, qui omnes non viderit, sed « certum esse quod jam sunt mille ducenti anni et amplius quod dictum est Petro : « quaecumque solveris. » Quo suo modo respondendi satis fatetur s. Thomas nullam se posse citare ecclesiam in qua usus absolutionis indicativae tempore adnotato sit antiquior.

e) Franciscus Mayro, in Sent. IV, d. 14, q. 1, tractans *de formali causa sacramenti paenitentiae,* sibi objicit quosdam adhuc uti hac formula : Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Deinde sic respondet : « Dicendum quod sic fiebat in provincia Provinciae, sed improbata est ista forma. »

416. — B. Pro usu vero exclusivo formulae deprecatoriae in ecclesia graeca iis etiam temporibus quibus graeci nondum schismate ab universali ecclesia erant divulsi, adduxisse sufficiat haec pauca quae veritatem propositionis superius assertae videntur reddere manifestissimam.

I. Supersunt veteris ecclesiae graecae euchologia antiquissima, v. g. euchologium cryptae ferratae, cujus scriptio annos excedit octingentos quinquaginta, et euchologium Barberinum, quod isto multo est antiquius. Nullam autem haec euchologia exhibent absolutionis formulam quae non sit deprecativa. Exstant etiam antiqua paenitentialia graeca quae, haud secus atque paenitentialia latina, distincte exhibent tum praxin edendae confessionis, tum ritum imponendi paenitentiam, tum formulas verborum quae in danda absolutione adhibendae sint. Rursum autem omnes absolutionis formulae quas hi libri exhibent, sunt deprecativae ac ne vestigium quidem in iis apparet formulae indicativae. Omnium autem clarissime ritum quem vetus ecclesia graeca tenuit in administrando sacramento paenitentiae, repraesentat paenitentiale Joannis jejunatoris qui coaetaneus fuit Gregorii papae I et a. 583 in patriarcham constantinopolitanum est electus. In libro isto paenitentiali, qui ex graecis qui supersunt, est antiquissimus, exhibentur variae precum formulae quas post auditam confessionem confessarius recitabat supra paenitentes. Praenotaturque

earum unaquaeque hoc titulo : *oratio, alia (oratio)*. Sunt autem ipsis insertae duae aliae formulae quae a precibus eas praecedentibus vel sequentibus secernuntur hoc titulo unicuique earum separatim praefixo : *absolutio, alia (absolutio)*. Porro utraque haec absolutio est deprecativa.

417. — II. In omnibus euchologiis quae recentioris sunt epochae, uti et in euchologiis quibus praesenti tempore graeci utuntur, omnes quae proponuntur absolutionis formulae, sunt deprecativae. Nec invalidum esse argumentum quod ex recentiore graecorum praxi repetitur, liquet ex eo quod in ceteris quae ad administrandum sacramentum paenitentiae spectant, graeci veteris moris se ostendunt esse tenacissimos. Sic, uti olim, ita etiam hodierna die, viget apud graecos usus paenitenti graviora peccata confesso certas ac definitas poenas ad canonum praescripta imponendi. Item diutissime apud eos observatum est ut duplex daretur absolutio, una quae statim post editam confessionem et impositam paenitentiam concedebatur quaeque erat sacramentalis, altera qua post peractam paenitentiam canonicam jus communicandi mensae eucharisticae restituebatur. — Illud adde, non modo graecos, sed etiam omnes orientales, exceptis solis armenis, non alia uti absolutionis sacramentalis formula quam deprecatoria. Quae conspiratio in unum ritum index esse videtur consuetudinis ab antiquissima traditione derivandae.

418. — **Quartum** illudque, ut videtur, plane decretorium **argumentum** sumitur *ex tacite vel adeo implicite asserta ecclesiae romanae approbatione*.

1) In conciliis quae, convenientibus graecis ac latinis, schismatis exstinguendi causa celebrata sunt, nunquam ecclesia romana graecis negotium facessivit de formula absolutionis deprecatoria ab ipsis usurpari solita. Et tamen in concilio oecumenico florentino capita fidei circa quae graeci dissidebant a latinis diligenti examini subjecta sunt.

2) Clemens papa VIII in instructione super ritibus graecorum quam edidit a. 1595 : « In casu necessitatis, inquit, presbyteri graeci catholici possunt latinos absolvere. Utantur formula absolutionis in generali concilio florentino praescripta et postea, si voluerint, *dicant orationem illam deprecativam quam pro forma hujusmodi obsolutionis dicere tantum consueverunt*. » Condendo suam instructionem, Clemens praesertim in mente habuit centum paroecias graecas quae in regno Neapolitano suo tempore constitutae erant. In iis autem hujus instructionis verbis quae retulimus, manifeste supponit absolutionem modo deprecativo datam, esse validam. Graecos enim presbyteros catholicos ad usur-

pandam formulam indicativam adstringit tantummodo, cum in casu necessitatis contingit eos latinorum confessiones audire. Cum tamen, si forma absolutionis deprecativa esset aut certo invalida aut saltem dubie valida, vetare etiam debuisset parochis graecis ne in audiendis confessionibus graecorum formula illa uterentur. Sicuti, quia matrimonium christianorum consummatum in nullo casu potest valide dissolvi, idcirco in eadem illa sua instructione vetat pontifex ne, prouti graecis in usu erat, matrimonium propter adulterium alterius partis solvatur.

Quae contra propositionem hactenus assertam ex concilio tridentino vel ex natura sententiae judiciariae objici solent, sufficienter soluta relinquuntur partim ex determinatione status controversiae, partim vero ex argumentatione facta.

419. — **Objiciunt** insuper fore, ut, si vera esset sententia defensa, formula absolutionis etiam apud latinos esset deprecatoria. Semper enim, priusquam sacerdos pronuntiaret formulam verborum indicativam, fore ut jam absolutus esset paenitens per formulam precatoriam quae formulae indicativae praemitti solet. — Verum hoc facile solvitur. Ad validitatem enim absolutionis requiritur debita intentio. Non autem habent sacerdotes latini intentionem absolvendi per formulam verborum precatoriam ; quia intendunt, dum absolvunt, se conformare legibus ecclesiae.

Dices nos, defendendo ut probabile formulam absolutionis precatoriam esse validam, discedere a doctrina s. Thomae.

Respondetur hoc etiam merito negari posse. Impugnat enim s. doctor in opusculo suo XXII sententiam auctoris dicentis absolutionem non posse dari sub forma verborum indicativa. Eamque sententiam merito ibi vocat s. Thomas temerariam ac praesumptuosam. Satisque est manifestum eamdem sententiam ab eo intendi excludi in III, q. 84, a. 3. Quapropter sufficienter explicatur s. Thomas, dicendo ab eo ad validitatem absolutionis solummodo requiri ut saltem quoad sensum absolutio sit indicativa.

CAPUT IX.

De veritate verborum absolutionis.

420. — Uti colligitur ex iis quae principio capitis VI monuimus, duplex in sacramentis N. L. potest attendi significatio. Una est *significa-*

tio sacramentalis, et talis significatio, ex sola institutione Christi proveniens, est forma sacramenti, in quantum est sacramentum, eidemque totus ritus sacramentalis tanquam materia supponitur. Altera significatio quae in sacramentis N. L. attendi potest, praesupponitur ad significationem sacramentalem; est videlicet ea quae independenter ab institutione Christi competit ritui sensibili sive ex natura rei sive ex hominum institutione. Porro ratione talis significationis ipsemet ritus sensibilis qui, attenta significatione sacramentali, erat solummodo materia sacramenti, componitur et ipse ex materia et forma. Et hoc propterea, quia ritus ille sensibilis componitur ex rebus vel quasi rebus et verbis. Quippe res, eo quod non significant nisi ex natura rei, habent significationem confusam ideoque ipsae in significando subeunt rationem materiae, verba vero, eo quod significant ex institutione humana, habent significationem distinctam, ideoque ipsae in significando subeunt rationem formae.

421. — Manifestum est autem veritatem significationis illius quae sive ex natura rei sive ex institutione humana convenit ritui sensibili, oportere salvari in significatione sacramentali. Etenim a) id omnino requirit finis quem Christus spectavit, quando ritus quosdam sensibiles evexit ad dignitatem sacramenti. Propterea nempe voluit Christus significationem et efficaciam gratiae alligari quibusdam ritibus sensibilibus, ut ex eo quod visibiliter agitur in sacramento, homo manu duceretur ad intellegendum id quod invisibiliter agitur in anima. Ulterius b), quod speciatim attinet ad verba sacramentalia, si significatio quae institutione hominum ipsis est indita, non salvaretur, quantum ad suam veritatem, in significatione sacramentali, signicatio sacramentalis esset falsa; qui enim adhibet verba humana ad aliquid significandum, censetur ea usurpare eo sensu qui ex communi hominum usu ipsis convenit. Nimisque apertum est c) ne innotescere quidem nobis potuisse institutionem sacramentorum, nisi verba quibus Christus usus est in iis instituendis, eum redderent sensum qui ex institutione humana iis convenit.

422. — At vero, licet necesse sit significationem quae sive ex natura rei sive ex institutione humana ritui sensibili adhaerescit, includi in significatione sacramentali; nihil tamen prohibet quominus prior illa significatio quantum ad aliquid se habeat ad posteriorem, sicuti significatio indeterminata ad significationem magis determinatam.

423. — In praesentiarum de verbis absolutionis quaeruntur tria, scilicet 1° quisnam effectus ab ipsis significetur, prouti significant ex

institutione Christi, h. e. sacramentaliter, 2° quisnam effectus ab ipsis significetur, prouti significant ex institutione humana, et 3° quomodo stare possit hunc posteriorem effectum vere significari, quando absolutio invenit peccata jam remissa sive per contritionem perfectam sive per priorem sacramenti paenitentiae susceptionem.

Ad duo priora quaesita respondet

Propositio.

Verba absolutionis, quantum est per significationem suam sacramentalem, determinate significant gratiam sanctificantem, prouti est remissiva peccatorum post baptismum patratorum ; quantum vero est praecise per significationem iis ex institutione humana convenientem, remissionem peccatorum significant determinate, gratiam vero sanctificantem indeterminate.

424. — Prima pars probatur *ex modo quo sacramentum paenitentiae causat proprium suum effectum, qui est remissio peccatorum.* Probatio sic procedit : Sacramenta N. L. significant sacramentaliter idipsum quod causant ; non autem causat sacramentum paenitentiae remissionem peccatorum, nisi quatenus causat gratiam sanctificantem ; ergo etiam non significat sacramentaliter remissionem peccatorum, nisi quatenus significat gratiam sanctificantem, prout est remissiva peccatorum.

Et probatur minor. Nam 1) Christus, dicendo apostolis Jo. xx, 23 : « Quorum remiseritis peccata » etc., intendebat loqui de ea peccatorum remissione quae est propria novae oeconomiae ; uti autem patet ex doctrina quam Christus tum immediate per se tum mediante praeconio apostolorum promulgavit, non aliter contingit in oeconomia N. L. remissio peccatorum mortalium, nisi per infusionem gratiae sanctificantis. Itidem b) quaenam esset propria ratio remissionis peccatorum cujus elargiendae facultatem fecit apostolis, Christus determinavit hisce verbis immediate antecedentibus : « Accipite Spiritum sanctum. » Ita videlicet praefando, significavit Christus remissionem peccatorum de qua ipse loquebatur, esse effectum Spiritui sancto peculiariter appropriatum, eo quod terminus est supernaturalis divinae bonitatis in ipsam animam efficientiae. Quia ergo supernaturalis haec divinae bonitatis efficientia consistit in infusione atque inspiratione gratiae, concludendum est proprium effectum ad quem secundum verba Christi Jo. xx, 23, terminatur absolutio sacramentalis, esse gratiam sanctifi-

cantem, prouti est remissiva peccatorum post baptismum admissorum.

Ex probatione facta colligitur verba absolutionis, attenta significatione sua sacramentali, hunc fundere sensum completum : Ego tibi confero gratiam sanctificantem, in quantum est remissiva peccatorum.

425. — **Secunda pars probatur** *tali ratiocinio.* Sensus qui, quantum est praecise ex institutione pure humana, competit verbis absolutionis, praescindit tum ab oeconomia religionis christianae, tum ab alia quacumque oeconomia quam Deus libere inducere potuisset. Sed sub tali praecisione, haec verba : absolvo te a peccatis, significant determinate *remissionem peccatorum,* et per consequens ipsa significant etiam collationem alicujus gratiae ; quia in hypothesi cujusque oeconomiae remissio peccatorum est aliqua gratia; non tamen, quantum est praecise per sensum quem haec verba per se et independenter ab institutione Christi fundunt, determinatur hisce verbis utrum gratia remissionis peccatorum quam significant, sit gratia sanctificans, an vero sit alia gratiae species, puta an sit gratia pure extrinseca consistens in non imputatione peccati ex parte Dei. Concludendum est itaque verbis absolutionis, quantum est praecise per sensum qui iis inest vi institutionis humanae,significari effectum remissionis peccatorum determinate, effectum vero collationis gratiae sanctificantis indeterminate tantummodo. Illud enim merito ducitur significari in confuso et indeterminate tantum quod non significatur secundum suam rationem propriam ac specificam, sed secundum rationem suam genericam dumtaxat.

426. — Jam ad solutionem tertiae ex quaestionibus quae supra propositae sunt, accedendum est. Quaeritur videlicet quomodo possibile sit salvari veritatem verborum absolutionis, quando haec verba pronuntiantur super paenitentem qui non confessus sit nisi peccata quae sive per contritionem perfectam sive per priorem susceptionem sacramenti paenitentiae jam remissa fuerint. Videntur enim in tali casu verba absolutionis esse manifesto falsa. Quippe, uti antea stabilivimus, verba absolutionis non sunt declaratoria remissionis peccatorum jam factae, sed significant remissionem et absolutionem a peccatis quae fit vi ipsorum verborum et praesentialiter. Jam vero impossibile videtur alicui efficienter remitti peccata quae jam prius ei fuerunt remissa, itemque impossibile est aliquem solvi a vinculo quo jam non ligatur.

427. — Quidquid sit de modo quo solvenda sit haec difficultas, illud certissimum est, peccata quae per antecedentem contritionem perfectam jam remissa fuerunt, pertinere ad materiam necessariam absolu-

tionis. Id enim efficaciter colligitur ex eo quod, uti antea probavimus, necessarium est necessitate medii omnia peccata post baptismum commissa subdi actui potestatis clavium. Inde videlicet fit ut in nova lege talia peccata nequeant remitti contritione perfecta, nisi quatenus haec sibi adjunctum habet votum sive explicitum sive implicitum suscipiendi sacramentum paenitentiae statim atque praeceptum sacramentum illud suscipiendi urgere coeperit.

428. — Porro priori illi asserto necessario consectaneum est aliud assertum, nempe a peccatis quae absolutione sacramentali prius data jam remissa fuerint, posse aliquem rursus absolvi per subsequentem absolutionem sacramentalem, idque totiens quotiens voluerit. Ratio enim cur haec peccata jam non possent esse materia absolutionis, nonnisi ea afferri posset, quod ea peccata vi prioris absolutionis jam remissa sunt. Jam vero ea ratio non tenet ; quia ex ea foret consequens etiam peccata quae vi et efficacia contritionis perfectae remissa fuerunt, non posse esse materiam absolutionis sacramentalis.

429. — Atque hinc ferme exclusa relinquitur prima difficultatis propositae solutio, quae est solutio dicentium non esse inconveniens in casu unde oritur difficultas, absolutionem sacramentalem carere proprio suo effectu, nec tamen tunc falsificari formam absolutionis, quia tunc haec forma reddit sensum condicionatum, hunc scilicet, *quantum est ex me, te absolvo,* sive, *te absolvo, si ligatus es aliquo peccati vinculo.* Haec solutio, inquam, ferme exclusa relinquitur ex modo determinatis. Nam quod dicitur in priore ejus parte, est quidem verum, uti mox a nobis firmis rationibus stabilietur; non tamen cohaeret haec pars cum parte posteriore, quae eam potius destruit. Nempe, quod attinet ad hanc alteram partem, in qua propria ratio praedictae sententiae consistit, ea huc redit ut asseratur absolutionem sacramentalem in casu proposito non conferri; absolutio enim quae datur sub conditione non exsistente, non est absolutio; talem vero sententiam defendi non posse efficaciter conclusum est argumentatione modo facta.

430. — Secunda est solutio dicentium absolutione quae cadat super peccata quae jam prius remissa sint, remitti haec peccata quantum ad reatum poenae temporalis adhuc remanentis. Verum etiam haec solutio non satisfacit. Contingere enim potest ut vel propter fervorem contritionis quae praecessit, vel propter opera satisfactoria quae jam prius praestita fuerunt, peccata jam plene remissa sint etiam quoad reatum poenae, et nihilominus poterunt haec peccata esse materia absolutionis sacramentalis, immo ea erunt hujus

absolutionis materia necessaria, si nondum tribunali paenitentiae subdita fuerint.

431. — Tertia est solutio Cajetani, qui in tomo I Opusculorum, tract. V, q. 1, ad 2^{m}, dicit etiam in casu quo peccata plene remissa fuerint quoad reatum culpae et quoad reatum poenae, adhuc dici posse ea remitti per absolutionem; quia post peccata remissa manent semper aliquae peccatorum reliquiae, v. g. malae inclinationes et similia mala, a quibus homo potest magis et magis liberari repetitis confessionibus; ideoque hanc saltem remissionem in casu proposito absolutione significari. — At vero neque haec solutio satisfacit, — tum quia malae illae inclinationes vel malae dispositiones ex peccatis relictae non sunt peccata, et quia per consequens earum ablatio non sufficit ad verificanda verba formae, — tum quia sacramentum paenitentiae non est institutum ad tollendas peccatorum reliquias, sed ad summum virtute ipsius datur speciale auxilium, quo possit homo operari ad vitiosas dispositiones vincendas et expellendas, — tum denique quia interdum hujusmodi peccatorum reliquiae possunt esse jam abolitae ante institutam vel repetitam confessionem, et tamen adhuc in tali casu fateri oportet posse peccata jam remissa esse materiam novae absolutionis.

432. — Quarta est solutio patris de Coninck, qui in disp. 5, dub. 8, dicit post ablatam culpam et remissam poenam manere semper *aliquam indignitatem* qua, ceteris paribus, ille qui peccavit, minus dignus est aliquo Dei beneficio peculiari, quam alius aeque justus qui nunquam peccavit; hoc autem impedimentum indignitatis magis auferri absolutione mediante gratia habituali quae in sacramento recipitur; hac itaque ratione absolutionis formam verificari et aliquem effectum sibi proprium in anima operari. — Etiam haec solutio rejicienda est. Nam a) licet admitteretur augmento gratiae sanctificantis quod absolutio in anima causat, illam indignitatem ex peccato relictam minui, sicuti certo augetur dignitas; non tamen hoc sufficit ad verificandam formam absolutionis; quia ea forma significat absolutionem a peccatis; indignitas autem illa, licet ex peccato sit relicta, non tamen est peccatum. — Adde b) ex cardinali de Lugo, disp. 13, sect. 3, quod, sicut Deus condonando culpam cedit jure quod habebat ad aversionem rationabilem ab homine qui peccavit et quem postea sui peccati paenitet, et condonando poenam, cedit jure quod habebat ad puniendum positive hominem propter peccatum, ita potest cedere etiam omni jure quod haberet ad denegandum aliquod beneficium illi homini ratione

peccati praeteriti ab eo homine commissi. Hoc autem in praesenti providentiae ordine revera non fieri a Deo, gratis assumitur a Coninckio.

433. — Quinta est solutio cardinalis de Lugo, qui procedit ex hac suppositione, in sacramento paenitentiae verbum *absolvere* idem prorsus significare atque verbum *remittere;* quod quidem patere ait ex institutione Christi qui utroque verbo indifferenter est usus. Hoc itaque supposito, ait eminentissimus cardinalis effectum sacramentalis absolutionis semper et in omni casu non tantum esse infusionem gratiae peccatorum remissivae, sed actualem quoque peccatorum remissionem, etiamsi absolutio jam inveniat peccata remissa per praeviam contritionem vel priorem absolutionem. Quomodo autem in casu de quo procedit difficultas, hoc verificari possit, explicat cardinalis dicendo minime repugnare iterum atque iterum remitti idem peccatum. Patereque id ait dupliciter. *Primo* ex consuetudine humana. Saepe enim contingere ut qui offensam sibi ab altero illatam jam condonavit, si ab altero rogetur, rursum eam condonet, dicendo : iterum tibi dimitto. *Secundo* idem patere ex eo quod qui dicit *condono, remitto offensam,* affirmat actum voluntatis quo cedit jure quod habet manendi rationabiliter aversus ab offendente et exigendi ab eo satisfactionem; talis autem affirmatio in casu proposito est vera, quia qui jam cessit aliquo suo jure, potest rursum eo cedere, novum ponens titulum impedientem ne uti possit jure quod aliquando habuit.

De hoc modo explicationis dicendum est eum esse multo magis rejiciendum quam omnes modos explicationis praecedentes. Solutiones enim quas prius rejecimus, conantur utcumque explicare quomodo in casu proposito absolutio sacramentalis attingat effectum aliquem ipsi proprium qui aliquali saltem sensu sit realis liberatio a peccato ; unde eae solutiones, licet sint falsae, uti ostensum est, sunt tamen solutiones reales. Solutio vero quam affert cardinalis de Lugo, non est solummodo falsa, sed est pure verbalis. Et primum quidem suppositio ex qua procedit Lugo, est sophistica. Quippe propter hoc ipsum quod Christus actum potestatis clavium indifferenter significavit verbis *remittere* atque *absolvere,* necesse est dicere actum clavium non consistere in quacumque peccatorum remissione pure declaratoria, sed in remissione, quantum est per se, eo tendente ut aliquis realiter solvatur a vinculo peccati. Hinc difficultas praesens non est de actu condonativo qualitercumque sumpto, sed est de proprio effectu illius actus condonativi qui est absolutio. Quaeritur videlicet quomodo

possibile sit formam absolutionis in casu proposito verificari ; cum tamen effectus primarius qui significatur tali forma, non modo non producatur in eo casu, sed neque possit in eo produci. Hanc porro difficultatem ne tangit quidem cardinalis de Lugo, ideoque ejus solutio peccat fallacia elenchi. — Ceterum rationes quibus pro sua solutione pugnat cardinalis, sunt impertinentes ad propositum aut etiam falsae. — *Ad primam dicitur,* repetitos illos actus condonandi qui inter homines sunt in usu, consistere in remissione pure declaratoria qua aliquis manifestat se perseverare in priore voluntate condonandi ; de tali autem remissione non agi in difficultate praesenti. Neque adeo subesse locum petendi a Deo talem remissionem declaratoriam; quia voluntas Dei non est mutabilis, sicut voluntas hominum. — *Ad secundam rationem dicitur,* falsum esse aliquem posse denuo cedere jure cui jam renuntiavit; quia nemo potest cedere eo quod non habet. Unde, quando ab homine qui jam cessit suo jure ulciscendi offensam, rursum petitur ut condonet delictum, non intenditur peti ab eo ut renuntiet suo juri vindicandi, sed ut renuntiet injustae vindictae quam fortassis, priorem suam voluntatem mutans, posset velle sumere propter recordationem offensae sibi illatae.

434. — Sexta solutio est, verbis absolutionis solummodo significari conferri gratiam sanctificantem, quae, *quantum est ex se,* sit remissiva peccatorum ; proptereaque veritati formae absolutionis neutiquam obesse quod per accidens contingat peccata, eo quod jam antea fuerunt remissa, non remitti per eam. Et haec solutio, quam cum Suarezio defendit major pars theologorum, vera est et retinenda. Probatur autem ejus sufficientia dupliciter. *Primo* ex signo. Difficultas enim eadem, immo longe major proponi potest respectu eorum sacramentorum, quae, uti baptismus, confirmatio et ordo, possunt recipi cum fictione, id est cum obice eorum effectum impediente. Sacramenta enim illa, quando ex parte suscipientis adest fictio, valide conferuntur, et tamen in eo casu propter indispositionem subjecti ea recipientis, ipsa neque actu causant effectum suum proprium, neque etiam effectum omnibus sacramentis communem, infusionem videlicet vel augmentum gratiae sanctificantis. Et nihilominus in tali casu vera manet forma sacramentorum cum obice susceptorum, etiam si nunquam recedat fictio. Sicut ergo non obstat veritati formarum sacramentorum characterem imprimentium quod per accidens contingat ex iis non sequi proprium suum effectum, ita etiam neque obstat veritati formae sacramenti paenitentiae quod per accidens contingat per eam non causari proprium suum effectum, qui

est remissio peccatorum post baptismum admissorum. *Secundo* idem patet directe ex eo quod sacramenta significant suos effectus actu conferri, quantum est ex se, et per consequens non ita absolute ut non implicite involvant hanc condicionem : si ex parte suscipientis adsint omnia requisita. Ex quo manifestum redditur veritati verborum absolutionis nihil obesse quod, quando absolutio cadit super peccata quae jam remissa sunt, gratia sanctificans quae per eam confertur, non habeat rationem actualis remissionis peccatorum. Licet enim vi verborum absolutionis haec gratia, quantum est ex se, sit remissiva, non tamen ea significatur esse formaliter et actu remissio peccatorum, nisi subintellecta hac condicione, inveniri in paenitente peccata quae non sint actu remissa.

435. — **Quaeres** quomodo possibile sit circa peccata quae jam remissa sint, exerceri verum judicium, quod tamen requiritur ad veritatem absolutionis.

Respondetur etiam in foro externo contingere ut reus qui priore judicio absolutus fuerit, rursum sponte sua compareat coram tribunali, idque ea condicione ut non irritetur id quod ei jam concessum est priore judicio, sed ut, redintegrata cognitione causae, judices decernant an forte majore adhuc gratia sit dignus. Eadem igitur de causa posse etiam peccatorem qui in foro interno jam absolutus fuit, rursum judicari in hoc foro de iisdem peccatis, ratione novae contritionis quam de iis concepit et quae eum disponit ad perfectius participandum effectum judicii sacramentalis. Et tunc vi absolutionis ei confertur *augmentum amicitae habitualis cum Deo, prouti hic prius fuit offensus peccato.* Ideoque aliquo sensu verum est ad absolutionem cujus materia sint peccata jam remissa, sequi novam horum peccatorum remissionem. In remissione quippe peccatorum, qualis in sacramento paenitentiae contingit, potest considerari praeter ablationem reatus, recuperatio amicitiae cum Deo offenso. Haec vero amicitia cum Deo, quatenus hic prius offensus fuit, augetur vi subsequentis absolutionis.

436. — Ex hactenus dictis facile solvitur objectio quae movetur a quibusdam contra sententiam Suarezii hactenus stabilitam; aiunt videlicet ex ea esse consequens, etiam hominem qui speciali Dei privilegio nullum unquam peccatum commisisset, posse sacramentaliter absolvi. Stante quippe hac sententia, dici posse tali homini vi absolutionis conferri gratiam sanctificantem, prouti est remissiva peccatorum; per accidens vero contingere ut absolutio nulla inveniat peccata quae remitti possint. — Ad hoc dicitur ex modo quo Christus

instituit sacramentum paenitentiae, efficaciter quidem argui peccata etiam remissa posse esse materiam absolutionis; at omnino repugnare verbis Christi institutoris ut nulla offerantur a paenitente peccata quae sint materia circa quam exerceatur potestas remittendi peccata. Itemque, ubi deest materia judicii, ibi non posse exerceri judicium, quod tamen est de essentia absolutionis.

CAPUT X.

De effectibus absolutionis sacramentalis.

437. — Manifestum est idem esse quaerere de effectibus absolutionis atque quaerere de effectibus sacramenti paenitentiae. Unde indifferenter utrovis modo praesens quaestio ab auctoribus proponi solet. Et quidem, quod attinet ad plurimos effectus de quibus ambigi posset utrum producantur vi et efficacia absolutionis sacramentalis, quaestio plene soluta relinquitur ex antea disputatis.

438. — Nempe 1° agendo de potestate clavium et de institutione sacramenti paenitentiae, ostensum est effectum essentialem et omnino primarium absolutionis sacramentalis esse infusionem gratiae sanctificantis, quatenus haec gratia peccatorum mortalium post baptismum commissorum remissiva est tam quoad reatum culpae quam quoad reatum poenae aeternae. Quamobrem, si quaeratur de effectu primario sacramenti paenitentiae considerati secundum communem rationem sacramenti, dicendum est hunc effectum primarium communem esse infusionem gratiae sanctificantis; si vero quaeratur de effectu primario sacramenti paenitentiae considerati in sui distinctione a ceteris sacramentis, dicendum est hunc effectum primarium omnino proprium esse peccatorum mortalium post baptismum patratorum remissionem quoad reatum culpae et quoad reatum poenae aeternae indivisibiliter cum reatu culpae connexum.

439. — 2° Ex iis quae, agendo de essentia sacramenti paenitentiae, de satisfactione sacramentali jam praelibavimus, sufficienter deducitur etiam remissionem peccati quoad reatum poenae temporalis post dimissam culpam remanentis esse effectum sacramenti paenitentiae, non tamen essentialem, *sed accidentalem*. Quamobrem dicendum est *plenariam remissionem omnium peccatorum mortalium post baptismum admissorum* posse esse effectum sacramenti paenitentiae.

440. — 3° Uti agendo de infusione per se virtutis paenitentiae ostensum est, status justitiae habitualis per se intrinsece exigit conjungi cum toto choro virtutum per se infusarum. Quae causa est cur virtutes per se infusae dicantur consequi ad gratiam habitualem tamquam ad id quod in statu hominis elevati est ad instar naturae. Ex quo efficitur ut absolutio sacramentalis, eo ipso quod nonnisi per infusionem gratiae sanctificantis primario causat remissionem peccatorum mortalium, *concomitanter* etiam causet infusionem omnium virtutum supernaturalium.

441. — 4° Tractando de obligatione omnia peccata mortalia post baptismum admissa potestati clavium subjiciendi, ostensum est sacramentum paenitentiae, eo ipso quod primo et per se est institutum ad remittenda peccata mortalia, habere quasi ex consequenti virtutem remittendi etiam peccata venialia.

442. — Nascitur tamen inde difficultas contra id quod supra assertum est de essentiali effectu absolutionis sacramentalis. Nempe exercitio potestatis clavium causari gratiam sanctificantem non aliunde ostendi potest quam ex eo quod in praesenti providentiae ordine peccata mortalia non remittuntur nisi infusione gratiae sanctificantis. Non autem tenet talis ratio argumentandi, quando agitur de remissione peccatorum venialium ; quippe quae multis aliis modis remitti possint. Et sic videtur non esse necesse actu potestatis clavium infundi augmentum gratiae sanctificantis, quando talis actus non exercetur nisi in remittendo peccata venialia. Et per consequens videtur non esse manifestum absolutionem sacerdotis esse in tali casu absolutionem sacramentalem.

443. — Hoc tamen facile solvitur ex eo quod potestas clavium primo et per se est instituta ad remittenda peccata mortalia hominum baptizatorum. Modus enim operandi et efficiendi cujuscumque potestatis est desumendus ex fine propter quem primario est instituta talis potestas. Ideoque non aliter ex effectu propter quem primario est instituta aliqua potestas, argui potest eamdem potestatem posse quasi ex consequenti se extendere ad alios quosdam effectus, nisi quatenus eo modo quo attingitur ab illa potestate effectus ipsius primarius, possunt etiam ab ea attingi effectus illi alii. Quamobrem, si impossibile esset per causatum augmentum gratiae sanctificantis causari remissionem peccatorum venialium, efficaciter inde argui posset actum potestatis clavium se non extendere ad remissionem peccatorum venialium. Non vero e converso ex eo quod peccata venialia contingit aliis modis remitti quam collatione augmenti gratiae, valide argui potest actu potestatis

clavium posse remitti peccata venialia absque hoc quod tali actu causetur ex opere operato augmentum gratiae sanctificantis.

444. — Jam data opera agendum est de quinto aliquo effectu absolutionis sacramentalis. Quaeritur videlicet utrum merita sive opera bona in gratia facta et per subsequens peccatum mortificata, per susceptum sacramentum paenitentiae reviviscant. Quae quaestio generalius proponi potest, sciscitando videlicet utrum in justificatione impii, sive demum per susceptum sacramentum paenitentiae sive per contritionem perfectam haec contingat, opera vitae aeternae meritoria quae per subsequens peccatum mortale mortificata fuerant, reviviscant idque quo modo et quousque.

Priusquam diversae auctorum sententiae referantur, proprium hujus quaestionis subjectum definiendum est.

445. — Opera libera alia sunt mortifera vel saltem ad mortem disponentia, alia viva, alia mortua, alia mortificata, alia reviviscentia.

Manifestum est quaestionem non moveri de operibus vel mortiferis vel saltem venialibus ; non sunt enim meritoria, sed demeritoria, ideoque non habent in se quod reviviscere possit, sed quod necesse sit exstingui priusquam pateat introitus ad regnum caelorum.

Opera vero *mortua* sunt opera bona in statu peccati mortalis peracta. Et haec quidem possunt esse meritoria de congruo auxiliorum gratiae et remote ad justificationem disponere, non tamen possunt esse meritoria vitae aeternae ; proindeque nec de ipsis intellegi potest quaestionem quae modo proposita est, procedere.

Opera vero *viva* sunt opera bona in statu gratiae habitualis peracta. Omnia porro ejusmodi opera propter dignitatem subjecti ea elicientis sunt de condigno meritoria gloriae. Et sicut peccata physice quidem transeunt, moraliter tamen perseverant non solum quantum ad reatum culpae, sed etiam quantum ad reatum poenae sive condignitatem ad poenam, ita opera haec bona in statu gratiae peracta, licet physice transeant, permanent tamen in mente divina quantum ad suum meritum, h. e. quantum ad suam condignitatem ad praemium vitae aeternae. Et haec condignitas, quae ipsis intrinseca est, est vis qua moraliter movent Deum ad conferendum effectum gratiae.

Opera mortificata sunt omnia opera quae prius fuerunt viva, sed quae propter subsequens peccatum mortale prohibentur ab exserenda sua vi et efficacia in movendo Deum ad conferendum praemium vitae aeternae ipsis respondens. Unde haec opera non ex vivis evadunt mortua ; mortuum enim dicitur illud a quo, cum prius vivebat, tollitur principium

radicale quo prius in suo esse constituebatur. Non autem ab operibus quae dicuntur mortificata, tollitur per subsequens peccatum mortale eorum *condignitas intrinseca ad praemium*, quod est principium quo nata sunt movere Deum. Verum quia is qui fecit ea opera, factus est peccando indignus vita aeterna, propterea opera illa mortificata, non obstante eorum condignitate ad praemium, quae ab ipsis non tollitur, jam non valent actu movere Deum ad praemium aliquando retribuendum. Unde, quando dicitur haec opera esse mortificata, nihil aliud intenditur dici quam in iis manere quidem *principium movendi Deum*, hoc tamen principium propter peccatum quod subsecutum est, prohiberi in iis ab agendo actualiter, et per consequens *ea suspendi quod suam efficaciam*. Nempe non alia de causa dicuntur haec opera esse mortificata, nisi quia propter obicem sive impedimentum peccati prohibentur ab actu movendi Deum. In quo enim nulla apparet operatio vitae, illud creditur esse mortuum, etiamsi revera non sit omnino mortuum.

446. — Supposita notione operum mortificatorum quae praemissa est et quam unanimi consensu theologi admittunt, manifestum est haec opera, statim atque per infusam gratiam sanctificantem obex peccati mortalis remotus fuit, de novo suam vim movendi Deum exserere, quod idem est atque ea reviviscere. Unde omnes theologi admittunt reviviscentiam operum mortificatorum esse unum ex effectibus sacramenti paenitentiae. Haec quippe reviviscentia consistit in remotione obicis consistentis in statu peccati mortalis ; talis autem remotio est proprius effectus sacramenti paenitentiae. Verum, ubi quaeritur de modo et gradu hujus reviviscentiae et de praemio quod operibus reviviscentibus respondet, incipit discrepantia sententiarum.

447. — Prima est sententia asserens opera mortificata reviviscere non respectu praemii essentialis, h. e. gloriae ejusve augmenti, sed respectu praemii accidentalis, nempe respectu alicujus gaudii quod habebunt beati de istis operibus aliquando a se factis. Eam sententiam insinuat s. Thomas in III, q. 89, a. 5 ; non tamen concordat cum responsione quam tradit in corpore hujus articuli. Fundantur autem auctores ita decernentes in eo quod gradus gloriae alicui debitae respondet gradui gratiae sanctificantis qui ei confertur ; gradus autem gratiae sanctificantis qui ex opere operato confertur in sacramento paenitentiae vel propter actum contrictionis perfectae est major vel minor, non pro majoribus vel minoribus meritis mortificatis suscipientis hoc sacramentum, sed solummodo pro melioribus vel minus bonis ejus dispositionibus actualibus.

448. — Dicendum est tamen 1) hanc sententiam loqui inconsequenter. Si enim, uti supponunt hujus sententiae auctores, statu peccati non inducitur nisi obex impediens opera mortificata quominus efficaciam suam exserant, haec autem eorum efficacia consistat in condignitate ad praemium essentiale, ergo, remoto obice per subsequentem justificationem, opera prius mortificata et jam reviviscentia movebunt Deum ad conferendum homini justificato jus ad totum praemium essentiale ipsis respondens. Ulterius 2) fundamentum in quo nititur haec prima sententia, est falsum. Falso videlicet supponunt assertores hujus sententiae omnem gradum gratiae sanctificantis quae in justificatione confertur, conferri vi sacramenti paenitentiae vel vi contritionis perfectae. Nam sacramentum paenitentiae est quidem causa remotionis obicis, unde etiam recte dicitur ipsum esse causam reviviscentiae operum mortificatorum, uti supra explicatum est. Non tamen ad hoc ut reviviscant opera mortificata respectu praemii essentialis, necesse est ut sacramento paenitentiae causentur gradus gratiae sanctificantis huic praemio essentiali respondentes. Verum hi gradus gratiae sanctificantis immediate conferuntur propter ipsa merita reviviscentia. Et ratio hujus est manifesta ; quia secus jam falsum esset merita haec reviviscentia movere Deum ad conferendum jus ad praemium ipsis condignum. Hinc in casu quem consideramus, in indivisibili illo instanti quo confertur gratia sanctificans, duplex instans naturae distinguendum est, ita ut in primo instanti intellegendum sit conferri gratiam sanctificantem quam ex opere operato causat sacramentum paenitentiae; in secundo vero instanti naturae, intellegendum sit, jam remoto obice, conferri augmentum gratiae sancttficantis respondens praemio essentiali quod debetur meritis praeteritis jam reviviscentibus.

449. — Secunda sententia ponit merita reviviscere respectu ipsius praemii essentialis, ita tamen ut jus ad hoc praemium non semper totaliter recuperetur, sed vel totaliter vel partialiter secundum proportionem contritionis et dispositionum quibus paenitens a peccato resurgit. Nempe, si homo resurgat a peccato secundum totum conatum ei possibilem, ipsi ratione suorum meritorum praeteritorum jam reviviscentium conferri augmentum gratiae sanctificantis respondens toti praemio essentiali illis meritis debito ; si vero homo non adhibuerit in resurgendo a peccato nisi partem conatus ei possibilis, ei pro rata hac parte conferri augmentum gratiae sanctificantis respondens parti praemii essentialis praeteritis ejus meritis debiti, puta, si adhibuerit dimidiam partem conatus ei possibilis, ei restitui jus ad dimidiam partem praemii essentia-

lis meritis praecedentibus debiti, si adhibuerit tertiam partem conatus, ei restitui jus ad tertiam partem hujus praemii, et ita porro. Addunt auctores sic statuentes etiam per bona opera sequentia proportionaliter recuperari gratiam respondentem parti alicui praemii essentialis meritis reviviscentibus debiti. — Ita decernunt plures s. Thomae discipuli, ac nominatim Cajetanus, Capreolus, Ledesma, Sotus, Valentia et Henriquez.

450. — At vero neque haec sententia loquitur consequenter ad principia in quibus fundatur doctrina de reviviscentia meritorum. Etenim a) aut ratione peccati mortalis subsequentis merita praecedentia delentur quoad suam vim, h. e. quoad suam condignitatem ad praemium, et tunc jam reviviscere non possunt; aut ratione peccati subsequentis non delentur quoad suam vim, sed peccatum est solummodo obex obstans quominus vis praeteritorum meritorum actu se exserat, et tunc, remoto obice per justificationem, merita jam reviviscentia movent Deum secundum totam suam vim, proindeque ratione ipsorum Deus statim reddit homini justificato augmentum gratiae respondens toti praemio essentiali hisce meritis debito. Sane b) consideratio majoritatis vel minoritatis dispositionum actualium hominis justificati est impertinens ad rem praesentem. Non enim ratione harum dispositionum actualium, sed ratione meritorum suorum praeteritorum redditur homini justificato augmentum gratiae sanctificantis proportionatum hisce meritis. Sive aliter, hoc augmentum gratiae sanctificantis confertur homini justificato, non prouti vestitur actualibus suis dispositionibus, sed prouti in aestimatione Dei vestitur praeteritis suis meritis jam reviviscentibus. Ulterius c) ad hoc ut restituatur praemium essentiale praeteritis meritis debitum, vel praesentes hominis justificati dispositiones ponuntur requiri per modum dispositionum tantummodo, vel per modum actuum meritoriorum. Si primum dicatur; ergo augmentum gratiae sanctificantis praeteritis meritis respondens non redditur ratione meritorum praeteritorum, sed titulo prorsus gratuito. Si secundum; ergo illud augmentum gratiae sanctificantis non redditur ratione meritorum praeteritorum, sed ratione meritorum praesentium.

451. — Tertia sententia ponit praedicta merita ita reviviscere ut ratione ipsorum conferendus sit quidem homini justificato in principio gloriae totus gradus gloriae hisce meritis respondens, non tamen recuperet homo in praesenti vita augmentum aliquod gratiae sanctificantis. Ita multi Scotistae.

452. — Haec sententia, quantum attinet ad posteriorem suam partem, apparet esse falsa. Homini enim non conferetur in futura vita gloria nisi secundum mensuram gratiae sanctificantis qua in fine vitae praesentis invenietur vestitus. Et hujus ratio est quod homo plus vel minus redditur particeps gloriae, secundum quod plus vel minus Deo est gratus ; non autem homo plus vel minus est gratus Deo per extrinsecum favorem et imputationem, sed ab intrinseco, h. e. ratione modi quo magis vel minus participat gratiam sanctificantem. Et hujus oppositum dicere est tollere necessitatem gratiae sanctificantis. Si enim sine gratia sanctificante potest homo habere jus ad partem gloriae ei in futura vita conferendae; ergo sine gratia sanctificante poterit habere jus ad totam hanc gloriam. — Hinc refellitur ratio quae pro tertia hac sententia ex eo adducitur quod Deus judicaturus est homines non secundum mensuram gratiae sanctificantis ab ipsis participatae, sed secundum opera ipsorum. Nam, uti patet ex dictis, si teneat talis ratio concludendi, perit necessitas gratiae sanctificantis.

453. — Quarta denique sententia in eo consentit cum auctoribus tertiae sententiae, quod et ipsa ponit Deum intuitu operum mortificatorum quae, remoto obice peccati, reviviscunt, restituere homini a lapsu resurgenti jus ad totum illud praemium essentiale quod praeteritis hisce suis meritis homo iste sibi commeritus fuerat. Sed in eo differt haec ultima sententia ab immediate praecedente quod contendit homini a lapsu suo resurgenti non aliter restitui jus illud ad gloriam quod praeteritis suis meritis sibi pepererat, nisi quatenus in ipso justificationis instanti ei confertur augmentum gratiae sanctificantis secundum mensuram praeteritorum suorum meritorum. Et haec quidem sententia, quae est Suarezii, Vasquezii, Cardinalis de Lugo et majoris partis ceterorum theologorum, sola logice cohaeret cum principiis in quibus fundatur assertum de reviviscentia operum peccato mortificatorum. Nam si peccatum superveniens vim atque efficaciam operum bonorum praeteritorum non delevit, sed tantummodo prohibuit ab agendo; ergo, statim atque obex iste peccati removetur, h. e. in ipso justificationis instanti, merita illa rursum vim suam exserunt ; non autem aliter ipsa in eo instanti vim suam rursum exserunt, nisi quatenus in ipsissimo hoc instanti Deus infundit homini resurgenti augmentum gratiae sanctificantis secundum perfectam adaequationem ad praeterita illa ipsius merita.

Quamobrem solummodo superest ut probetur opera bona quae peccato mortificata fuerant, revera per subsequentem justificationem

reviviscere. Nam, si de facto hujus reviviscentiae constiterit, liquet ex hactenus demonstratis logice necessarium esse ultimam ex quattuor sententiis mox recensitis accipere.

Propositio.

Bona opera in statu gratiae peracta, quae subinde, interveniente peccato letali, mortificata fuerant, per subsequentem justificationem reviviscunt quoad totum suum valorem respectu praemii essentialis ; ideoque in ipso justificationis instanti homini a lapsu resurgenti restituitur tota illa gratiae sanctificantis portio quam praeteritis suis meritis sibi acquisiverat.

454. — **Primum argumentum** sumitur ex eo quod, uti antea probatum est, peccata mortalia vere ac proprie remittuntur quoad maculam culpae. Argumentum est hujusmodi. In peccato mortali duo considerari possunt, scilicet conversio ad bonum commutabile et aversio a Deo fine ultimo. In quantum peccatum mortale praecise dicit conversionem ad bonum commutabile, ei non debetur nisi poena temporalis, uti patet ex eo quod, si secus esset, etiam peccatis venialibus, in quibus similiter est conversio ad bonum commutabile, deberetur poena aeterna. Ex quo apparet peccato mortali non deberi poenam aeternam, nisi propter aversionem a Deo fine ultimo, per quam proprie tale peccatum in essentiali sua ratione constituitur. Sublato autem fundamento, necesse est tolli id quod non habet esse nisi in quantum innititur fundamento. Quamobrem post dimissum reatum culpae, qui consistit in habituali animae aversione a Deo, possibile est quidem remanere reatum poenae temporalis, quippe qui fundetur in conversione ad bonum commutabile in ipso etiam peccato veniali adinventa, sed impossibile est remanere reatum alicujus poenae aeternae. Hujus quippe fundamentum, uti modo ostensum est, est solus reatus culpae sive habitualis animae a Deo aversio. Ostensum est autem tum in tractatu de justificatione tum in disputatione quae supra habita est de potestate clavium, in justificatione impii vere ac proprie dimitti omnia peccata mortalia quoad reatum culpae. Necesse est ergo dicere in tali justificatione dimitti etiam impio omnem reatum poenae aeternae. Non autem vere ei dimitteretur omnis reatus poenae aeternae, si praeterita ejus merita non reviviscerent. Privatio enim graduum gloriae hisce suis meritis debitorum quam mortaliter peccando incurrerat, esset poena qua in aeternum maneret

obstrictus. Necesse est ergo dicere in justificatione impii omnia praeterita ejus merita quoad totum suum valorem reviviscere tam respectu praemii essentialis quam respectu praemii accidèntalis.

455. — **Secundum argumentum** sumitur *ex doctrina tradita et definita a concilio tridentino,* in sess. VI, quae est de justificatione. — Ibi in cap. 16 ita pronuntiant patres concilii : « Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, *sive amissam recuperaverint,* proponenda sunt apostoli verba : abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ; non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et : nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Atque ideo *bene operantibus usque in finem* et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna et tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa et *tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.* »

Postea canone 26 ita definiunt patres : « Si quis dixerit justos non debere *pro bonis operibus quae in Deo fuerint facta, exspectare aeternam retributionem* a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint, anathema sit. »

Postremo canone 32 definiunt : « Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum, anathema sit. »

Ex tribus hisce locis tale enascitur argumentum. Ex priore loci, ex capite 16 adducti, parte patet in posteriore ejusdem loci parte nomine *bene operantium usque in finem* intellegi a concilio tam eos justos qui amissam gratiam recuperaverint, quam eos qui acceptam gratiam perpetuo conservaverint. Ex quo efficitur ut etiam in canone 26 justi qui usque in finem perseveraverint, intellegantur esse tam ii qui accepta justitia aliquando exciderint et deinde a lapsu resurrexerint, quam ii qui in justitia semel accepta usque in finem permanserint.

Jam vero 1° in posteriore parte loci ex cap. 16 adducti generaliter dicitur bonis operibus et meritis justorum utrovis modo nuper indicato usque in finem perseverantium reddendam esse mercedem vitae

aeternae, absque hoc quod vel particula aliqua restringente vel saltem vi contextus universalitatem hujus sui asserti limitent patres ad ea justorum bona opera quae nunquam interpolatione peccati letalis mortificata fuerint.

Itidem 2° in canone 26 de omnibus operibus in Deo factis, cujusmodi sunt sane etiam opera quae aliquando propter subsecutum peccatum mortale mortificata fuerant, affirmant concilii patres pro iis expectandam esse aeternam retributionem. Nec alia condicione restringunt hoc suum assertum patres nisi ea ut qui bona haec opera fecerint, usque in finem perseveraverint, h. e., uti supra declaratum est, ut, si forte qui opera haec in gratia peregerint, gratiam deinde amiserint, eam ante vitae finem recuperaverint. Non vero insuper requirunt patres ut opera illa bona pro quibus exspectanda sit retributio aeterna, fuerint facta in gratia quae numquam amissa fuerit, h. e. ipsi non requirunt ut opera illa sine ulla peccati interpolatione manserint viva.

Tandem 3° omnis ambigendi locus circa veram patrum tridentinorum mentem excluditur verbis canonis 32, qui locus est omnium clarissimus. In eo indiscrete definiunt patres justificatum non solum bonis suis operibus, quando haec actu fiunt, mereri augmentum gratiae et vitam aeternam, sed etiam tempore futuro ratione horum suorum operum eum consecuturum esse vitam aeternam atque gloriae augmentum. Nec alia ratione indefinitum hoc suum assertum limitant patres nisi ea ut justificatus qui bona haec opera exercuerit, *in gratia decedat*. Quam condicionem manifestum est verificari, sive demum bona opera de quibus loquuntur patres, aliquando fuerint mortificata, sive semper manserint viva.

456. — Tertium argumentum sumitur *ex incommodis* quae sequerentur, si merita praeterita hominis mortaliter lapsi per subsequentem justificationem non reviviscerent. *Primum* est *incommodum* quod, stante tali suppositione, sequeretur minus perfectum esse ordinem providentiae divinae, quia multi homines minus efficaciter incitarentur ad colenda opera virtutis. Sunt enim multi homines qui propter pravas consuetudines quibus irretiti tenentur, ita sunt facti proclives ad lapsum, ut licet resurgant cum firmo proposito non relabendi, probabiliter tamen praevideant se esse rursum relapsuros. Tales porro homines minus efficaciter excitarentur ad saepius resurgendum a peccato et ad colenda opera virtutis, si per peccatum subsequens omnia ejusmodi opera redderentur irremediabiliter infructuosa ad

salutem. *Secundum* est *incommodum* quod saepe contingeret ex duobus hominibus qui in statu gratiae decedunt, eum qui diutius et ferventius opera virtutis exercuisset, minorem accepturum esse mercedem quam alterum qui breviore tempore et multo segnius Deo serviisset. Pone enim hominem qui toto vitae suae tempore jejuniis aliisque insignioribus virtutis operibus se exercuerit quique paucis ante mortem diebus gravi tentationi succumbens, incidat in peccatum mortale, a quo tamen quam citissime resurgat. Pone jam alterum hominem qui toto ferme vitae suae tempore cupiditatibus suis indulserit, qui tamen aliquot ante mortem annis incipiat bene vivere atque in statu gratiae perseveret, nullos tamen edendo actus virtutis insigniores. Primus ex his hominibus, non obstantibus suis meritis multo majoribus, minus coronabitur quam alter. Atque haec atque alia ejusmodi argumenta ostendunt quidem conveniens fuisse a Deo constitui merita acquisita per subsequens peccatum non funditus deletum et exstinctum iri, sed tantummodo mortificatum et suspensum iri quoad suam efficaciam ; non tamen ostendunt ejusmodi Dei ordinationem fuisse necessariam. Proindeque maxime inhaerendum est duobus prioribus argumentis.

457. — Disputatur etiam inter auctores utrum ex justitia an ex Dei misericordia merita reviviscant. Prius affirmat Vasquez, posterius Suarez, qui sentit potuisse Deum nostra bona opera in gratia facta ita acceptare ad praemium ut tamen simul constitueret haec merita, postquam qui ea acquisivisset, in peccatum lapsus esset, non reditura esse, si peccatum illud deinde remitteretur. Proindeque etiam in hypothesi quod reatus peccati sit plene dimissus a Deo, speciali Dei erga peccatores misericordiae tribuendum esse quod praeterita merita quae peccato interpolata fuerint, reviviscant.

458. — Verior tamen videtur esse sententia Vasquezii. Etenim 1) non satis intellegitur quomodo, si, non obstante hoc quod peccata jam supponuntur esse gratis dimissa, adhuc opus sit speciali Dei misericordia ad hoc ut merita mortificata reviviscant, recuperatio gratiae prius per merita acquisitae ac deinde amissae dicenda sit esse effectus meritorum reviviscentium et non potius ea dicenda sit esse donatio gratuita. Insuper 2) in sententia Suarezii ruit unum ex praecipuis fundamentis propter quae contenditur merita praeterita quae peccato mortali interpolata fuerint, ratione subsequentis justificationis reviviscere. Jam enim falsum erit peccatum quod quoad maculam culpae a Deo dimissum fuerit, non posse aeterna a Deo poena puniri. Tandem 3) in quaestione inter Suarezium et Vasquezium agitata opor-

tet utrimque supponi nostrorum bonorum operum acceptationem ad praemium vitae aeternae fuisse ex parte Dei absolutam. Si enim suspenderetur haec acceptatio a condicione quod non incideremus decursu vitae in peccatum mortale, nostra opera non inciperent esse meritoria nisi in instanti mortis, et per consequens nostra merita, quippe quae nulla adhuc exsisterent, neque mortificari possent per peccatum, neque etiam aboleri; quo posito, jam non subsisteret subjectum de quo proponitur praedicta quaestio. Hinc sententia Suarezii eo redit ut dicatur potuisse Deum velle ratione nostrorum bonorum operum nobis simpliciter conferre jus ad praemium condignum, h. e. ad certos gradus gloriae, potuisse tamen eum simul velle hoc jus jam acquisitum nobis irrecuperabiliter auferre in punitionem peccati, si in illud incideremus. Jam vero, uti patet ex argumento primo supra allato, non intellegitur quomodo talis Dei voluntas componi possit cum voluntate condicionata quidem, sed seria, dimittendi peccatum; cujusmodi tamen voluntatem condicionatam haberi a Deo, in praesenti quaestione praesupponitur. Quamobrem dicendum videtur in voluntate qua Deus nostra bona opera in gratia facta acceptavit ad meritum, prouti talis voluntas conjungitur cum voluntate condicionata ac seria dimittendi nostra peccata, necessario includi voluntatem non exstinguendi merita jam acquisita propter consequens peccatum ita ut, duplici illa voluntate Dei supposita, non alius in revisiscentia merito rum interveniat ex parte Dei novus actus misericordiae nisi ille qui consistit in gratuita remotione obicis per infusam gratiam sanctificantem.

459. — Quaeritur etiam ab auctoribus utrum peccata semel dimissa redeant propter subsequens peccatum. Quae quidem quaestio non pertinet ad tractatum de paenitentia, tractari tamen ibi solet propter connexionem quam habet cum praecedente quaestione. Respondendum est autem non alia ratione possibile esse peccata redire, nisi quatenus dimissa essent tantummodo quoad reatum poenae, non vero quoad reatum culpae. Ideoque si, uti in praesenti ordine providentiae contingit, ea simpliciter dimissa sint tam quoad reatum culpae quam quoad reatum poenae, impossibile esse ea redire. Sicut nec merita redire possent, si non solummodo eorum efficacia suspensa esset quoad effectum gratiae et gloriae, sed ipsamet eorum vis meritoria exstincta esset. Impossibile est enim redire illud quod jam penitus est abolitum.

460. — Est et quarta quaestio quam hic breviter tangi oportet, — tum quia ejus solutio pertinet ad complementum doctrinae modo

stabilitae de recuperatione gratiae amissae, — tum quia contingit eam a quibusdam perperam confundi cum doctrina de reviviscentia meritorum. Sciendum est itaque totam illam gratiam sanctificantem quam homo qui prius justificatus fuerat, per subsequens peccatum mortale a se admissum amittit, dividi posse in duas partes, quarum prior reddita sit meritis, h. e. operibus bonis in gratia factis, altera vero omnino gratis sit collata. Porro ad posteriorem hanc gratiae sanctificantis partem pertinent a) gratia sanctificans quae vel intuitu contritionis perfectae vel efficientia sacramenti baptismi vel sacramenti paenitentiae in justificatione infunditur, et b) augmentum gratiae sanctificantis quod causatur iis sacramentis quae in statu gratiae recipiuntur.

461. — Quaeritur jam utrum homini qui mortaliter peccando gratiam sanctificantem amiserit, restituatur in subsequente ipsius justificatione etiam ea gratiae amissae pars quae non propter ipsius merita, sed gratis ei fuerat collata. Respondet Vasquez negando talem gratiam recuperari, eo quod sententia hujus oppositum asserens neque colligatur ex scripturis vel patribus, neque alio solido fundamento nitatur. Oppositum decernunt Suarezius, Lugo et ceteri ferme theologi, estque horum sententia amplectenda. Sola quippe cohaeret cum doctrina de reviviscentia meritorum hactenus asserta et probata.

462. — Etenim 1° gratia illa sanctificans de cujus recuperatione modo quaeritur, homini prius justificato collata fuit intuitu meritorum Christi ei sive per sacramenta sive alia ratione applicatorum. Jam vero haec Christi merita, ubi semel nobis efficaciter applicata fuerunt, evadunt quadantenus nostra ; vel certe, tametsi homo quibus haec merita applicata fuerunt, incidat in peccatum mortale, ea tamen, *uti fuerunt huic homini applicata,* retinent in acceptatione Dei suam vim meritoriam non minus quam merita hujus hominis propria; propterea-que peccatum superveniens nequit esse respectu illorum meritorum, prouti haec sunt applicata, nisi obex impediens atque suspendens actualem eorum influxum. Et si dicatur hoc totum gratis assumi : contra est, quia veritas ejus quod hic dicitur, manifeste patet ex vi eorum sacramentorum quae possunt esse valida, non obstante hoc quod cum fictione recipiuntur. Propter hoc ipsum videlicet quod valida horum sacramentorum celebratione merita Christi revera applicata fuerunt, haec merita, prouti fuerunt applicata, retinent suam vim, non obstante fictione quam inveniunt in subjecto praedicta sacramenta recipiente. Et propterea, remota fictione, merita Christi, prouti fuerunt

applicata per sacramentum, illico exercent suam efficaciam. Ex quo manifeste colligitur peccatum esse tantummodo obicem impedientem actualem influxum meritorum Christi homini applicatorum, non vero ipsum esse destructivum applicationis horum meritorum prius alicui homini factae.

463. — 2° Uti jam antea arguebamus, propter hoc ipsum quod Deus habet voluntatem, condicionatam quidem, sed seriam, remittendi peccata hominis adhuc in via exsistentis, nullum peccatum mortale, durante hac vita, aeterna aliqua poena punitur, sed sententia decernens talem poenam differtur, usque dum homo ex hac vita migraverit. Sed si per subsequentem justificationem homo non recuperaret totam illam gratiae sanctificantis ei gratis collatae mensuram quam mortaliter peccando amiserat, homo ratione peccati jam dimissi aeterna aliqua poena plecteretur. Et per consequens, uti similiter jam antea ostensum est, peccatum ejus non fuisset vere dimissum quantum ad reatum culpae.

464. — 3° Ex sententia ponente per subsequentem justificationem non recuperari gratiam illam, titulo liberalis donationis collatam, quae peccato amissa fuerat, non minora sequuntur incommoda quam ex sententia ponente per subsequentem justificationem merita non reviviscere. Profecto studium frequenter suscipiendi sacramenta langueret, si jus illud ad gratiam et ad gloriam quod vi applicationis meritorum Christi per sacramenta factae nobis acquiritur, penderet totum quantum, etiam prouti est jus remotum, ab ininterrupta nostra in statu justitiae perseverantia. Contingeretque frequenter ut aliqui qui quam saepissime et cum ingenti fervore hosce fontes salutis a Christo in sua ecclesia constitutos adiissent, minorem ex iis fructum in aeternam vitam redundaturum reportarent quam alii qui multo rarius multoque segnius ad eosdem accessissent. Quod certe haud parum derogat efficaciae applicationis meritorum Christi quodque itidem non videtur satis congruere fini quem in instituendis sacramentis Christus spectavit.

Solvuntur difficultates.

465. — Contra principalem assertionem **objiciunt** 1°: Similiter se habent merita ad remunerationem et peccata ad punitionem. Sed peccata per justificationem dimissa non redeunt per subsequens peccatum. Ergo neque merita per peccatum mortificata redeunt per subsequentem justificationem.

466. — **Respondetur** sicut in peccato se habet reatus culpae ad punitionem, ita etiam in opere meritorio se habere vim meritoriam ad remunerationem. Proptereaque, sicuti, destructo per justificationem reatu culpae, impossibile est peccatum redire; ita etiam si aboleretur per peccatum vis meritoria operum in gratia factorum, impossibile fore merita beneficio subsequentis justificationis redire. Modo tamen propter condicionatam Dei voluntatem dimittendi peccata hominis adhuc in via exsistentis peccata quidem per subsequentem justificationem tolluntur quoad ipsum reatum culpae; contra, merita per subsequens peccatum non tolluntur quoad vim meritoriam quam habent in acceptatione divina, sed solummodo haec eorum vis per peccatum tamquam obicem impeditur ab actualiter influendo. Eaque de causa non tenet paritas in Majori asserta, si sensu objicientium accipiatur.

467. — **Objiciunt** 2°: Si per subsequens peccatum mortale merita non exstinguuntur, sed impediuntur tantummodo ab actualiter Deum movendo; ergo etiam hominum aeternaliter ad poenas inferni damnatorum merita praeterita remanent in acceptatione divina quantum ad suam vim meritoriam, et per consequens homines hi damnati retinent jus saltem remotum ad beatitudinem et ad gloriam. Consequens est absurdum. Ergo etiam antecedens.

468. — **Respondetur** *negando consequentiam in Majore assertam.* Et ratio negationis est quod respectu damnatorum Deus non habet voluntatem condicionatam iis aliquando sua peccata dimittendi. Hinc videlicet fit ut respectu damnatorum deficiat ratio propter quam de homine adhuc in via exsistente asserimus per subsequens peccatum ejus praeterita merita non exstingui et aboleri in acceptatione divina, sed dumtaxat impediri et suspendi quoad suam efficaciam.

469. — **Objiciunt** 3° ex Ezech. XVIII, 21-24, ubi propheta Deum sic loquentem inducit: « Si impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua quam operatus est, vivet... Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem,... omnes justitiae ejus quas fecerit, non recordabuntur: in praevaricatione qua praevaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. »

Unde ita: Secundum consuetudinem loquendi scripturarum Deum *non recordari* quorumdam, *oblivisci* quorumdam (Ezech. XXXIII, 13), idem significat atque ea in acceptatione vel appretiatione divina penitus aboleri. Atqui, uti edicitur in loco Ezechielis modo adducto, sicuti Deus propter subsequentem justificationem jam non amplius recordatur

peccatorum praeteritorum, ita ipse propter subsequens peccatum jam non amplius recordatur operum praeteritorum in statu justitiae peractorum. Ergo sicuti propter consequentem justificationem peccata praeterita penitus abolentur in aestimatione Dei quoad ipsum reatum culpae ; ita propter subsequens peccatum mortale bona opera in statu justitiae peracta penitus abolentur in acceptatione Dei quoad ipsam suam vim meritoriam.

470. — **Respondetur** loco citato impium qui se converterit ad justitiam, et justum qui se converterit ad impietatem, inter se contendi a propheta, quatenus uterque intellegitur jam in termino positus esse ; secundum talem autem considerationis modum a nobis concedi merita praeterita hominis qui factus sit impius, penitus aboleri in Dei scientia approbationis, h. e. in voluntate divina acceptante.

471. — **Objiciunt** 4° : Saepe contingit aliquem qui crimen laesae majestatis commiserit cujusque res idcirco fisco applicatae fuerint, postea recipi in gratiam, nec tamen ei restitui bona quibus spoliatus fuerat. Ergo cum hoc quod fiat plena condonatio alicujus delicti, stat reo cui ignoscitur, non restitui bona quibus in punitionem sui delicti prius privatus fuerat.

472. — **Respondetur** *negando paritatem.* Ad hoc ut casus rei qui propter crimen laesae majestatis inimicitiam regis incurrerit, esset revera similis casui peccatoris qui inimicitiam Dei incurrerit, oporteret regem jam a principio habere voluntatem plene condonandi reo, si is resipiscere voluerit. Et tunc intellegeretur quidem reum, quamdiu regem congrua satisfactione non placaverit, manere privatum proximo jure ad sua bona, non tamen intellegeretur eum privari jure etiam remoto ad sua bona, ita ut ne tunc quidem haec ei restituerentur, quando ei plenaria fieret sui criminis condonatio.

CAPUT XI.

De notione et partitione contritionis.

473. — Sufficienter decisis iis quae quaeri poterant de forma sacramenti paenitentiae, jam enucleate explicanda est materia vel quasi materia hujus sacramenti, qui sunt actus paenitentis. Inter quos primum locum sibi vindicat contritio. De qua illud certum est eam, prouti est pars vel quasi pars sacramenti paenitentiae, ei contritioni, quae est

dispositio requisita ad hoc sacramentum fructuose percipiendum, nihil superaddere nisi exteriorem hujus dispositionis manifestationem. Proptereaque sufficiet in tota hac nostrae tractationis parte considerationem restringi ad contritionem, prouti sive se sola, sive quatenus conjungitur cum reali sacramenti paenitentiae susceptione, est proxima dispositio ad justificationem consequendam. Proximam autem dispositionem ad justificationem vocamus actum paenitentis ad quem non propter intrinsecum ejus valorem, sed ex voluntate ac veluti pacto quo Deus se liberaliter obligavit, de necessitate sequitur justificatio. Ex qua definitione intellegitur actum qui sit proxima dispositio ad justificationem, non esse meritorium stricto sensu, h. e. de condigno, sed de congruo tantummodo.

Porro contritio, prouti sive se sola sive in et cum sacramento est proxima ad justificationem dispositio, definitur a concilio tridentino esse *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*. Circa quam definitionem plurima emergunt dubia : ambigitur videlicet tum de ejus veritate tum praesertim de ejus sensu.

474. — Et primo quidem dubitatur utrum verum sit id quod assumitur in tali definitione, ad veram videlicet peccatoris conversionem requiri actus quosdam hujus peccatoris circa peccata sua praeterita exercitos. Videtur enim talis assumptio esse manifeste falsa. Etenim 1) ad hoc ut homo affectum suum convertat a peccato ad Deum, sufficit ut ipse affectum suum sejungat a peccato et eum jam adjungat Deo ; hoc autem totum fieri potest sine hoc quod ipse actum aliquem positivum exerceat circa peccata sua praeterita. Sive, quod idem est, homo vere convertitur a peccato ad Deum, eo ipso quod cessat adhaerere peccato et quod incipit adhaerere Deo. Licet autem ipse nequeat adhaerere Deo sine actu positivo ; potest tamen cessare ab adhaerendo peccato sine actu positivo. Talis quippe cessatio non nominat nisi *negationem actus* quo antea adhaerebat peccato. Sane 2) si homo omnia sua peccata praeterita oblitus esset, ipse nihilominus posset vere converti ad Deum ; non autem aliter ipse tunc converti posset ad Deum, nisi quatenus cessaret adhaerere peccato et jam inciperet adhaerere Deo ; non ergo ad rationem verae conversionis a peccato ad Deum requiruntur in homine se convertente actus quidam positivi circa peccata sua praeterita exerciti. Itidem c) peccata ab homine commissa nihil immutant in facultate quam antequam peccaret, habebat talis homo Deo cum auxilio gratiae efficaciter adhaerendi. Sed antequam peccaret, poterat ille homo cum concursu gratiae divinae

singulis instantibus Deo adhaerere, absque hoc quod ullos exerceret actus circa peccata, quae nulla adhuc commiserat. Ergo etiam postquam peccavit, potest ille homo incipere efficaciter adhaerere Deo, absque hoc quod exerceat positivos aliquos actus circa peccata a se commissa. Sed eo ipso quod jam efficaciter adhaeret Deo, intellegitur esse conversus ad Deum; quia nemo transit ab uno termino ad alterum terminum oppositum sine conversione ad hunc alterum terminum.

475. — Uti satis apparet ex iis quae olim explicata sunt, intenditur hisce rationibus concludi sententia Lutheri asserentis ad veram peccatoris conversionem non requiri actus qni respiciant vitam praeteritam, nempe actus consistentes in odio, detestatione ac dolore peccatorum antea admissorum, sed sufficere actum qui respiciat futurum, nempe actum consistentem in proposito novam vitam inchoandi.

476. — Est autem valde notandum quinam sint illi detestationis ac doloris actus quorum non modo necessitatem, sed etiam utilitatem negat Lutherus. Non enim intendit ipse loqui de ea detestatione eoque dolore qui sint aliquid necessario consequens ad actum quo Deo ac justitiae peccator adhaerere incipit. Ejusmodi quippe actus plerumque comitari peccatoris ad Deum conversionem nunquam inficiatus est Lutherus. Sed quaestio est cum ipso utrum peccator volens jam efficaciter sese convertere ad Deum, debeat vel saltem utiliter possit intendere dolorem de suis peccatis, et utrum vi talis intentionis ipse debeat vel saltem utiliter possit applicare tum intellectum ad consideranda sua peccata tum voluntatem ad ea detestanda. Negat id Lutherus, id vero affirmat concilium tridentinum. In sessione videlicet sua XIV, can. 5, doctrinam Lutheri hisce verbis patres sub anathemate damnant: « Si quis dixerit eam contritionem *quae paratur per discussionem, collectionem ac detestationem peccatorum,* qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium, anathema sit. »

477. — Ceterum in negotio justificationis detestationem peccatorum et dolorem de iis conceptum requiri per se et non solummodo tamquam quaedam concomitanter se habentia ad actum quo jam Deo adhaerere incipit peccator, patet ex iis scripturarum et patrum testimoniis quae priore parte hujus tractatus, cap. 1, ad convellendum errorem Lutheri

adduximus. Idem etiam colligitur ex manifesta ratione. Deus enim ad quem converti oportet peccatorem, non se habet respectu ipsius eodem modo atque respectu justi qui nunquam peccavit, sed se habet erga eum ut offensus ejus peccatis eique iratus. Quapropter non aliter convertitur peccator ad Deum, nisi quatenus incipit adhaerere Deo ut est placandus, ei exhibendo satisfactionem pro offensis ei illatis; eatenus autem pro his offensis Deo satisfactionem exhibet, quatenus eas voluntate retractat, peccata sua detestando de iisdemque dolendo. Sane, etiam quando cum homine quem forte offendimus, in gratiam redire volumus, ante omnia ei significamus nobis displicere offensam ei irrogatam de eademque nos dolere. Multo ergo magis ad hoc ut cum Deo offenso in gratiam redire possimus, necesse est a nobis concipi detestationem ac dolorem peccatorum quibus Deum offendimus.

Ex hac ultima ratione patet reponsio ad argumenta quae fiebant pro sententia Lutheri.

478. — Secundum est dubium utrum detestatio peccatorum ingrediatur essentiam contritionis, an vero ad hujus essentiam se habeat *praesuppositive*. Quod idem est atque quaerere utrum detestatio peccatorum ponatur in definitione contritionis secundum se et absolute, an tantummodo propter essentialem respectum quem habet dolor ad ipsam tamquam ad causam suam. Hoc posterius affirmandum esse autumant nonnulli auctores, hisce ducti rationibus. 1) Cum detestatio peccatorum praecedat causetque dolorem qui de peccatis concipitur, si detestatio peccatorum esset de essentia contritionis, ei in definitione contritionis primus locus assignandus esset; quia ergo ea non ponitur in definitione contritionis nisi consequenter ad dolorem, signum est eam non poni in hac definitione ratione sui, sed solummodo propter respectum doloris ad ipsam. — 2) In sessionis VI canone 5° superius citato dicitur contritionem *comparari* discussione, recollectione et *detestatione peccatorum;* ubi manifestum est detestationem peccatorum enumerari inter ea quae se habent praesuppositive ad contritionem. — 3) Patres agentes de contritione vel ejus propriam notionem explicantes, eam reponunt in solo dolore de peccatis commissis, prouti sibi habet conjunctum propositum peccata in posterum vitandi. Sic, v. g. s. Gregorius papa, in evang., hom. 34 : « Paenitentia est peccata praeterita plangere et plangendo iterum non committere. » S. Augustinus, Enchir., c. 65 : « In actione paenitentiae non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humilitatum Deus non spernit. »

479. — Verior tamen est sententia ad contritionem, qualiter modo

de ea loquimur, detestationem peccatorum pertinere essentialiter et non tantum modo praesuppositive. Ratio est quod contritio, qualis modo a nobis consideratur, est proxima dispositio ad justificationem ; hanc autem oportet esse formaliter liberam ; quia secus ipsa, in quantum hujusmodi, non esset meritoria de congruo ; non autem dolor, sed detestatio peccatorum, ad quam de necessitate sequitur dolor, est actus secundum se et formaliter liber.

Quae vero contra hanc sententiam ex concilio tridentino adducta sunt, solvuntur dicendo nihil obstare quominus suo modo loquendi patres significare voluerint non secundum omnem modum loquendi de contritione detestationem peccatorum esse de essentia ipsius. Ad rationem ex patribus ecclesiae adductam dicitur eos nominibus doloris, fletus, planctus atque aliis ejusmodi comprehendere etiam detestationem peccatorum.

Arguit insuper Billuartus pro prima sententia ex eo quod contritio est actus virtutis specialis ; talis autem actus est unus, non vero aggregatum ex pluribus actibus specie distinctis. Verum hoc est inane. Nam et negari potest contritionem, quocumque demum modo accipiatur, esse actum unius virtutis, et modo agitur de contritione, prouti est ultima dispositio ad justificationem ; hanc porro non repugnat coalescere ex pluribus.

480. — Tertium dubium est an propositum non peccandi de cetero debeat esse explicitum et formale, an vero sufficiat ipsum esse implicitum et virtuale. Ad cujus solutionem praenotandum est unum actum dici continere implicite et virtualiter alterum, quando ille alter actus de necessitate ex eo sequeretur, si ejus objectum menti praesens obversaretur. Secundum talem autem modum intellegentiae manifestum est propositum non peccandi de cetero contineri virtualiter in detestatione peccatorum, quotienscumque haec procedit ex motivo universaliter repugnante cuicumque peccato. Quia enim tale motivum repugnat peccatis quae in posterum committi possent non minus quam peccatis vitae anteactae, manifestum est voluntatem vi talis motivi, in quantum actu et efficaciter eam movet, necessario aversaturam esse peccata quae in posterum committi possent, si ad haec actualiter adverteret.

481. — Atque ex his patet solutio quaestionis propositae. Nempe a) si vera sit sententia Pallavicini dicentis sufficere ut qui ad confessionem accedit, detestetur peccata a se commissa ex motivo vel ex motivis specialibus, dicendum est quotienscumque detestatio ac dolor peccatorum ex talibus motivis concipitur, necesse esse concipi ex motivo aliquo universali propositum explicitum de non peccando in posterum.

Si vero b) detestatio peccatorum supponatur procedere ex motivo universali, videtur moveri quaestionem de verbo. Etenim tunc, quotienscumque habetur actualis advertentia ad periculum peccandi in futuro, de necessitate sequitur propositum explicitum, non quidem distinctum, sed confusum, omne peccatum in posterum vitandi. Si vero, uti haud raro contingit, alicui tunc non occurrit cogitatio de peccatis in quae postea incidere posset, ipsi auctores qui, uti Billuart, requirunt propositum explicitum non peccandi de cetero, dicunt sufficere propositum implicitum. Et revera ita dicendum est, si supponatur sermo fieri de contritione extra sacramentum justificante. In tali enim casu, uti olim ostensum est, ne requiritur quidem semper *detestatio formalis*.

Quod si sermo sit de contritione non justificante nisi cum reali usu sacramenti, ratio cur in tali casu semper opus esset proposito formali, non aliunde peti posset quam ex eo quod tale propositum sit materia essentialis sacramenti. In qua ratione falsum assumi manifestum est, non enim sunt materia essentialis sacramenti paenitentiae ii paenitentis actus qui neque pertinent ad internam dispositionem paenitentis neque etiam ad sufficientem informationem judicis paenitentialis ; non autem in sacramento paenitentiae propositum formale potest requiri per modum dispositionis internae, quia si ita esset, requireretur etiam ad justificationem extra sacramentum, neque ullo pacto pertinere potest ad sufficientem informationem judicis paenitentialis in ordine ad dandam absolutionem.

482. — Quod jam attinet ad partes subjectivas vel quasi subjectivas contritionis, solemnis est divisio contritionis in contritionem perfectam, quae sola proprio nomine dicitur *contritio*, et contritionem imperfectam, quae dici solet *attritio*. Quae quidem divisio attenditur ex parte efficaciae contritionis. Verum de efficacia contritionis possumus loqui dupliciter. *Primo* ita ut effectus respectu cujus consideratur vis atque efficacia contritionis, sit actualis exclusio omnis affectus peccandi, non solum negative, sed contrarie. Et secundum talem modum considerationis non dividitur contritio in contritionem perfectam et contritionem imperfectam, sed in *contritionem efficacem* et *contritionem inefficacem*.

Ad hoc porro ut contritio dicatur esse efficax, non sufficit ab habente contritionem abesse omnem actualem affectum ad peccandum, sed requiritur insuper ut in sensu composito contritionis actu ab ipso habitae repugnet ipsum redire ad peccandum sive re sive affectu. Ex quo apparet contritionem quae sit efficax, se habere contrarie ad affectum peccandi.

483. — Detestatio ac dolor in tali contritione inclusi dicuntur *detestatio super omnia* (detestabilia) et *dolor super omnia.*

Quando autem dicitur actum contritionis non esse efficacem nisi vi talis actus voluntas detestetur peccatum super omnia detestabilia, intellegendum est malum peccati comparari ad ea tantummodo mala quae vel nata sunt vel saltem possibilia sunt non posse vitari absque hoc quod incurratur peccatum mortale. Quamobrem, ubi aliquis explorare intendit sitne efficax detestatio qua movetur adversus sua peccata, non oportet ut optionem sibi proponat faciendam inter malum peccati et id genus malorum quorum fuga impossibile est induci peccatum. Sic v. g. non oportet ut aliquis sibi proponat potius in aeternum cremari in gehenna vel potius in aeternum carere beatitudine caelesti quam unquam venire in deliberationem mortaliter peccandi. Impossibile est quippe a) ut propter fugam poenarum gehennae vel propter prosecutionem beatitudinis caelestis aliquis incurrat in peccatum mortale. Immo b) non aliter possibile est vitari gehennam et perveniri ad beatitudinem, nisi quatenus vitatur peccatum mortale vel hujus venia obtinetur. Adde c) quod absonum foret dicere aliquem non posse efficaciter detestari peccatum, nisi abjiciat a se vim eorum motivorum quibus et Deus ipsum a peccando avocat et ipse saepe unice efficaciter inducitur ad peccata sua praeterita detestanda.

484. — Contritio est inefficax, quando, etiamsi in habente eam non adsit actualis affectus peccandi, non tamen vi talis contritionis necessario excluditur ab habente eam actualis peccandi affectus, tamquam aliquid cum ea incompossibile. Sive, quod idem est, contritio quae sit inefficax, non est *detestatio peccatorum super omnia ea detestabilia quae aliquando contingit admitti debere ut ne incidatur in peccatum mortale.* Immo, si proprie et in rigore loquendum sit, contritio quae sit inefficax, ne dici quidem potest peccatorum detestatio ; non est enim nisi simplex displicentia ; detestatio autem proprie accepta non nominat simplicem displicentiam, sed displicentiam efficacem. Itemque, licet contingat contritioni inefficaci adjungi debile aliquod propositum non peccandi de cetero, tale tamen propositum non potest vere ac proprie vocari propositum ; quia propositum proprie acceptum nominat voluntatem efficacem : qualecumque autem illud propositum non peccandi quod contingit adjungi contritioni inefficaci, non est voluntas efficax, sed *velleitas quaedam.*

485. — Manifestum est autem contritionem quae sive se sola sive in sui conjunctione cum sacramento paenitentiae sit proxima dispositio

ad justificationem, non posse esse aliam quam *contritionem efficacem.* Quippe contritionem quae sit proxima dispositio ad justificationem, oportet esse aversivam a peccato et conversivam ad Deum, talis autem est sola contritio efficax, uti patet ex proxime dictis. Immo usu omnium ferme theologorum quem patres tridentini in sessione sua XIV, cap. 4, sua contritionis definitione sanxerunt, contritio, etiam prouti est nomen genericum, non dicitur nisi de sola detestatione peccatorum efficaci. Quapropter, quando fit sermo de contritione inefficaci, intellegendum est hoc epitheto *inefficax* eripi id cui additur, a propria ratione contritionis, ita ut idem sit dicere contritionem esse inefficacem atque dicere eam esse *contritionem falsam.* Quam quidem contritionem falsam contingit aliquando credi esse veram contritionem, vocarique tunc potest *contritio existimata.*

486. — Ingerit se hic molesta quaestio, quae modo non decidenda est, sed proponenda tantummodo, utrum videlicet contritio efficax specie differat a contritione inefficaci *quae ex eodem motivo eliciatur.* Uti si v. g. unus homo ex motivo Dei propter se dilecti moveatur ad efficacem suorum peccatorum displicentiam, alter vero ex eodem motivo moveatur ad inefficacem suorum peccatorum displicentiam, quaeritur utrum hae duae displicentiae specie inter se differant. Videri posset negativam hujus quaestionis solutionem tenendam esse. Actus enim voluntatis specie inter se differunt secundum diversitatem specificam suorum objectorum motivorum ; tali autem modo non differunt displicentia efficax et displicentia inefficax de quibus quaestio movetur ; supponuntur enim procedere ex eodem motivo. Et si dicas suppositionem ex qua procedit quaestio, esse falsam ; semper enim, quando displicentia peccatorum est efficax, eum qui habet talem displicentiam, moveri ex aliqua ratione objectiva in motivo considerabili qua non movetur is qui non concipit nisi displicentiam inefficacem suorum peccatorum; et per consequens, simpliciter loquendo, semper displicentiam peccatorum efficacem et displicentiam eorumdem inefficacem differre ex parte rationis moventis et specificantis; si ita dicas, inquam, videtur haec esse fuga et non vera responsio. Nam primum quidem contingere potest ut in motivo quod unum hominem movet ad displicentiam efficacem, alterum vero ad displicentiam inefficacem, non sit nisi una ratio considerabilis, et tunc impossibile erit dicere duas hasce displicentias differre inter se ex parte rationis moventis. Et deinde ex quacumque demum ratione motiva dicas procedere displicentiam efficacem, consideratam prouti est efficax, ex eadem poterit aliquis

moveri ad displicentiam inefficacem. Absurdum enim esset dicere aliquas rationes ex parte objecti motivi considerabiles posse tantum movere efficaciter, alias vero posse movere et efficaciter et inefficaciter. Hoc enim si verum esset, libertatem arbitrii tolleret. — Ad haec accedit quod ex ipsis terminis notum videtur displicentiam efficacem et displicentiam inefficacem differre inter se secundum majorem vel minorem firmitatem qua voluntas adhaeret motivo ; major autem vel minor firmitas adhaesionis, quippe quae non se teneat ex parte objecti, sed ex parte potentiae attingentis objectum, non videntur diversificare actum specificum, sed tantummodo actum individualem, in quantum unus actus individualis potest habere majorem intensionem gradualem quam alius actus ejusdem speciei. Quod si ita est, jam consequenter dicendum erit ad hoc ut displicentia de peccatis concepta sit efficax, requiri in ea certum aliquem intensionis gradum, ad quem si displicentia non pertingat, non erit vera, sed falsa vel existimata contritio. Ita ut non aliter nisi quatenus consideratio restringitur ad eos intensionis gradus intra quorum latitudinem contritio efficax variari potest, verum sit dicere certum aliquem gradum intensitatis non esse de ratione contritionis quae sit dispositio ad justificationem. — Haec sententia, quae multorum est auctorum, idcirco hic in antecessum exponenda fuit, ne impedita evaderet intellegentia eorum quae de altera contritionis divisione in perfectam et imperfectam jam deinceps dicenda erunt. Ceterum sitne vera an falsa nonnisi postea dijudicari poterit.

487. — Secundo itaque modo possumus loqui *de efficacia contritionis* ita ut effectus respectu cujus consideratur haec ejus vis et efficacia, sit remissio peccatorum et reconciliatio cum Deo. Secundum talem autem modum loquendi de contritionis efficacia, contritio dividitur in contritionem perfectam, quae sola proprio nomine dicitur contritio, et contritionem imperfectam, quae dici solet attritio. Contritio videlicet quae hoc nomen contritionis sibi tamquam proprium vindicat, est ea quae justificat extra sacramentum, eo quod per modum meriti de congruo per se solam est proxima ad justificationem dispositio ; contritio vero quae proprio nomine dicitur attritio, ea est quae non justificat nisi cum reali sacramenti paenitentiae susceptione, eo quod, quantum est per se solam, non est ad justificationem nisi dispositio remota.

488. — Manifestum est autem voces *contritionis* et *attritionis,* prouti accipiuntur ad significandam detestationem dolorosam peccatorum, continere metaphoram. Ratio autem hujus usus metaphorici sita est

in eo quod cor peccatoris est veluti obduratum; continuo enim resistit pulsationibus gratiae divinae. Et propterea non aliter cedit cor peccatoris efficaci gratiae divinae impulsui ipsum ad dolendum de suis peccatis moventi, nisi quatenus concepto de suis peccatis dolore quadantenus frangitur. Et quidem, si dolor de peccatis sit perfectus, erit fractio cordis perfecta, si vero dolor de peccatis sit imperfectus, erit fractio cordis imperfecta. Quia ergo quando corpus aliquod durum per factam ejus divisionem usque in partes minimas perfecte frangitur, illud corpus dicitur comminui sive conteri, quando vero tale corpus per factam ejus divisionem in partes majores et grossiores nonnisi imperfecte frangitur, illud dicitur tantummodo atteri, idcirco dolor perfectus de peccatis dictus est contritio, dolor vero imperfectus de peccatis dictus est attritio.

489. — Est autem per se manifestum contritionem quae sit perfecta, esse secundum se et entitative meliorem sive perfectiorem quam contritionem quae sit tantummodo imperfecta. Et propterea videri posset perperam nos supra asseruisse divisionem contritionis in perfectam et imperfectam attendi ex parte effectus quem contritio per modum dispositionis causat. Unumquodque quippe per proprium suum esse in sua perfectione constituitur et per consequens contritio perfecta per se, h. e. ratione sui intrinseci valoris, non vero per accidens, h. e. ratione alicujus ad se immediate consequentis, primo distinguitur a contritione imperfecta. Et haec quidem verissime dicuntur; stat tamen cum istis verissime a nobis assertum esse non satis posse distingui contritionem perfectam a contritione imperfecta nisi ratione habita justificationis ad eam tamquam ad dispositionem complete sufficientem immediate consequentis. Et hujus ratio est quod non repugnat Deum libere constituisse ut non solum perfectissimus ille de peccatis dolor ad quem quasi connaturaliter sequitur justificatio, sed etiam aliae species vel modi doloris minus perfecti essent dispositio complete sufficiens ad justificationem. Quia ergo in divisione contritionis quae praemissa est, intendimus complecti nomine contritionis perfectae omnem de peccatis dolorem qui de facto sit dispositio immediate et complete ad justificationem sufficiens, idcirco necessario dicendum est non aliunde quam ex consecutione hujus effectus qui est justificatio, sufficienter innotescere posse quaenam sit contritio perfecta in sensu per divisionem intento.

490. — Efficitur tamen ex rationibus modo assignatis omnem contritionem quae sit perfecta, intrinseca sua perfectione distingui

a contritione imperfecta. Ideoque jam quaeritur in quonam consistat intrinseca differentia inter contritionem perfectam et contritionem imperfectam, h. e. inter contritionem proprie dictam et attritionem. Quae quidem quaestio nonnisi postea data opera disputanda erit; modo tamen diversae rationes eam solvendi jam aliquatenus indicandae sunt, ut intellegi possit multiplex usus harum vocum contritionis et attritionis. Sunt autem duo praecipue eam solvendi modi.

491. — Verior eaque communior est sententia contritionem ab attritione differre specie, et non numero dumtaxat. Utriusque videlicet discrimen in eo esse constitutum quod motivum contritionis perfectae sit *bonitas divina,* prouti est objectum formale virtutis theologicae caritatis, motivum vero attritionis non sit hoc motivum caritatis divinae, sed quodlibet aliud motivum quod aptum natum sit efficaciter movere hominem ad detestanda sua peccata. Quaenam vero sint haec attritionis motiva a motivo caritatis theologicae differentia, explicat haec sententia, dicens ea commode revocari posse ad duo ea quae assignantur a concilio tridentino, in sess. XIV, cap. 4, nempe a) *ad turpitudinis peccati considerationem* et b) *ad gehennae et poenarum metum.* In peccato quippe quolibet non esse considerabiles nisi duas rationes generales propter quas homines universaliter et efficaciter induci queant ad illud detestandum, nempe a) malitiam quae per se et intrinsece ei competit in ordine morali propter ejus oppositionem ad bonum virtutis, et b) malum poenae quod ei adnexum est ex ordinatione divina. Si in peccato consideretur prima ratio illud detestandi, nempe malitia ejus intrinseca in ordine morali, sic haberi primum motivum a patribus tridentinis assignatum, nempe *turpitudinis peccati considerationem.* Oportere tamen amplitudine hujus motivi eximi supremam illam malitiam quae inest peccato propter ejus oppositionem ad bonum virtutis theologicae caritatis, h. e. ad bonitatem divinam. Quippe ferri in detestationem peccati, prouti illud est detestabile propter talem suam malitiam, proprium esse solius contritionis perfectae. Si vero in peccato consideretur altera ratio illud detestandi, nempe malum poenae ei divinitus adnexum, sic haberi alterum motivum a patribus tridentinis assignatum, nempe gehennae et poenarum metum. Sane poenas quas Deus sumit de peccatis reduci ad haec tria, videlicet a) ad aeternos gehennae cruciatus, b) ad aeternam beatitudinis amissionem et c) ad poenas temporales quas Deus immittit propter peccata. Porro metum incurrendi sive primam ex hisce poenis sive secundam sive utramque simul generali nomine appellasse patres tridentinos metum

gehennae, eo quod ad poenam gehennae pertineat tam poena damni quam poena sensus. Metum vero incurrendi tertiam ex poenis praedictis esse metum earum poenarum quarum praeter poenam gehennae meminerunt patres tridentini in assignatione secundi attritionis motivi.

492. — **Objicitur** tamen contra haec, posse aliquem *ex desiderio beatitudinis* moveri ad detestanda peccata, ac proinde falsum esse omnia attritionis motiva habere reductionem ad duo illa quae determinate assignantur a patribus tridentinis — Verum ad hoc recte **respondetur** neminem desiderio beatitudinis ad detestationem suorum peccatorum moveri, nisi quatenus timet ne propter peccata a se commissa aeternaliter beatitudinem amittat.

493. — Ceterum advertendum est patribus tridentinis non fuisse propositum assignare, saltem in confuso, omnia attritionis motiva. Assignando enim duo illa motiva quae modo explicata sunt, aiunt patres ex iis attritionem *communiter* concipi. Patet autem cum hoc quod haec sunt motiva homines communiter ad attritionem moventia, stare posse esse etiam alia attritionis motiva. Et sic quantum est praecise per verba quibus in assignando attritionis motiva usi sunt patres tridentini, nihil obstat quominus dicatur latitudine horum motivorum desiderium beatitudinis non comprehendi.

494. — Secunda sententia asserit contritionem perfectam et eam attritionem quae in et cum sacramento paenitentiae sit proxima dispositio ad justificationem, non differre inter se specifice, sed intensione tantum graduali. Statuunt videlicet hujus sententiae auctores attritionem quae ex motu gehennae vel alio motivo minus nobili eliciatur, nunquam esse posse nisi dispositionem remotam ad justificationem. Nec vero ex ipsa et reali sacramenti usu in unum concurrentibus posse constitui dispositionem proximam ad justificationem ; sed attritionem quae in et cum sacramento compleatur in ratione dispositionis proximae, esse tantummodo eam quae concipitur *ex amore Dei propter se dilecti.* Nec tamen tolli idcirco discrimen inter contritionem perfectam et eam attritionem quae cum sacramento ad justificationem sufficiat. Quippe contritionem ad hoc ut sit perfecta, oportere elici *ex amore Dei valde intenso ;* proptereaque, quotienscumque contritio non concipitur nisi ex amore Dei remissiore, eam non esse contritionem proprie dictam, sed attritionem. Omnino tamen requiri ut non tantummodo vi contritionis perfectae, sed etiam vi illus attritionis quae ad justificationem in sacramento recipiendam proxime disponit, *Deus propter se efficaciter diligatur supra omnia diligibilia.*

495. — Patet autem ab auctoribus sic dicentibus distingui duplicem attritionem, unam quae secundum omnem considerationis modum non sit nisi dispositio remota ad justificationem, et hanc aiunt specifice differre a contritione perfecta ; alteram vero quae in sui cum sacramento conjunctione sit dispositio proxima ad justificationem, et hanc aiunt non specifice, sed minore tantum suae intensionis gradu differre a contritione perfecta.

496. — Jam quisnam fuerit harum vocum contritionis et attritionis apud nonnullos e veteribus doctoribus scholasticis usus, declarandum est.

Uti antea docuimus, non pauci ex veteribus scholasticis in ea fuerunt sententia, requiri ex parte hominis qui post baptismum mortaliter sit lapsus, contritionem perfectam ad impetrandam suorum peccatorum remissionem. Ideoque consequenter asseruerunt solam contritionem perfectam esse dispositionem proximam ad justificationem ; omnem vero attritionem, quantumcumque sit efficax et intensa, non esse ad justificationem nisi dispositionem remotam. Non enim dicere poterant attritionem, accedente reali usu sacramenti, evadere dispositionem proximam ad justificationem ; secundum ipsorum quippe sententiam semper et in omni casu absolutio sacramentalis inveniebat peccata jam remissa per contritionem perfectam. Ponebant autem attritionem esse dispositionem remotam ad justificationem; quia ipsa est praeparatio ac veluti via ad contritionem. Nam, attento eo quod ordinarie contingit, ab uno duorum extreme oppositorum non pervenitur ad alterum nisi per medium aliquod. Ideoque peccator, qui hactenus nihil curabat de peccatis a se commissis, prius incipit ea horrere propter timorem vindictae divinae, tum paulatim procedit ad ea detestanda propter desiderium beatitudinis, ac postremo eo assurgit ut de iis jam doleat propter eorum oppositionem ad bonitatem divinam summe dilectam.

Quia autem peccator justificatur in ipsissimo eo instanti quo incipit habere contritionem perfectam et quia per consequens contritio perfecta jam in primo instanti reali ac physico suae exsistentiae informatur gratia gratum faciente, h, e. gratia sanctificante ; idcirco auctores ii scholastici quorum modo sententiam enarramus, in eo posuerunt discrimen inter attritionem et contritionem, prouti via quadam et ordine ad justificationem disponunt, quod attritio semper sit *informis,* contritio vero semper sit *formata.* Totamque adeo vim suae sententiae expresserunt propositione dicente in justificatione, quae per infusionem gratiae sanctificantis contingit, *hominem ex attrito fieri contritum.* Sump-

taque est inde occasio inquirendi utrum etiam attritio possit fieri contritio. Quae quaestio longo tempore fuit in schola celeberrima. Inventique sunt insignes doctores qui eam affirmative solverent. Quia autem ex una parte impossibile est actum qui idem numero perseveret, mutari quoad suam substantiam, et quia ex alia parte necesse est contritionem intrinseca sua perfectione differre ab attritione ; idcirco praedicti autores asseruerunt eam attritionem quae proxime praecedat contritionem, elici quidem ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae, eam tamen non aliter fieri contritionem nisi quatenus per gradus successivos magis magisque intenditur. Quod idem profecto erat atque asserere esse quamdam attritionem quae non nisi gradu intensionis minore differat a contritione. Ideoque videri posset nihil interesse inter sententiam illam nonnullorum scholasticorum et secundam ex duabus illis sententiis quas supra retulimus. Revera tamen latum est discrimen inter utramque sententiam. Nam scholastici illi ponebant attritionem quae ex amore Dei propter se dilecti concipitur, esse, quantum est per se solam, displicentiam inefficacem peccatorum ; auctores vero qui alteram illam sententiam supra expositam tuentur, asserunt posse elici ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae displicentiam peccatorum quae, tametsi sit efficax, non tamen gradu suae intensionis pertingat ad hoc ut sit contritio perfecta.

497. — Addendum est s. Thomam totamque ejus scholam negasse attritionem posse fieri contritionem, non solum quia a) impossibile sit actum voluntatis, manentem numerice eumdem, per gradus successive acquisitos intendi, sed vel maxime b) quia contritio ab omni attritione differat per ipsam suam essentiam. — Eatenus etiam recessit s. Thomas a sententia ponente nunquam hominem post baptismum lapsum justificari nisi per contritionem perfectam, quatenus asseruit contritionem existimatam, h. e. attritionem quae bona fide existimetur esse contritio, esse dispositionem sufficientem ad sacramentum paenitentiae fructuose recipiendum. Et sic sententia divi Thomae notat veluti transitum a sententia illa veterum scholasticorum quam hucusque enarravimus, ad sententiam quam postea Scotus defendit.

498. — Scotus in tractanda quaestione de dispositione proxime sufficiente ad justificationem distinxit inter justificationem contingentem at extra sacramentum paenitentiae et justificationem contingentem in reali usu hujus sacramenti.

Et quidem de modo quo homo mortaliter lapsus disponitur ad justificationem sine reali sacramentorum usu consequendam, non aliter

philosophatus est Scotus quam scholastici illi antiquiores quorum sententiam proxime exposuimus. Nam primum quidem necesse habuit dicere ad justificationem quae extra sacramentum contingat, non posse peccatorem proxime disponi nisi per contritionem. Et propterea necessario etiam ei asserendum fuit attritionem non posse esse nisi dispositionem remotam ad justificationem extra sacramentum consequendam. Ex quo jam ulterius consequens erat ut debuerit asserere in justificatione quae extra sacramentum contingat, semper, exceptis casibus quibusdam extraordinariis et quadantenus miraculosis, peccatorem ex attrito fieri contritum. Quamobrem in determinatione modi quo sine reali sacramenti usu justificatio contingit, una tantummodo ei occurrebat quaestio in diversas partes disputabilis, ea videlicet qua ambigitur utrum attritio quae contritionem proxime antecedat, essentialiter vel saltem numerice a subsequente contritione differat, an vero haec subsequens contritio non sit nisi ipsamet praecedens attritio, facta intensior. Jam vero hanc quaestionem eodem modo resolvit Scotus atque scholastici illi antiquiores quorum supra meminimus. Dixit videlicet et ipse, in justificatione quae extra sacramentum contingat, attritionem fieri contritionem. Atque inde est quod posteriores etiam scotistae communiter defendunt esse aliquam attritionem quae nonnisi minore sui intensione graduali differat a perfecta contritione.

Quod vero attinet ad eam justificationem quae reali sacramenti usu contingit, ad eam dixit Scotus peccatorem posse disponi per attritionem *tamquam per dispositionem proxime sufficientem*. Utut autem hoc ejus asserto directe oppugnabatur sententia dicentium nunquam hominem post baptismum lapsum posse justificari nisi per contritionem perfectam; nihilominus in eo explicando usurpavit modum loquendi qui nonnisi ratione sententiae ab ipso impugnatae introductus fuerat quique in ea totus quantus fundabatur. Et quidem necessitate quadam compulsus est ad talem modum loquendi usurpandum. Propter invalescentem enim sententiam quam excludere satagebat, jam passim ipsius tempore pro uno eodemque sumebantur propositio dicens hominem justificari et propositio dicens hominem ex attrito fieri contritum. Sive, quod idem est, propter invalescentem praedictam sententiam discrimen inter attritionem et contritionem tempore Scoti in eo constituebatur quod attritio esset *dolor informis*, contritio vero *dolor formatus*. Volens ergo significare peccatorem reali sacramenti usu vere justificari et accipere primam gratiam, dixit Scotus peccatorem reali sacramenti usu ex attrito fieri contritum. Hoc autem semel

posito, necesse etiam habuit dicere vi realis sacramenti usus attritionem fieri contritionem.

Ex his manifestum fit a Scoto, cum ad vim suae sententiae exprimendam praedictis loquendi formulis utitur, voces *contriti* et *contritionis* accipi impropie et abusive. Nihil videlicet aliud, iis utendo, intendit dicere quam in reali sacramenti paenitentiae usu attritionem *quae vere maneat attritio,* ex attritione informi fieri attritionem formatam. Perseveravit perversus ille modus loquendi Scoti usque ad praesens tempus; passim enim a scriptoribus theologiae moralis inculcatur illud adagium, peccatorem usu reali sacramenti paenitentiae ex attrito fieri contritum.

CAPUT XII.

De efficacia contritionis.

499. — Jam instituenda est quaestio sitne aliqua contritio quae eo sensu sit perfecta quod se sola, h. e. sine reali sacramenti usu, sit proxima ad justificationem consequendam dispositio. Ut autem ad simplicissimos terminos reduci possit haec quaestio, oportet prius definiri qualisnam sit ea contritio de qua secundum doctrinam concilii tridentini asserendum est eam cum solo sacramenti voto hominem post baptismum lapsum reconciliare Deo.

Tractat hoc argumentum concilium tridentinum in sessione sua XIV, capite 4. Ibi posteaquam definiverunt patres quid sit contritio generice sumpta, significant se agere de contritione, *prouti est dispositio requisita ad impetrandam peccatorum remissionem.* « Fuit autem quovis tempore, inquiunt, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius : *et in homine post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum*, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua conjunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur ». Tum post damnatum errorem Lutheri de natura contritionis quae ad justificationem sit dispositio, *hanc ipsissimam contritionem* distinguunt patres in contritionem perfectam et contritionem imperfectam. Et de priore quidem, quae hujusce tractationis est subjectum, ita perhibent : « docet praeterea (sancta synodus), *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque*

Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. »

500. — Jam plurima circa germanum sensum propositionis incidentis hac ultima periodo inclusae oriuntur dubia.

Primum est dubium utrum, cum patres tridentini docent *aliquando contingere contritionem caritate perfectam esse,* hoc nomen *caritas* supponat pro caritate actuali, an pro caritate habituali.

Respondendum est tum ex nexu cum oratione antecedente tum ex verbis in propositione patrum tridentinorum statim sequentibus nomen caritatis in ea propositione necessario determinari ad significandam solam caritatem actualem.

Etenim 1) contritio quae est subjectum hujus propositionis, determinatur per sibi appositum demonstrativum *haec* ad significandam illam contritionem de qua in antecedentibus verba fecerant patres. Sed hi in antecedentibus non nisi de contritione, prouti est dispositio ad justificationem, locuti fuerant. De contritione ergo, prouti est dispositio ad justificationem, enuntiant patres aliquando contingere eam esse caritate perfectam. Jam vero de contritione, prouti est dispositio ad justificationem, impossibile est dicere eam caritate habituali esse perfectam. Quod enim perficitur caritate habituali, hoc, in quantum hujusmodi, non praecedit caritatem habitualem, sed est simul cum ea, contritio autem, prouti est dispositio ad justificationem, praecedit gratiam sanctificantem, ad quam comparatur tamquam causa ad suum effectum; et per consequens ea praecedit etiam caritatem habitualem, quae veluti proprietas quaedam ad gratiam sanctificantem consequitur. Nec obstat quod in indivisibili illo instanti in quo primum concipitur contritio perfecta, gratia sanctificans statim animae infunditur quodque proinde jam a principio suae existentiae contritio perfecta informatur caritate habituali. Hoc non obstat modo dictis, inquam; in indivisibili enim eo instanti physico in quo primum exsistit contritio perfecta, duo instantia naturae distinguenda sunt. In primo videlicet naturae instanti contritio nondum intellegitur informari gratia sanctificante et caritate habituali, et secundum talem modum considerationis ipsa per modum meriti de congruo est dispositio ad recipiendam gratiam sanctificantem, prouti haec est remissiva peccatorum. In secundo vero naturae instanti contritio jam intellegitur informari gratia sanctificante et caritate habituali, et secundum talem considerationis modum ipsa jam est de condigno meritoria gloriae aeternae quantum ad ipsam hujus

substantiam. Quia ergo contritio, prouti est dispositio ad justificationem, nequit intellegi esse perfecta caritate habituali, patres autem tridentini asserunt aliquando contingere contritionem, prout est dispositio ad contritionem, caritate perfectam esse, necesse est dicere in hac ipsorum propositione nomen caritatis supponere pro caritate actuali.

Quae conclusio sufficienter etiam colligitur ex propositione patrum tridentinorum per se inspecta, h. e. considerata in praecisione a suo nexu cum sermone antecedenti. Etenim 2) in ea propositione duo ordine praedicantur de contritione, scilicet a) eam esse caritate perfectam et b) eam hominem Deo reconciliare. Esset autem praedicatio praepostera, si prius horum duorum praedicatorum non esset ordine naturae prius praedicato posteriore vel saltem simul cum eo. Sed si in priore praedicato nomen caritatis supponeret pro caritate habituali, illud praedicatum, spectato ordine naturae, neque praedicato posteriore esset prius, neque cum eo esset simul, sed eo esset posterius. Quippe contritio, prouti informatur caritate habituali, se habet consecutive ad infusionem gratiae sanctificantis, prouti vero reconciliat hominem cum Deo, se habet praesuppositive ad eamdem gratiam sanctificantem, cum sit dispositio ad eam. Necesse est ergo dicere in propositione patrum tridentinorum nomen caritatis supponere pro caritate actuali.

501. — **Secundum est dubium** utrum in propositione patrum tridentinorum, quae modalis est, dictio *contingit,* prouti in eam cadit particula adverbialis *aliquando,* primario modificet solum dictum : *contritionem caritate perfectam esse,* et nonnisi ex consequenti modificet dictum : *contritionem hominem Deo reconciliare ;* an vero dictio illa *contingit,* praedicta ratione spectata, aeque primo modificet dictum utrumque.

Sciendum est autem, prouti variatur hujus dubii solutio, essentialiter etiam variari sensum propositionis de qua quaestio instituitur. Si videlicet prior pars propositae disjunctionis eligatur, propositio hunc fundet sensum : aliquando contingit contritionem esse caritate perfectam, *ideoque* aliquando contingit contritionem hominem Deo reconciliare. Si vero posterior pars disjunctionis eligatur, talis orietur propositionis sensus : aliquando contingit contritionem non modo esse caritate perfectam, *sed etiam* hominem Deo reconciliare. Quo sensu supposito, propositio patrum tridentinorum huic aequivalebit : Aliquando quidem, non tamen semper contingit contritionem quae caritate sit perfecta, hominem Deo reconciliare.

502. — Porro posteriorem hunc sensum subesse verbis patrum tridentinorum contendit Estius, in Sent. IV, d. 17, § 2. Qui hoc suo

asserto prope accessit ad errorem contentum propositionibus Baii, quae inter damnatas a Pio papa V sunt 31ª, 32ª, 33ª, 70ª, et 71ª (1). In opere videlicet suo De caritate, unde hae propositiones sunt excerptae, docuit Baius nunquam, nisi in casu necessitatis, adultis sua peccata remitti sine susceptione baptismi aut sacramenti paenitentiae. Cum quo errore necessario consertum erat hoc aliud ejus doctrinae caput, videlicet caritatem actualem et contritionem perfectam, utut esset vehemens et intensa, consistere posse cum reatu peccati mortalis et cum reatu aeternae damnationis.

503. — In oppositione ad utrumque auctorem solvitur dubium propositum dicendo in propositione illa modali, cujus sensus investigatur, dictionem *contingit,* prouti in eam cadit adverbium *aliquando, primario* modificare solum dictum : *contritionem caritate esse perfectam,* et nonnisi *ex consequenti* modificare dictum : *contritionem hominem Deo reconciliare.*

Rationes sic decernendi accipiuntur tum ex structura phraseos qua usi sunt patres tridentini, tum ex scopo eorumdem patrum, qui erat notificare discrimen exsistens inter contritionem perfectam et contritionem imperfectam, prouti utraque haec contritio est dispositio ad justificationem.

Videlicet 1º in phrasi qua usi sunt patres tridentini, verba ita ordinata sunt ut prius tantummodo dictum mediet inter adverbium *aliquando* et dictionem *contingit,* alterum vero dictum toti illi verborum complexioni consequenter apponatur. Sed tali verborum ordine significatur dictionem *contingit,* prouti in eam cadit adverbium *aliquando,* modificare primario dictum quod cum ipsa et adverbio construitur, et modificare tantummodo ex consequenti dictum quod huic constructioni consequenter apponitur.

---

(1) En quinque illas Baii propositiones :

31ª. Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in paenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32ª. Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33ª. Catechumenus juste et recte et sancte vivit et mandata Dei observat ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur.

70ª. Homo exsistens in peccato mortali sive in reatu aeternae damnationis potest habere veram caritatem, et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis.

71ª. Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti.

Ulterius 2° attritionem, prouti distinguitur contra contritionem, patres tridentini notificant non solum ex parte motivorum unde concipitur, quae sunt diversa a motivo contritionis, sed etiam ex eo quod attritio non est per se solam sufficiens dispositio ad justificationem consequendam. Ergo vi legis oppositorum contritionem etiam patres intendunt notificare non solum ex parte motivi ipsius proprii, quod est motivum caritatis, sed etiam ex eo quod ad differentiam attritionis ipsa est se sola dispositio sufficiens ad justificationem consequendam. — Sive, et in idem redit, 3° contritionem, sumptam non qualitercumque, sed prouti est dispositio ad justificationem, distinguunt patres in contritionem caritate perfectam et attritionem. Ideoque ut apta sit haec distinctio, qualis ab ipsis inducitur, oportet discrimen inter utramque speciem contritionis assignari ex differenti utriusque habitudine ad effectum justificationis. Quia ergo habitudinem attritionis ad effectum justificationis patres significant dicendo eam sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem peccatorem perducere non posse, necesse est intellegere habitudinem omnis contritionis caritate perfectae ad justificationem in eo juxta patres tridentinos consistere quod haec contritio se sola peccatorem ad justificationem perducit, et per consequens illud est quod patres tridentini intendunt significare hisce suis verbis : *hominemque Deo reconciliare.*

Nec contra hanc ultimam rationem **juvat dicere** attritionem illam de qua patres tridentini loquuntur, non esse etiam cum reali sacramenti usu nisi dispositionem remotam ad justificationem ; ad hoc ergo ut salvetur contritionem caritate perfectam et attritionem differenter se habere ad effectum justificationis, sufficiens esse, si ponatur quamdam esse contritionem caritate perfectam quae se sola peccatorem justificet, aliam vero esse contritionem caritate perfectam, quae etsi non justificet se sola, sit tamen cum sacramento proxima ad justificationem dispositio. *Hoc non juvat dicere*, inquam ; quidquid enim sit de veritate antecedentis, quod postea dispiciendum erit, falsum est consequens. Quippe patres habitudinem attritionis ad justificationem non aliter describunt nisi dicendo eam, quamvis sine sacramento paenitentiae *per se* ad justificationem perducere non possit, tamen ad gratiam in sacramento impetrandam disponere. Quia ergo ipsi loquuntur de attritione, prouti distinguitur a contritione caritate perfecta, recte supra conclusum est, de mente eorum fuisse asserere hanc alteram contritionis speciem per se, h. e. sine reali sacramenti paenitentiae usu, ad justificationem disponere. Aut si alia fuit patrum tridentinorum

mens, ergo inepte attritionem, prouti est dispositio ad justificationem, ipsi distinxerunt a contritione caritate perfecta. Revera enim, quantum est per differentiam ab ipsis assignatam, aliquid contentum sub uno membro distinctionis includeretur in altero.

504. — **Tertium est dubium** utrum, quando patres tridentini dicunt contritionem perfici sive reddi perfectam caritate, ipsi intellegendi sint loqui de actu formali et explicito caritatis, an contra, oporteat dicere eos loqui de actu virtuali et implicito caritatis.

Ad intellegentiam hujus dubii sciendum est dupliciter posse intellegi contritionem caritate perfici. *Primo* ita ut caritas contritionem perficiens intellegatur esse actus amoris Dei formalis. Et secundum talem modum intellegentiae caritas ponitur esse actus a contritione distinctus eamque praecedens atque imperans. Et quia actui imperato communicatur quadantenus bonitas actus imperantis, eo quod ad objectum proprium actus imperantis tamquam ad finem extrinsecum actus imperatus dirigitur, idcirco contritio per modum actus imperati a caritate procedens intellegitur perfici a caritate tamquam a forma quae sua bonitate eam extrinsece informet.

Secundo potest intellegi contritionem esse caritate perfectam ita ut caritas contritionem perficiens intellegatur esse actus amoris Dei non formalis, sed virtualiter inclusus in contritione. Quando enim contritio formaliter elicitur propter oppositionem peccati ad bonitatem divinam, recte asseritur eam esse actum caritatis virtualem eamque in se includere totam perfectionem quae est propria actus caritatis. Secundum hunc alterum igitur intellegentiae modum perfectio quam caritas contritioni tribuit, est perfectio contritioni intrinseca, ea videlicet contritioni advenit ex motivo propter quod contritio formaliter elicitur, quod est motivum caritatis. Nec vero in tali casu opus est contritionem praecedi ab actu amoris formalis :

Dices non posse malum propter ejus oppositionem ad bonum esse objectum fugae et detestationis, nisi prius bonum cui malum opponitur, ametur; impossibile ergo esse ex motivo bonitatis divinae elici actum contritionis de peccatis, nisi prius ex eodem motivo eliciatur actus caritatis formalis.

Respondetur concedendo Antecedens, sed negando consequentiam. Actum enim illum amoris praecedentem sufficit esse actum simplicis complacentiae ; talis autem actus non est actus caritatis, quandoquidem actus caritatis est *actus efficacis prosecutionis*.

Ceterum nihil obstat quominus a praecedente actu caritatis formalis

imperetur contritio elicita ex motivo bonitatis divinae : ideoque in tali casu contritio duplici nomine erit perfecta, a caritate videlicet eam imperante mutuabitur perfectionem quamdam extrinsecam, a caritate vero in ea virtualiter inclusa mutuabitur perfectionem suam intrinsecam.

505. — His praemissis, **respondetur** ad dubium propositum verba concilii per se et directe significare contritionem quae perfecta sit caritate virtuali, indirecte tamen et ex consequenti ea etiam significare contritionem quae perfecta sit caritate formali.

Probatur prima pars. Verba conciliorum intellegenda sunt in sensu proprio et formali ; proindeque, quando patres tridentini dicunt contritionem caritate perfectam peccatorem Deo reconciliare, ipsi intellegendi sunt loqui de contritione formali et explicita. Sed de contritione formali quae perficiatur actu caritatis formalis eam praecedente eamdemque imperante, falsum est dicere eam hominem Deo reconciliare. Semper enim talis contritio invenit peccata jam remissa per praecedentem actum caritatis formalis. Ergo, quando patres tridentini dicunt contritionem caritate perfectam hominem Deo reconciliare, ipsi intellegendi sunt loqui de contritione quae sit perfecta caritate virtuali.

Probatio vero secundae partis est manifesta. Eo ipso enim quod contritio formalis a caritate in ea virtualiter inclusa totam suam perfectionem accipit, manifestum est non solummodo hanc contritionem, sed etiam caritatem formalem esse per se justificativam ; ideoque hoc sine ulla petitione principii et sine hoc quod oporteret fieri respectum ad doctrinam scripturis vel traditione contentam, licuit nobis in probatione primae partis jam supponere. Accedit quod, sicuti contritio formalis ex motivo bonitatis divinae elicita est caritas virtualis ; ita, uti olim probatum est, caritas formalis est contritio virtualis.

506. — Ex hactenus determinatis licet quaestionem principio propositam ad simplicissimos terminos reducere. Quando videlicet quaeritur utrum sit aliqua contritio quae eo sensu sit perfecta quod ad ipsam sine reali sacramenti usu proxime sequatur justificatio, quaestio intellegenda est procedere de omni ac sola contritione quae caritate sit perfecta. Quaerere autem de contritione perfecta ita definita utrum per modum proximae dispositionis sit per se justificativa, idem est atque quaerere utrum caritas actualis, sive demum sit formalis, sive virtualis, de necessitate post se trahat statum amicitiae cum Deo et infusionem gratiae sanctificantis.

Propositio.

Contritio perfecta est sine reali usu sacramenti proxima dispositio ad justificationem consequendam.

507. — In enuntiatione hujus propositionis praescindimus a quaestione utrum omnis Dei dilectio supra omnia, an tantummodo dilectio Dei super omnia valde intensa et vehemens sit actus caritatis perfectae. Sub tali autem praecisione propositio est ad minimum certa et doctrina ei opposita aperte erronea, uti satis perlucet tum a) ex doctrina tradita a concilio tridentino in sess. XIV, c. 4, — tum b) ex proscriptione propositionum Baii 31ae, 32ae, 33ae, 70ae et 71ae (1), — tum c) ex unanimi theologorum consensu.

---

(1) Dicat forte aliquis Baium docuisse posse *gratiam sanctificantem* consistere cum reatu peccati mortalis et cum reatu damnationis aeternae; porro hanc tantummodo ejus doctrinam damnari propositionibus illis quas supra recitavimus. Et quidem negari non posse videtur revera sensisse Baium caritatem actualem semper sibi adjunctam vel secum identificatam habere gratiam sanctificantem infusam. Tantum enim abest ut capp. 1 et 7 sui operis neget hunc caritatis actualis cum gratia sanctificante nexum, ut eum ibi potius affirmet. Nec de alio ibi dubitat nisi de hoc, utrum gratia sanctificans nobis inhaerens sit habitus aliquis distinctus a caritate actuali, an vero sit ipsamet haec caritas actualis. Quod certe non satis advertit auctor aliquis recens, qui in suo tractatu de sacramento paenitentiae contendit ex operis Baiani de caritate capitibus primo et septimo perspicue constare gratiam sanctificantem esse secundum Baium indivisibiliter conjunctam cum peccatorum remissione. — Ceterum hoc non obstat quominus tum propositiones 32a et 33a tum praesertim propositio 71a non possint proprie intellegi nisi de caritate actuali, *prouti est actualis*, uti legenti facile patebit. — Objici etiam potest propositiones Baii non esse damnatas nisi in globo sive indeterminate, tamquam respective haereticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas et in pias aures offensiones immittentes. Hinc videlicet videtur effici ex proscriptione propositionum Baii nihil *de determinata aliqua propositione* inter eas contenta deduci posse nisi ei convenire saltem minimam ex censuris quibus hae propositiones respective confixae sunt. — Verum neque hoc nobis obstat. Sufficit enim nobis determinatas illas Baii propositiones quas adduximus minima saltem illa censura affici. Maxime enim doctrinam thesi assertam intendimus qualificare ex auctoritate concilii tridentini.

Dicit sane idem ille auctor recens cujus supra meminimus, ex materia propositionum illarum 31ae, 32ae, 33ae, 71ae et 72ae constare eas damnari ut haereticas: esse enim has propositiones de materia fidei, et per consequens eas non potuisse infallibili sedis apostolicae judicio damnari nisi ad normam doctrinae revelatae. At vero hasce propositiones esse de materia fidei nec revera probat ille auctor, neque profecto probare potuisset nisi recurrendo ad alium informationis fontem; quo in casu jam non ex proscriptione propositionum Baianarum, sed aliunde doctrinae thesi contentae qualificationem peteret Nam quod ait propositiones illas Baii esse de caritate, de efficacia caritatis, de mediis necessariis ad justificationem, *quae omnia sint vel esse debeant revelata*, id profecto gratis asserit. Quae enim a priori est necessitas ut omnia quae spectant ad efficaciam gratiae determinate contineantur in deposito revelato? Cur v. g., a priori necessarium est ut in doctrina revelata determinate contineatur alterutra ex hisce duabus propositionibus contradictoriis: *etiam extra casum necessitatis semper perfecta caritas justificat, extra casum necessitatis aliquando perfecta caritas non justificat*?

508. — **Probatur** propositio I° *ex scripturis novis.* Argumentum est hujusmodi. Caritas formalis est contritio perfecta virtualis, et contritio perfecta formalis est saltem caritas virtualis ; proindeque, si caritas semper justificat, etiam contritio perfecta semper justificat. Sed secundum scripturas novas caritas semper justificat. Ergo secundum easdem scripturas etiam contritio perfecta semper justificat.

Minor hujus syllogismi probatur duplici praesertim testimonio. In quorum priore quod accipitur ex Jo. XIV, 23, ita loquitur Christus : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus. »

Priusquam ex hoc loco colligatur intentum, duo praenotanda sunt. Primum est, in sententia Christi verba haec : *servabit, diliget, veniemus, faciemus,* licet videantur adsignificare solum tempus futurum, revera tamen adsignificare tempus etiam praesens. Etenim, quantum attinet ad differentiam temporis hisce verbis adsignificatam, eadem est ratio verbi *servabit* atque aliorum verborum quae ordine sequuntur loco modo citato. Quocirca, si verbum *servabit* adsignificet non solum tempus futurum, sed etiam tempus praesens, etiam verba *diliget, veniemus, mansionem faciemus,* adsignificabunt non solum tempus futurum, sed etiam tempus praesens. Jam vero ex contextu patet in sententia Christi quam modo expendimus, verbum *servabit* adsignificare tempus etiam praesens. Quippe paulo superius (versic. 21) Christus ita suos discipulos allocutus fuerat : « Qui habet mandata mea,.. *ille est* qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. » Jam vero hisce suis verbis, quae, uti patet, eamdem continent sententiam atque verba quae principio adduximus, Christus primum definit quisnam sit verus ipsius dilector, uti diserte ipse significat hisce verbis emphasin continentibus : *ille est.* In hac autem Christi definitione de dilectore Dei praedicatur observatio mandatorum Dei in tempore praesenti.

Secundo praenotandum est in loco adducto non agi de dilectione Christi quacumque, sed de dilectione Christi efficaci et super omnia, uti patet tum a) ex eo quod effectus hujus dilectionis Christi dicitur a Christo esse observatio mandatorum Dei, -- tum b) ex diserta definitione dilectoris sui quem Christus praemiserat.

Hisce praejactis, facile est ex testimonio Jo. XIV, 23, quod supra recitatum est, colligere intentum. Testatur quippe ibi Christus eum qui se et qui per consequens Deum dilectione super omnia diligit, illico reddi objectum redamationis divinae, ratione cujus Deus stabilem in eo figit

mansionem. Jam vero a) Deus dicitur speciali nomine reddi alicui praesens, quatenus specialem in ipsum efficientiam exercet. Quocirca, si Deus reddatur alicui specialiter praesens per modum mansionis stabilis, necesse est ut specialis efficientia quam Deus in talem exercet, terminetur ad effectum aliquem stabilem et permanentem intus in eodem productum. Quod si Deus, ut est formaliter diligens, redditur stabiliter praesens alicui, ut est formaliter dilectus, necesse est ut stabilis effectus quem Deus intus in dilecto operatur, procedat ab eo, ut est formaliter diligens. Sed stabilis effectus qui a diligente, ut est diligens, intus procedit in dilectum, ut est dilectus, consistit in eo quod dilectus stabili diligentis efficientia redditur intrinsece gratus diligenti. Impossibile est autem eum qui intrinsece afficitur reatu peccati mortalis, esse Deo intrinsece gratum. Vi ergo efficacis redamationis quam Deus reddit peccatori incipienti ipsum efficaciter diligere, statim expellitur a tali peccatore status peccati mortalis per infusum ei donum gratiae gratum facientis.

Ceterum b) diserta est scripturarum doctrina specialem Dei diligentis mansionem in anima non compati secum praesentiam alicujus peccati mortalis. Idem enim est dicere vi dilectionis Dei erga aliquem Deum stabiliter habitare in anima ipsius atque dicere vi talis dilectionis Spiritum sanctum stabiliter habitare in anima ejus. Sed secundum doctrinam apostoli solorum est justificatorum habere Spiritum sanctum sibi inhabitantem. Specialem quippe effectum justificationis intendit apostolus assignare, quando ait Rom. v, 5 : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » In quibus verbis patet nomine caritatis Dei venire caritatem Dei erga nos. Quippe solummodo de caritate Dei erga nos agitur in versibus proxime sequentibus (6-9) quibuscum versus quintus quam arctissime cohaeret. Et solummodo caritas Dei erga nos potest esse ratio cur « spes non confundat; » haec porro est ratio quam intendit apostolus assignare verbis supra adductis. (Cf. I Cor. v, 19-20, Gal., iv, 5-6).

Alterum testimonium huc pertinens accipitur ex I Jo. iv, 7. « Carissimi, inquit ibi Joannes, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. »

Praenotandum est agi hoc loco de ea proximi dilectione cujus motivum intrinsecum est bonitas divina propter se amata. Quod quidem jam sufficienter colligitur a) ex eo quod rationem propter quam diligendus sit proximus, assignat s. Joannes dicendo : *Quia caritas ex Deo est.* Licet enim inde recte arguatur agi de dilectione fraterna supernaturali,

haec verba tamen per se sumpta majus aliquid significant, scilicet caritatem fraternam esse ex Deo *tamquam ex principio objective movente.* Et hoc propterea quia, si secus esset, non assignasset s. Joannes, contra atque facere intendit, rationem cur servandum sit praeceptum caritatis fraternae: hanc quippe rationem oportet esse objectivam. Ceterum hunc esse verborum s. Joannis sensum manifestant omnia quae sequuntur usque ad finem capitis IV. Quippe b) in fine versiculi 7[i] citati asserit s. Joannes eum qui diligit fratrem, Deum cognoscere, h. e. Deum diligere; in talem namque sensum ab eo usurpari haec verba: *Deum cognoscere*, liquet ex ejusdem epistulae cap. II, 3-5. Quinimmo c) eodem illo capite IV, versiculo 11, significat Joannes propterea nos debere alterutrum diligere, *quia Deus prior dilexit nos.* Quare et versiculo 12 mox sequente asserit, *si diligamus invicem, fore ut caritas ejus,* [h. e. ea caritas qua nos diligimus Deum] *in nobis perfecta sit.* Denique d) secundum s. Joannem, capite citato, 12, 20-21, dilectio Dei et dilectio proximi ita inter se cohaerent ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum, et qui diligit fratrem suum, diligat et Deum. Sed necessaria utriusque horum actuum dilectionis cum altero connexio nequit aliunde oriri quam ex eo quod, licet ratione sui objecti materialis hi actus inter se differant, communicant tamen in uno eodemque motivo formali.

Ex dictis est consequens dilectionem fraternam de qua loco citato agit apostolus Joannes, derivare totam suam excellentiam a dilectione Dei in ea virtualiter inclusa. Quamobrem si supernaturalis illa et efficax dilectio proximi non compatiatur secum permansionem in statu peccati mortalis, hujus ratio unice repetenda erit ex eo quod efficax amor benevolentiae erga Deum, h. e. amor caritatis, non compatitur secum permansionem in statu peccati mortalis.

Jam vero in testimonio illo Joannis quod adduximus, aequivalenter asseritur supernaturalem et efficacem proximi dilectionem non compati secum permansionem in statu peccati mortalis. Patet assertum ex eo quod in eo testimonio omnis qui diligit, dicitur *esse natus ex Deo;* de omni autem nato ex Deo, h. e. de omni filio Dei (Cf. Jo. I, 12, 13) decursu suae epistulae docet Joannes eum esse de numero justificatorum. Nam a) hoc aequivalenter docet, quando capite III suae epistulae, versiculo 2, de omni nato ex Deo, h. e. de omni filio Dei, significat eum habere jus ad haereditatem caelestem; non enim possunt simul stare haec duo, videlicet aliquem habere jus ad haereditatem caelestem et eumdem detineri statu peccati mortalis. Itidem b) hoc aequivalenter

docet, quando ibidem, III, 9, ponit haec verba : « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. » Si enim status filiationis divinae nequit componi cum peccato et si per consequens per superveniens peccatum status filiationis divinae illico ab aliquo excluditur, ergo statim atque aliquis constituitur natus ex Deo, omnis reatus peccati praeteriti ab eo expellitur. Quia ergo secundum Joannem omnis qui diligit, est natus ex Deo, necesse est ut statim atque peccator elicit actum perfectae dilectionis Dei, omnia peccata ejus praeterita condonentur a Deo. Adde c) quod sicut Joannes de diligentibus fratres suos ex motivo perfectae dilectionis divinae asserit eos esse *natos ex Deo*, ita et de iisdem asserit *eos esse translatos de morte ad vitam* (III, 14), *eos habere Deum in se manentem, eos habere Spiritum Dei sibi datum* (IV, 12, 13) ; haec porro omnia excludunt a diligentibus fratres ex motivo perfectae dilectionis divinae statum peccati mortalis. (Cf. Rom. v, 1-5).

509. — **Probatur II°** ex scripturis veteris legis. Argumentum est hujusmodi. Quae media ordinaria ad interiorem hominem pertinentia, in statu legis antiquae valebant ad justificationem consequendam, ea etiam in statu legis evangelicae valent ad justificationem consequendam. Sed in vetere lege contritio ex motivo perfectae caritatis concepta, se sola, h. e. sine reali usu alicujus sacramenti, erat dispositio proxima ad justificationem consequendam. Ergo etiam in lege nova contritio ex motivo perfectae caritatis concepta, est se sola dispositio proxima sufficiens ad justificationem consequendam.

Et quidem quod asseritur in Majore hujus syllogismi, scilicet non minorem esse vim justificativam caritatis perfectae et contritionis perfectae in statu legis novae quam in statu legis antiquae, id tali ratione perspici potest. In vetere lege duplex oeconomia distinguenda est. Prima est oeconomia legis mosaicae, quae tota quanta ordinabatur ad reddendum populum israeliticum instrumentum aptum ad servandum usque ad adventum Christi depositum revelationis et promissionum divinarum. Unde haec oeconomia spectabat ad solum populum israeliticum totaque quanta continebatur caeremoniis et figuris externis, et, *quantum est per se*, non sanciebatur nisi praemiis ac poenis temporalibus, ac denique post adventum Christi, cessante fine propter quem instituta erat, finem accepit. Altera erat in statu veteris legis oeconomia quae directe et per se ordinabatur ad perducendum homines ad finem supernaturalem, quae est vita aeterna. Et talis oeconomia ex aequo perti-

nebat ad omnes gentes eademque complectebatur media consequendi salutem et remissionem peccatorum, unde etiam ejus sanctio consistebat in praemiis et poenis aeternis ; sicuti porro ejus finis, adveniente Christo, non cessavit, ita etiam, quantum est per se, neque media salutis quae complectebatur, vim suam pristinam amiserunt. Et licet ex positiva Christi institutione pateat medio cuidam externo ad hanc oeconomiam pertinenti, puta remedio peccati originalis, jam substitutum esse medium aliud, nihil tamen est in tota lege christiana unde ratio desumi possit dicendi mediis hisce ad interiorem hominem pertinentibus, quae sunt caritas et contritio perfecta, demptam esse a Christo vim justificandi quae ex opere operantis iis in antiqua lege competebat. Sane a) sola ratio hoc dicendi ea esset quod in nova lege baptismus est necessarius necessitate medii ad consequendam remissionem peccati originalis quodque itidem sacramentum paenitentiae est necessarium necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum. At vero haec ratio potius ostendit in nova lege contritioni et caritati perfectae nihil demptum esse de vi justificandi quae in oeconomia vetere iis conveniebat. Quippe baptismus et sacramentum paenitentiae sunt ex eo genere mediorum quae non sunt necessaria necessitate medii nisi vel in re vel in voto ; proindeque, spectata voluntate Dei seria omnes homines salvandi, necesse est esse etiam in lege nova aliquod medium quod, prouti conjungitur cum voto sive implicito sive explicito baptismi vel sacramenti paenitentiae, justificationem per modum proximae et completae dispositionis causet ex opere operantis. Si quod porro sit ejusmodi medium, illud profecto erit caritas sive formalis sive virtualis ; quippe quae omnium actuum interiorum hominis sit excellentissima. Immo b) indoli legis christianae, quae est lex caritatis, omnino congruit ut in ea si non major, at certe eadem vis justificandi insit caritati, quae ei inerat in antiqua oeconomia.

Quod vero asseritur in Minore syllogismi superius facti, scilicet in vetere lege contritionem ex motivo caritatis perfectae conceptam, se sola, h. e. sine reali usu alicujus sacramenti, fuisse dispositionem proximam ad justificationem consequendam, id ostenditur, ordine probando duo asserta.

Dicimus scilicet 1°: Conversio sive paenitentia ad quam in antiqua lege Deus peccatores hortabatur, consistebat in contritione perfecta ex motivo caritatis. Patet assertum ex eo quod, quotienscumque ratio hujus conversionis determinatius in instrumento vetere assignatur, ea dicitur esse *conversio ex toto corde,* qualis profecto non est nisi conversio

perfecta, et per consequens contritio ex motivo caritatis elicita. Huc pertinent apprime haec testimonia. Deut. IV, 29 : « Cum quaesieris Dominum Deum tuum, invenies eum, *si tamen toto corde quaesieris et tota tribulatione animae tuae.* » — Joel II, 12. 13 : « *Convertimini ad me in toto corde vestro,* in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum. »

Dicimus 2° : Ad contritionem illam perfectam, tamquam ad ultimam dispositionem, statim sequebatur remissio peccatorum et justificatio. — Ratio sufficiens hujus asserti accipitur a) vel ex eo solo quod nunquam Deus homines adhortaretur ad paenitentiam, nisi paratus esset eis conferre fructum paenitentiae, qui est remissio peccatorum. Ceterum b) scripturae veteres sunt in hac re apertissimae. Sufficiat haec citasse. Ezech. XVIII, 21-24 : « Si... impius egerit paenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est,... *vita vivet* et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor, in justitia sua quam operatus est, vivet. Si autem averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem,... numquid vivet ? Omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur. » In quo loco notanda est comparatio quae a Deo instituitur inter peccatorem se convertentem et justum a justitia deficientem. Sicuti igitur justus, statim atque peccavit, vita gratiae excidit, ita etiam peccator, statim atque eum perfecte suorum peccatorum paenituit, vitam gratiae recuperat. — Ezech. XXXIII, 12 : « Impietas impii non nocebit ei, *in quocumque die conversus fuerit ab impietate sua.* »

510. — **Probatur III°** *ex patribus.* Adduci possunt pro thesi omnes ii patres qui, uti Ambrosius in Oratione in obitu Valentiniani, asserunt catechumenos qui, baptismo inculpabiliter omisso, vita excedunt, salvari posse propter desiderium quod conceperant recipiendi baptismum. Non enim intellegi possunt hi patres loqui de solo desiderio baptismi, tum quia a) tale desiderium stare potest cum actuali affectu peccati, — tum quia b) iidem patres inculcant absolutam necessitatem paenitentiae ad consequendam remissionem peccatorum propriorum. Proptereaque necesse est dicere eos censuisse esse actum aliquem paenitentiae sive formalis, sive saltem virtualis, qui per modum dispositionis proximae causet ex opere operantis remissionem peccatorum. Aut ergo soli contritioni perfectae sive formali sive virtuali vim justificandi praedicti patres asseruerunt, aut si alii actui vel formaliter vel virtualiter paenitentiali eam vim asseruerunt, multo magis eam asse-

ruerunt contritioni perfectae, quippe quae omnes alios actus paenitentiales virtute in se praecontineat.

511. — Ad enervandam vim hujus argumenti, **opponuntur** testimonia Fulgentii et Nazianzeni, qui universaliter videntur asserere baptismum, non in re, sed in voto tantummodo susceptum, non sufficere ad salutem.

Fulgentius, in Ep. 12 ad Ferrandum, n. 2, examinat causam adulescentis qui, cum rite explevisset omnia quae ecclesia a catechumenis exigit jamque proximo tempore baptizandus esset, in morbum incidit et « in extremo habitu constitutus, sine voce, sine motu, sine sensu, nihil valens sacerdoti respondere, baptizatus est. » Decisio est Fulgentii, n. 19: « quia credidisse et confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. » Verum subdit: « qui si non baptizaretur, non solum nesciens, *sed etiam sciens, nullatenus salvaretur; via enim salutis fuit in confessione, salus in baptismate.* Nam in illa aetate non solum ei confessio ad salutem sine baptismate nihil prodesset, sed nec ipsum baptisma non credenti neque confitenti proficeret ad salutem. » Sensit ergo Fulgentius actus quoscumque hominis baptizandi non esse se solis nisi dispositiones remotas ad salutem. Potuisset enim adulescens ille, si motu quidem, sed non sensu destitutus fuisset, elicere actum contritionis perfectae ; et per consequens sine baptismo salvatus fuisset, si vera esset sententia asserens contritionem perfectam esse se sola dispositionem sufficientem ad salutem.

Gregorius Nazianzenus, Oratione 40 in s. baptism., loquens de iis qui citra culpam baptismum ante mortem suscipere omiserunt: « Nec caelesti gloria, inquit, nec suppliciis a justo judice afficientur, quippe qui, licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint quam fecerint. Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur... Quin in hunc quoque modum rem expendo. Si eum, qui animo tantummodo et voluntate, non autem re ipsa caedem perpetravit, caedis damnandum putas, sit sane is quoque apud te pro baptizato, qui baptismum citra baptismi susceptionem expetivit; sin autem illud non admittis, quonam pacto hoc admittis, haut sane perspicio. »

Augustinus denique in Tract. XIII in Joann., n. 7 : « Quantumcumque, inquit, catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat; non ei dimittitur, nisi cum venerit ad baptismum. »

512. — **Respondetur** 1) Quod attinet ad Fulgentium, ex toto contextu manifestum reddi quaestionem quam loco citato tractat ac

solvit, esse hanc, utrum videlicet, si catechumenus praestitisset *omnia et sola ea* quae requiruntur ad baptismum fructuose recipiendum, contingeret autem sine ulla ejus culpa eum jam proxime baptizandum morte praeveniri, salvaretur catechumenus ille. Alienum vero erat a scopo Fulgentii examinare hanc alteram quaestionem, utrum videlicet adulescens ille de quo loco citato verba facit, potuisset salvari, si baptismo quidem caruisset, elicuisset tamen in extremis actum contritionis perfectae. Ideo autem hujus quaestionis examen alienum erat a scopo ipsius ; quia tantummodo de iis actibus qui sunt via ad salutem in baptismo consequendam, constare poterat eos ab adulescente illo revera praestitos fuisse ; hinc videlicet fiebat ut de iis tantummodo actibus quaestio mota esset utrum, si contigisset adulescentem illum non baptizari, ei suffecissent ad salutem.

2) Ad verba ex Gregorio nazianzeno adducta eadem ferme est reponsio. Quaerit videlicet Nazianzenus utrum *desiderium baptismi,* quod patet haberi ab omni homine se praeparante ad baptismum, sufficiat ad salvandos catechumenos qui, baptismo sine sua culpa nondum suscepto, morte praeripiuntur. Merito autem quaestionem ita propositam negative solvit Nazianzenus.

3) Denique ad Augustinum quod attinet, ipse respicit ad casum suo tempore satis frequentem, hominum religionis quidem christianae studiosorum, sed baptismi susceptionem voluntarie differentium vel etiam usque ad mortem omittentium. In quibus profecto hominibus nequit supponi caritas vel contritio perfecta. Unde nihil aliud verbis in objectione adductis inculcat Augustinus quam baptismum esse necessarium necessitate medii ad salutem. Veritas hujus interpretationis patebit a) legenti integra s. doctoris verba, quae ita habent : « Ad hoc enim viam praebuit Dominus noster Jesus Christus, *ne quis arrogans,* quod habeat abundantiam alicujus gratiae, dedignetur baptizari baptismo Domini. Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat ; non dimittitur ei, nisi cum venerit ad baptismum. » Ceterum b) in casu extremae necessitatis sufficere ad salutem votum baptismi, sive in passione martyrii sive in actu contritionis perfectae contentum, aperta est doctrina s. Augustini in libro IV De baptismo, c. 22. « Baptismi vicem, ait ibi, aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est : hodie mecum eris in paradiso, non leve documentum beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio *non tantum passionem pro nomine Christi* id quod ex baptismo deerat, posse supplere, *sed etiam fidem*

conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest... Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi quod ait apostolus : corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. »

513. — **Dices** cum Baio ex hisce s. Augustini verbis clarere ipsum eatenus tantummodo admisisse caritatem vel contritionem perfectam valere se solis ad justificationem impetrandam, quatenus in casu extremae necessitatis adesset impossibilitas suscipiendi baptismum. Secundum doctrinam igitur s. Augustini falsum esse dicere contritionem formalem vel virtualem esse sine reali sacramenti usu dispositionem proximam ad justificationem consequendam.

514. — **Respondetur** *negando Antecedens. Quare, licet concedatur consequentia, negatur tamen Consequens.* Et ratio negandi Antecedens est quod dicere *contritionem nonnisi in casu necessitatis posse supplere baptismum,* et dicere *contritionem nonnisi in casu necessitatis posse se sola hominem justificare,* sunt duae propositiones apprime diversae. Jam vero priorem harum duarum propositionum loco proxime adducto affirmat s. Augustinus ; nullatenus vero ibi affirmat propositionem etiam posteriorem, sed potius propter affirmatam propositionem priorem eam implicite negat. Ad cujus responsionis evidentiam considerandum est peccatorem qui extra articulum necessitatis justificationem ratione contritionis perfectae a se conceptae sine reali sacramenti usu consequitur, manere adstrictum obligatione suscipiendi sacramentum, eumque incurrere reatum peccati mortalis, si postea, urgente praecepto, huic suae obligationi non satisfaciat. Et propterea, licet non minus extra casum necessitatis quam in casu necessitatis contritio perfecta statim peccatorem justificet ; tamen in solo casu ubi ex una parte impossibile est praesentialiter suscipere sacramentum et ex alia parte mors mox subsequens impedit peccatorem a postea suscipiendo sacramento, vera evadit propositio dicens contritionem perfectam supplere sacramentum et eam se sola sufficere ad salutem consequendam.

Solvuntur difficultates.

515. — **Objicitur** generatim contra omnes probationes pro thesi allatas hunc in modum : Ex eo quod scriptura et patres dicunt caritate vel contritione perfecta hominem consequi dilectionem Dei et

suorum peccatorum remissionem, non est consequens caritatem vel contritionem perfectam esse se solis dispositiones proximas ad justificationem. Est quippe consuetum scripturae sacrae, uti et patribus, adserere effectum causae alicui remotae vel partiali, perinde ac si esset causa proxima et totalis effectus. Sic v. g. saepissime dicitur in scriptura sacra *fidem salvum facere, fidem justificare, fidem purificare cor.* Nemo tamen catholicus inde concludit fidem se sola et sine accessu aliorum actuum justificare. Eadem ergo ratione locutiones scripturae et patrum vim justificandi caritati vel contritioni perfectae tribuentes, optime explicantur dicendo iis significari caritatem vel contritionem perfectam justificare in et cum reali usu sacramentorum baptismi vel paenitentiae.

516. — **Respondetur** 1° *negando assertum. Ad probationem asserti conceditur Antecedens, sed negatur propositio quae tacite ab adversariis Antecedenti coassumitur. Et propterea negatur etiam Consequens.* Nempe non tenet consequentia argumenti facti, nisi una cum propositione antecedenti assumatur haec altera propositio, non aliunde videlicet a nobis probari caritatem esse se sola dispositionem proximam ad justificationem, nisi ex eo quod de caritate a scriptura et patribus praedicatur eam peccatorem justificare vel eam peccatori afferre suorum peccatorum remissionem. Jam vero haec propositio Antecedenti tacite coassumpta est falsissima. Quippe a) probatio theseos nullo modo petita est aut peti solet ex propositionibus pure causalibus, sed vel a) ex propositionibus enuntiantibus *quis sit status praesens* omnis omnino hominis habentis caritatem actualem, vel b) ex propositionibus enuntiantibus praesenti contritioni peccatoris respondere ex parte Dei *praesentem peccatorum remissionem.*

517. — **Respondetur** 2° *concedendo Antecedens, transmittendo propositionem Antecedenti tacite coassumptam et negando consequentiam.* Nempe, etiamsi, uti supponunt adversarii, enuntiationes scripturae et patrum e quibus petita est probatio theseos, essent pure causales, adhuc recte ex iis concluderetur caritatem sive actualem sive virtualem esse se sola dispositionem sufficientem ad justificationem. Impossibile est quippe ejusmodi propositionibus significari caritatem esse tantummodo causam partialem justificationis. Cujus ratio sic facile perspici potest. Si caritas, quantum est per se solam, sit tantummodo causa remota et partialis justificationis ; ergo vel ipsa non justificat nisi ratione alicujus actus sequentis, vel ipsa non justificat nisi una cum reali usu sacramenti. Primum dici non potest ; caritas enim ratione actus ipsam

sequentis diceretur causare justificationem vel propter hoc quod est dispositio ad actum sequentem vel propter hoc quod per modum actus imperantis causat actum sequentem. Non prius; quia caritas, cum sit actus perfectissimus, nequit esse mera dispositio ad alium actum. Non posterius; quia caritas virtute jam comprehendit actum sequentem, puta contritionem perfectam; ideoque justificationem quam per modum meriti de congruo contritio perfecta causare posset, ipsa caritas directe et per se causare potest. Neque etiam secundum membrum disjunctionis supra positae accipi potest, nempe caritatem non justificare nisi cum reali usu sacramenti. Sequeretur enim nunquam hominem justificari posse nisi reali sacramenti usu, quod repugnat universalitati voluntatis Dei salvificae.

518. — Sed **instant** Baiani dicentes universalitatem voluntatis Dei salvificae sufficienter in tuto collocari, si ponatur Deum in casu necessitatis acceptare ad justificationem actum caritatis vel contritionis perfectae. Non ergo ex universalitate voluntatis Dei salvificae consequens esse etiam extra casum necessitatis caritatem vel contritionem perfectam justificare sine reali usu sacramenti.

519. — **Respondetur** 1) nisi concedatur testimoniis scripturae ac patrum quae produximus, significari caritatem vel contritionem perfectam esse per se et in omni casu proximam ad justificationem dispositionem, sine fundamento asseri ab adversariis requiri in casu necessitatis actum caritatis vel contritionis perfectae ad justificationem consequendam. Cur enim in tali casu non sufficiet attritio ex metu gehennae concepta, cum etiam talis attritio asseratur in scripturis esse causa remota et partialis justificationis? Ad quod accedit 2) quod fieri nequit ut in oeconomia novae legis minor sit vis caritatis quam in oeconomia veteris legis. Denique 3) stat prima responsio facta ad principalem objectionem adversariorum; non enim contra eam valet instantia modo proposita nisi ex suppositione non concessa, sed tantummodo permissa, in testimoniis scripturae quae adduximus, effectum justificationis tribui caritati vel contritioni perfectae per propositiones pure causales.

CAPUT XIII.

De natura contritionis perfectae.

520. — Uti colligitur ex iis quae cap. XI generaliter praemonuimus, perfectio essentialis alicujus actus voluntatis attenditur ex parte motivi propter quod elicitur talis actus ; perfectio vero accidentalis ejusdem actus attenditur ex parte intensitatis hujus actus vel durationis ipsius vel aliarum ipsius circumstantiarum specificam rationem ejus objecti motivi non mutantium.

521. — Si igitur ponatur omnis contritio quae sit perfecta, essentialiter differre ab omni contritione quae non sit perfecta, necesse erit ponere esse aliquod proprium motivum contritionis perfectae in quo cum ipsa non communicet contritio quae dicitur imperfecta. Et quidem, stante tali positione, duplex modus dicendi est possibilis. Aut enim dici potest proprium motivum contritionis perfectae universim sumptae esse genericum vel saltem illud indeterminate seu disjunctive nominare plura diversa motiva, et secundum talem dicendi modum consequenter asserendum erit plures esse contritionis perfectae species vel quasi species quarum unaquaeque sibi vindicet motivum aliquod specifice diversum a motivis ceterarum. Aut vero dici potest proprium motivum contritionis perfectae universim sumptae esse specifice determinatum, et secundum talem dicendi modum oportebit dicere contritionem perfectam esse infimam quamdam speciem actuum peccati detestativorum.

522. — Si vero ponatur contritio quae sit perfecta, non nisi accidentaliter differre a quadam contritione imperfecta, necesse erit dicere contritionem perfectam non differre a contritione illa imperfecta nisi majore sua intensitate graduali vel etiam longiore sua duratione. Et per consequens, stante tali positione, erit aliqua attritio efficax quae ex eodem prorsus motivo elici poterit atque contritio perfecta. Itidem, stante tali positione, oportebit dicere omnem contritionem perfectam concipi ex uno eodemque motivo specifico, nempe ex motivo omnium perfectissimo, quod est motivum caritatis. Esset enim contradictorium dicere ad perfectionem contritionis non sufficere eam perfectionem quam habet contritio ex ipsa substantia actus, sed ad eam praeterea requiri perfectionem quamdam accidentalem, et hoc tamen non obstante, simul asserere non esse de ratione contritionis perfectae eam

habere totam illam perfectionem substantialem quam possibile esset eam habere. Sane b) supponatur actum aliquem efficaciter detestativum peccatorum non posse habere rationem contritionis perfectae nisi pertingat ad gradum aliquem valde intensum, nihil tamen obstare quominus ille actus concipiatur ex motivo aliquo quod sit infra motivum caritatis. Eliciatur ergo actus ille detestativus intensus ex ejusmodi motivo inferiori. Secundum suppositionem factam erit ille actus contritio perfecta. Jam eliciatur actus aliquis detestativus, efficax quidem, parum tamen intensus, ex motivo caritatis. Alter hic actus erit simpliciter perfectior priore. Et per consequens etiam hic actus erit contritio perfecta. Et sic ruet id quod in postremo hoc modo dicendi defendi intenditur, nempe vehementem quamdam actus detestativi intensionem esse de ratione contritionis perfectae.

Postremus ergo ille modus dicendi eo redit ut dicatur contritionem perfectam non posse elici nisi ex solo motivo bonitatis divinae propter se dilectae; non tamen omnes actus ex tali motivo elicitos habere rationem contritionis perfectae, sed eos tantummodo qui pertingunt usque vel ultra certum aliquem gradum intensitatis.

523. — Duae igitur nobis enascuntur quaestiones de natura contritionis perfectae. Una petit utrum non tantummodo ex motivo caritatis, sed etiam ex motivis aliarum quarumdam virtutum concipi possit actus contritionis perfectae. Et si haec quaestio affirmative solvatur, ampliatur communior notio contritionis perfectae. Altera quaestio petit utrum ad rationem contritionis perfectae requiratur certus quidam gradus intensitatis. Et si haec questio affirmative solvatur, restringitur communior notio contritionis perfectae.

Modo prior harum quaestionum tractanda est.

524. — Est itaque sciendum convenire inter omnes theologos veri nominis de ratione contritionis perfectae esse dolorem qui sit appretiative summus. Cujus ratio sumitur ex eo quod perfectam ad Deum conversionem oportet habere directam contrarietatem ad *aversionem a Deo* quae contigerat per peccatum. Ratione videlicet talis directae ad peccatum contrarietatis fit ut quemadmodum homo, se avertendo a Deo, ei praetulerat res creatas, ita ipse, se perfecte ad Deum convertendo, jam rebus omnibus creatis praeferat Deum.

Et quidem, quantum ad hoc, est advertendum discrimen quod intercedit inter contritionem perfectam et attritionem. Nam attritio est quidem detestatio peccati super omnia ea detestabilia quorum fuga posset inducere hominem ad peccandum; non tamen, quantum est ex

vi motivi propter quod elicitur, est detestatio peccati super omnia omnino detestabilia. Et hoc propterea, quia, uti jam olim docuimus, ad hoc ut attritio esset tali modo detestatio et dolor super omnia, oporteret per eam abjici ipsam vim motivi ex quo concipitur attritio, quod in sensu composito doloris qui non sit nisi attritio, repugnat. At vero contritio, propter hoc ipsum quod magis appretiat Deum quam res omnes creatas, est detestatio super omnia detestabilia simpliciter et absolute.

Porro hoc quod est dolorem esse appretiative seu praelative summum sive dolorem esse super omnia, est proprietas contritionis perfectae quae maxime nota est et a qua tamquam a posteriori procedere oportet ad determinandum veram naturam contritionis perfectae.

Age jam, in peccato, prouti est aversio a Deo, considerari possunt duae rationes, nempe a) *ratio offensae erga Deum* et b) *ratio injuriae in Deum*. Quae quidem rationes, etsi inseparabiliter in peccato conjunctae sint, formaliter tamen inter se distinguuntur. Nempe peccatum, prouti est offensa Dei, directe repugnat Deo, prouti est summe bonum et summe diligibile. Ideoque qui de peccato, ut est offensa Dei, ita dolet ut ratio offensae in peccato adinventa sit ei causa formalis dolendi, is concipit contritionem perfectam ex motivo caritatis. Dolet quippe de suis peccatis propter eorum repugnantiam ad bonitatem Dei summe diligibilem.

Peccatum vero, prouti continet injuriam in Deum, directe repugnat juri quod competit Deo ratione supremi sui dominii in res omnes. Ostensum est autem in priore hujus tractatus parte dolere de peccato ita ut ratio formalis dolendi sit ratio injuriae in peccato adinventa, pertinere ad virtutem specialem paenitentiae et ad virtutem religionis et etiam ad virtutem oboedientiae. Nam et per virtutem specialem paenitentiae dolemus de peccato, prouti per illud generatim laeditur jus divinum, et per virtutem religionis dolemus de peccato, prouti per illud laeditur jus Dei ad honorem, et per virtutem oboedientiae dolemus de peccato, prouti per illud laeditur jus Dei ad nostram subjectionem.

525. — Ex dictis ferme explicatus relinquitur status controversiae, qualis haec inter scholasticos agitari solebat. Quaerebant videlicet scholastici utrum ea peccatorum detestatio qua formaliter detestamur peccatum propter ejus oppositionem ad jus divinum, sit dolor appretiative summus, et utrum per consequens talis peccatorum detestatio sit contritio perfecta. Hoc autem idem erat atque quaerere utrum, quando detestamur peccata propter motivum virtutis specialis paenitentiae vel virtutis religionis vel virtutis oboedientiae, attingamus

aliquam perfectionem cum Deo identificatam tamquam rationem nos moventem ad detestanda peccata. Nam, si quaestio hoc posteriore modo proposita affirmative solvenda sit, negari non poterit quin vi detestationis peccatorum conceptae ex motivo virtutis specialis paenitentiae vel virtutis religionis vel virtutis oboedientiae magis adhaereamus Deo quam rebus omnibus infra Deum positis et quin per consequens noster dolor sit appretiative summus.

526. — Questionem affirmative solvunt scotistae quam plurimi, eam tribuentes Scoto, quorum sententiam probabilem ait esse Suarez et quibus eatenus favet cardinalis de Lugo, quatenus, licet refellat eorum sententiam, asserit tamen eam non esse dignam censura qua eam notavit Vasquez, qui dixit eam esse erroneam. Aiunt porro scotistae motivum contritionis perfectae universim sumptae esse omne motivum quod spectat ad Deum quodque idcirco aliquo modo identificatur cum Deo; sub generalitate autem hujusmodi motivi non contineri solummodo motivum caritatis divinae, sed etiam motiva virtutis specialis paenitentiae et virtutis religionis et virtutis oboedientiae. Nam, licet Deus non sit *finis qui* harum posteriorum virtutum, cum non sint virtutes theologicae, sed morales, eum tamen esse earum *finem cui* (1).

527. — **Arguitur** autem pro hac sententia hisce ferme argumentis.

1° In motivo virtutis specialis paenitentiae vel religionis vel oboe-

(1) Sunt qui aliquatenus accedant ad hanc sententiam, dicentes esse quidem de ratione contritionis perfectae eam concipi ex motivo caritatis, quotienscumque contritio non procedit ex actu formalis amoris Dei; quando tamen talis amor praecedit et imperat contritionem, sufficere ad perfectionem contritionis eam concipi ex motivis virtutis specialis paenitentiae vel religionis vel oboedientiae. Quam sententiam videtur tenuisse Scotus eamque, ad rem quod attinet, tenet etiam Suarez, non differens a Scoto nisi in modo loquendi. Videtur tamen esse aperte falsa quoad alterutram suam partem. Supponunt quippe auctores sic statuentes motivum sub quo in justificatione quae contingit extra sacramentum, peccator formaliter recedit a peccato, illud detestando, posse esse minus perfectum quam motivum sub quo necesse sit peccatorem redire ad Deum, ei incipiendo adhaerere. Jam vero haec suppositio videtur repugnare scripturis. Quippe a) scripturae nomine conversionis ad Deum complectuntur tum actum recedendi a peccato tum actum redeundi ad Deum; quando ergo aiunt conversionem ad Deum, ad hoc ut se sola sit justificativa, debere fieri ex toto corde, manifeste indicant in motivo sub quo peccator recedit a peccato, illud detestando, requiri eamdem perfectionem quae requiritur in motivo sub quo peccator ad Deum redit, ei adhaerendo. Immo b) saepe scripturae, quando agunt de justificatione contingente extra sacramentum, unice exhortantur ad paenitentiam ex toto corde; talis autem adhortatio non esset sufficiens, si detestatio peccatorum quae sit ex toto corde, non necessario procederet ex motivo vi cujus homo perfecte redeat ad Deum. Sane c) per se intellegitur non posse perfecte accedi ad unum ex duobus terminis oppositis absque hoc quod perfecte recedatur a termino altero, estque haec ratio cur actus caritatis non sit justificativus nisi quatenus virtute continet contritionem ex motivo caritatis conceptam.

dientiae includitur essentialis ordo ad Deum tamquam ad *finem cui;* hae enim virtutes et intendunt bonum, *quatenus est Deo debitum,* et abhorrent malum, *quatenus est Deo indebitum.* Quando ergo peccator detestatur peccata sua propter motivum paenitentiae virtutis specialis, vel religionis vel oboedientiae, ipse vi et efficacia talis motivi Deum appretiat super omnia, ita ut paratus sit privari quocumque commodo et subire quodcumque incommodum potius quam auferre a Deo bonum ei debitum vel ponere in Deo malum ei indebitum.

2° Paenitentia illa detestativa propter quam tamquam dispositionem per se sufficientem Deus in scripturis promittit se peccatori daturum esse suorum peccatorum remissionem, est paenitentia detestativa per quam peccator convertitur ad Deum ex toto corde: convertitur autem peccator ad Deum ex toto corde, quando detestatur sua peccata propter repugnantiam quam habent ad Deum; talis porro detestatio potest elici non modo ex motivo caritatis, sed etiam ex motivo paenitentiae virtutis specialis, vel religionis vel oboedientiae. Repugnat quippe peccatum Deo tum ut est offensa Dei, tum etiam ut est injuria Dei; ut est offensa Dei, illud detestatur caritas, ut vero est injuria Dei, illud detestatur paenitentia virtus specialis, vel religio vel oboedientia.

3° Scriptura, exhortans ad paenitentiam quae sit dispositio proxima ad justificationem, peccatum proponit detestandum, non modo ut est offensa Dei, sed etiam ut est iniquitas, vel ut est transgressio mandatorum divinorum, vel ut est ingratitudo erga Deum benefactorem. Sed detestari peccatum, ut est iniquitas, est illud detestari ex motivo paenitentiae virtutis specialis; detestari peccatum, ut est transgressio mandatorum divinorum, est illud detestari ex motivo oboedientiae; detestari peccatum, ut est ingratitudo erga Deum, est illud detestari ex motivo religionis. Ergo detestatio quae in scripturis proponitur ut dispositio per se sufficiens ad justificationem, non est ex solo motivo caritatis, sed ex motivo universaliori.

528. — Quatenus autem quaestio de motivo contritionis perfectae inter recentiores theologos agitatur, maxime in dubitationem venit utrum contritionem perfectam quae concipiatur ex amore Dei, necesse sit concipi ex amore benevolentiae, an vero sufficiat eam concipi ex solo amore concupiscentiae.

Illud porro interest inter utrumque amorem, quod amore benevolentiae Deum amamus, *ut sibi est bonum,* amore vero concupiscentiae Deum amamus, *ut nobis est bonum.* Aliis verbis, quando Deus amatur ab homine amore benevolentiae, Deus est non modo *finis qui,* sed etiam

finis cui; quando vero Deus amatur ab homine amore concupiscentiae, Deus est tantummodo *finis qui*, homo vero, suam beatitudinem desiderans, est *finis cui*.

Est autem advertendum bonum importare essentialem ordinem sive respectum ad eum a quo est diligibile; quia nihil est bonum nisi in quantum est *perfectivum* illius a quo est diligibile. Et propterea nullum bonum potest esse objectum nostrae voluntatis, nisi quatenus *nobis est bonum*. Quod tamen assertum ad duplicem intellegentiam trahi potest. Aut enim eo intenditur significari bonum non posse esse objectum nostrae voluntatis, *nisi quatenus fundat respectum* illum ad nos ratione cujus dicitur esse *bonum nobis;* et talis sensus est verus et a nobis intentus. Aut eo asserto intenditur significari bonum non posse esse objectum nostrae voluntatis, nisi quatenus actu illud referimus ad nos nostramque beatitudinem tamquam ad terminum respectus; et talis sensus est falsus ac rejiciendus. Sequeretur enim amorem benevolentiae esse impossibilem.

Ceterum, sicuti cum hoc quod aliquod bonum est *bonum sibi,* stat illud simul esse *bonum nobis*, ita cum hoc quod aliquod bonum benevole amamus, ut est bonum sibi, stat illud simul amari a nobis, ut est bonum nobis. Est tamen quidam amor concupiscentiae qui ita radicatur in inordinato amore boni nostri proprii ut sit incompossibilis cum perfecto amore benevolentiae. Sic v. g. si in amando Deum, ut est nobis bonus, inhaereremus nostrae beatitudini creatae ut fini simpliciter ultimo, amaremus Deum amore concupiscentiae inordinato et peccaminoso et inconjungibili cum actu caritatis. Eo igitur amore concupiscentiae erga Deum quem secum compatitur amor caritatis, oportet ita nobis tamquam *fini cui* nos cupere hoc bonum quod est Deus, ut aut a) per actum caritatis praecedentem nosmetipsos nostramque beatitudinem referamus in Deum tamquam in ultimum finem, aut saltem b) non excludamus ulteriorem nostri nostraeque beatitudinis ordinationem in Deum tamquam in finem simpliciter ultimum.

Amor amicitiae non differt nisi connotative ab amore benevolentiae: est videlicet ipsemet amor benevolentiae, prouti ei respondet redamatio ex parte personae amatae. Unde definiri potest esse *amor benevolentiae mutuus*. Proprius ejus effectus est mutua communicatio bonorum.

Et quidem inter bona quae mutuo sibi communicant amici, apprime numerandi sunt ipsi amici. Nullum quippe est majus bonum quod sibi optet communicari amicus, quam persona illius cujus est amicus. Pro-

ptereaque optat amicus sibi habere praesentem amicum ejusque consuetudine frui.

Atque inde etiam est quod proprium est amoris amicitiae *tendere in identitatem cum persona amata*. Exit enim quadantenus ex se qui amat amore amicitiae transitque cogitatione et affectu in personam amatam. Ideoque penitus obliviscitur sui suorumque commodorum, sollicitus tantummodo corum quae pertinent ad commoda amici. Estque haec *extasis amoris* quam dicuntur pati vere amantes.

Esse autem possibilem amorem amicitiae satis ostendit natura voluntatis, quae sequitur naturam intellectus quaeque idcirco valet inhaerere bono objective et in se considerato. Testaturque id etiam experientia; est quippe factum notissimum extasis illa amantium de qua proxime verba injecimus.

Hinc porro efficitur ut amor benevolentiae sit possibilis etiam respectu Dei, quippe a) cujus bonitas omni bono amicabili quod invenitur in hominibus, infinito intervallo antecellat. Exigitque b) hunc amorem benevolentiae debitus rerum ordo in finem eum simpliciter ultimum quem in creando mundo Deus spectavit quique actibus creaturae rationalis proxime est procurandus. Est videlicet hic finis increata Dei bonitas, prouti est nobis communicabilis. In hanc ergo Dei bonitatem totum id quod sumus ipsamque adeo beatitudinem nostram ultimato referri oportet. Profecto c) in beatitudine creaturae rationalis consummatur gloria Dei extrinseca, qui est finis qui intrinsecus mundi. Non autem aliter id contingit, nisi quatenus in beatis increata Dei bonitas tamquam in perfectissima imagine resplendet. Ipsa ergo beatitudo nostra est natura sua ordinabilis ideoque et ordinanda in increatam Dei bonitatem. Est enim maxime amabilis et amanda propter hanc Dei bonitatem resplendentem in ipsa.

In praesenti autem providentiae ordine amori nostro benevolo erga Deum advenire rationem amicitiae et per consequens amicitiam quae Deum inter et hominem intercedat, esse possibilem, constat ex revelatione nos edocente factum intrinsecae hominum justorum elevatíonis ad ordinem supernaturalem. Quippe vi talis elevationis homo admittitur in communionem bonorum Deo propriorum ; nam et pro praesenti vita participatione gratiae sanctificantis redditur quadantenus deiformis et in futura vita donatur visione Dei, quod est bonum soli Deo connaturaliter proprium.

Ceterum possibilitas hujusmodi cum Deo amicitiae sola ratione naturali efficaciter ostendi non potest. Immo homini revelationis

lumine destituto proclive esset judicare hominis cum Deo amicitiam esse absolute impossibilem. Quia enim proprius amicitiae effectus cernitur in mutua communicatione bonorum propriorum, idcirco amicitia, si non invenit aequales amicos, eos reddit quadantenus aequales. Posse autem hominem secundum aliquem participationis modum reddi Deo quadantenus aequalem ratio naturalis sibimet relicta cognoscere non potest. Non enim aliter est possibile hominem reddi Deo quadantenus aequalem, nisi quatenus possibile est hominem intrinsece elevari ad ordinem naturae divinae ; possibilitatem autem hujusmodi elevationis ratio naturalis ignorat.

Nascitur tamen difficultas ex praedictis. Dictum est enim eum qui amat amore amicitiae, amare tum bona propria amici tum bona quae confert amico, prouti haec omnia sunt *bona ipsi amico.* Sed tali modo impossibile est hominem amari a Deo ; quaecumque enim Deus amat, ea Deus necessario amat in ordine ad suam bonitatem increatam ; cum haec ejus bonitas non sit solum ultimus finis qui, sed etiam ultimus finis cui. Videtur ergo esse impossibile verum amorem amicitiae inter Deum et hominem intercedere. — Verum hoc facile solvitur dicendo a) etiam amicitiam inter homines exsistentem, si sit ordinata, non obstare quominus bona amici ita amentur, *uti sunt bona amico,* ut tamen a tali amore non excludatur, sed magis in eo includatur ordo amici bonorumque ipsius ad finem simpliciter ultimum. Sic ergo et Deum posse amare bona quae homini confert, ut bona sunt homini, ita tamen ut ultimato ea velit, ut bona sunt sibimet. Certe b) omnia bona hujus mundi Deo extrinseca Deus amat, *ut sunt bona homini ;* ea enim est causa cur hominem ipse constituerit *ultimum finem cui intrinsecum mundi.* Itidemque etiam bonitatem suam intrinsecam Deus amat, prouti haec ejus bonitas, sui ad hominem communicatione, est etiam bona homini. Non tamen potest Deus hominem amare tamquam *finem cui,* nisi per subordinationem ad se tamquam *ad finem cui* simpliciter ultimum. Eoque modo hominem diligendo, Deus hominem prosequitur excellentissimo quo diligi possit amore : hoc quippe maximum est homini bonum, eum ita communicatione bonitatis divinae beari ut ipsamet ejus beatitudo in Deum tamquam in finem ultimum ordinetur.

Perspicuum est autem eum qui Deum diligit amore benevolentiae sive caritatis, Deum appretiare super omnia. Vi quippe hujus amoris omnia quae sunt infra Deum, se suaque beatitudine haut exceptis, ea de causa amat quod bona sunt Deo. Quod profecto idem est atque eum eo ipso quod ex motivo caritatis Deum diligit, *Deum diligere super*

omnia diligibilia. Ideoque etiam qui ex motivo caritatis concipit suorum peccatorum detestationem, *detestatur peccatum super omnia detestabilia.* Itemque vi propositi in tali detestatione inclusi vel cum ea conjuncti, qui peccata sua ex motivo caritatis detestatur, *proponit vitare peccatum super omnia vitabilia.*

529. — Jam redeundum est ad controversiam cujus explicandae definiendaeque causa haec praemisimus.

Sunt itaque nonnulli theologi sequioris temporis qui contendant contritionem esse perfectam non modo quando elicitur ex motivo caritatis, sed etiam quando elicitur ex motivo amoris concupiscentiae. Unde consequenter asserunt contritionem quae oriatur ex amore concupiscentiae, esse se sola sufficientem dispositionem ad justificationem.

Praecipuus auctor hujus sententiae fuit Bolgeni, qui tamen multo adhuc longius processit : ausus est videlicet defendere purum amorem benevolentiae non esse possibilem, neque talem erga Deum amorem unquam in scripturis commendari. Inter hodiernos vero theologiae scriptores eidem sententiae suffragantur Hurter et Palmieri. Qui addunt etiam detestationi peccatorum quae concipiatur ex motivo paenitentiae specialis vel religionis vel oboedientiae, competere rationem contritionis perfectae.

530. — Hisce porro rationibus pro ea sententia pugnatur.

1° Licet in amore quo Deus amatur amore concupiscentiae, homo habens hunc amorem sit *finis cui,* solus tamen Deus est *finis qui.* Et quidem eo ipso quod Deus amore concupiscentiae efficaciter amatur ut verum et solum beatitudinis objectum, ipse vi talis amoris appretiatur super omnia alia bona in quorum amore aliquis suam beatitudinem constituere posset. Ergo vi efficacis amoris concupiscentiae Deus appretiatur super omnia ; et per consequens quotiens aliquis ex amore concupiscentiae concipit suorum peccatorum detestationem, ipse detestatur sua peccata super omnia detestabilia. Quia ergo detestatio peccatorum qua detestamur peccatum super omnia detestabilia, est contritio perfecta, necesse est dicere detestationem peccatorum quae eliciatur ex motivo amoris concupiscentiae, esse perfectam contritionem.

2° Amor quo Deum amamus amore concupiscentiae, est desiderium Dei, ut est objectum beatitudinis. Sed tale desiderium est actus spei theologicae. Non est autem actus virtutis theologicae, cujus objectum formale non adaequate identificetur cum Deo. Non obstante ergo quod

amore concupiscentiae Deus non amatur ut est bonum sibi, sed ut est bonum nobis, ratio nos movens ad amandum Deum tali amore est unice *bonitas increata Dei*. Sed vi talis motivi, quotiens efficaciter nos movet ad amandum Deum, necesse est Deum appretiari super omnia. Quod autem motivum nos movet ad appretiandum Deum super omnia, illud, quando ratione ipsius detestamur peccata a nobis commissa, movet nos ad detestandum peccatum super omnia detestabilia. Sed quotiens aliquis detestatur peccata sua super omnia detestabilia, ipse elicit actum contritionis perfectae. Rursum ergo necesse est concludere detestationi peccatorum quae oriatur ex motivo amoris concupiscentiae, competere rationem contritionis perfectae.

531. — In oppositione ad duas sententias hactenus enarratas tenent s. Thomas et cum eo pars longe maxima theologorum omnis aetatis non esse contritionem perfectam nisi eam dumtaxat quae eliciatur ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Cujus sententiae veritas jam in perspicuo ponenda est.

Propositio.

Neque ex motivo justitiae erga Deum, neque ex motivo amoris concupiscentiae, sed ex solo motivo caritatis concipi potest detestatio peccatorum quae sit per se sufficiens ad justificationem dispositio quaeque idcirco nominanda sit contritio perfecta.

Thesim defendimus ut theologice certam ideoque omnem sententiam ei adversantem reprobamus ut falsam.

532. — **Prima pars** : *Contritio quae sit perfecta, nequit concipi ex motivo justitiae vel ex motivo amoris concupiscentiae.*

Probatio sumitur ex eo quod secundum scripturarum effata contritionem quae se sola sit sufficiens ad justificationem dispositio, oportet esse appretiative summam. Argumentum sic procedit. Sola detestatio peccatorum qua peccator convertitur ad Deum *ex toto corde*, est secundum scripturarum doctrinam dispositio per se sufficiens ad impetrandam remissionem peccatorum (Deut. IV, 29, Joel. II, 12). Manifestum est autem peccatorem non convertere ad Deum totum suum cor, quando dividit suum cor inter rem creatam et Deum, rem creatam, quantum est praecise ex vi actus detestativi peccatorum a se eliciti, non minus appretiando quam Deum. Quamobrem sola detestatio peccatorum qua Deus appretietur super omnia creata et qua per consequens

peccatum odio habeatur super omnia odibilia, est secundum scripturarum doctrinam dispositio per se sufficiens ad impetrandam peccatorum remissionem. Implicat autem peccatorem qui non movetur ad detestanda sua peccata nisi vi motivi a Deo distincti, appretiare Deum supra omnia diligibilia et odio habere sua peccata super omnia detestabilia. Oporteret enim eum appretiare Deum super ipsum motivum cujus unius vi et efficacia movetur ad appretiandum Deum, quod apparet esse contradictorium in terminis.

533. — Jam vero 1° motivum virtutis specialis paenitentiae vel religionis vel oboedientiae, quae omnia hic comprehendimus nomine justitiae erga Deum ; hoc motivum, inquam, est aliquid totaliter distinctum a Deo. Consistit quippe hoc motivum in honestate quae cernitur in servanda aequalitate ad jus divinum proindeque ad hoc ut illud motivum esset aliquid Deo identificatum, oporteret honestatem quae cernitur in servanda aequalitate ad jus divinum, esse aliquid Deo identificatum. Jam vero impossibile est dicere talem honestatem esse aliquid Deo identificatum. Quippe nonnisi in ipsissimis nostris actionibus quas ex justitia erga Deum exercemus, invenitur aequalitas ad jus divinum ; honestas autem quae cernitur in hac aequalitate, est ipsamet haec aequalitas, prouti fundat respectum conformitatis ad naturam nostram rationalem. Estque per se evidens omnem honestatem identificari cum nostris actionibus; solae quippe actiones nostrae, prouti conformantur regulae rationis, sunt et dicuntur honestae.

534. — **Nec juvat dicere** *finem cui* prius et magis movere quam *finem qui ;* quamvis autem Deus non sit *finis qui* actuum virtutis specialis paenitentiae vel religionis vel oboedientiae, eum tamen esse horum actuum *finem cui. — Hoc non juvat dicere*, inquam ; tametsi enim Deus sit *finis cui* praedictorum actuum ; non tamen ipse est *finis cui amato* debitum justitiae reddimus. Jam vero de solo *fine cui amato* verum est dicere ipsum prius et magis movere quam *finem qui.* Nam, si sermo sit de *fine cui* aliquid ex justitia est debitum, non ipsemet hic finis cui, sed honestas quae cernitur in redditione debiti est ratio agendi ; quae honestas, uti jam dictum est, non invenitur nisi in actionibus nostris.

Quod si intendant dicere adversarii Deum esse finem cui amato dolemus debitum justitiae nos peccando denegasse; ergo supponunt detestationem peccati ex motivo justitiae elicitam imperari a praevio actu caritatis, et sic jam coincidit eorum sententia cum sententia Scoti. Quam concedimus non esse tam aperte erroneam quam sententiam quam modo excludere intendimus; est tamen falsa, uti supra ostensum est.

535. — 2° Motivum quod prius et magis nos movet, quando Deum amamus amore concupiscentiae, est aliquid a Deo distinctum, nempe beatitudo nostra formaliter spectata.

Quippe qui amat Deum amore concupiscentiae, is Deum amat, ut bonum est ipsimet; qui autem Deum amat, ut bonum est ipsimet, is non amat Deum, nisi prouti Deus ab eo apprehenditur habere ordinem ad propriam ipsius beatitudinem ; qui autem non amat Deum, nisi prouti Deus ab eo apprehenditur habere ordinem ad propriam ipsius beatitudinem, is nonnisi ex desiderio beatitudinis movetur ad amandum Deum; proindeque respectu voluntatis illius qui non amat Deum nisi amore concupiscentiae, aliquid creatum, beatitudo videlicet, se habet in ordine finium per modum principii primum moventis, increata vero Dei bonitas se habet in eodem ordine finium per modum causae non moventis nisi in virtute beatitudinis prius moventis. Impossibile est ergo detestatione quae proficiscatur ex motivo amoris concupiscentiae, Deum diligi super omnia diligibilia et peccatum odio haberi super omnia odibilia. Nempe, ut detestatio peccatorum quae eliciatur ex motivo amoris concupiscentiae, esset appretiative summa, oporteret vi talis detestationis Deum praeferri ipsimet beatitudini, et per consequens oporteret vi talis detestationis abjici vim motivi cujus unius virtute concipitur ea detestatio; in hoc porro offendi implicantiam contradictionis antea ostensum fuit.

536. — Quamobrem **non valet dici** 1° eum qui amat Deum amore concupiscentiae, bonitatem Dei intrinsecam et increatam amare quidem sibimetipsi tamquam *fini cui* ; id tamen neutiquam obstare quominus ipsamet hac increata Dei bonitate se habente per modum *finis qui*, ipse moveatur ad Deum amandum, et quominus per consequens ipse vi talis amoris Deum appretiet super omnia alia bona diligibilia. — *Hoc non valet dici*, inquam ; quia, licet ad amandum Deum amore concupiscentiae increata Dei bonitas moveat ad modum finis qui ; non tamen ad Deum tali amore amandum movet haec increata Dei bonitas, *nisi in virtute beatitudinis prius et magis moventis.* Hinc videlicet efficitur impossibile esse eum qui amat Deum amore concupiscentiae, vi talis amoris Deum praeferre sibimetipsi et propriae suae beatitudini.

537. — **Nec valet dici** 2° amorem Dei, ut est formaliter objectum nostrae beatitudinis, esse actum spei theologicae, et per consequens ad talem amorem eliciendum nos unice moveri motivo realiter identificato cum Deo. — *Neque hoc valet dicit,* inquam ; simpliciter enim negatur assumptio talis argumenti. Quippe amor Dei, ut est objectum

beatificum, non est actus spei, *sed praesupponitur ad actum spei.* Actus videlicet spei theologicae tunc tantummodo elicitur, quando aliquis, jam amans beatitudinem advertensque beatitudinem, ut et media ad ipsam perducentia, habere *rationem ardui,* assurgit contra arduitatem in his omnibus inventam, nitens veluti motivo confirmante voluntatem *omnipotentia Dei auxiliatrice.* Proindeque beatitudo et media ad ipsam perducentia non sunt nisi objectum materiale spei theologicae, *et quidem non aliter nisi quatenus habent rationem ardui ;* id vero quod est objectum formale spei theologicae, est unice *omnipotentia Dei auxiliatrix.*

Ceterum committitur aequivocatio, quando dicitur ad amandum Deum, *ut est objectum beatificum,* unice nos moveri ex motivo increatae Dei bonitatis. Nempe verba haec reduplicativa : *ut est objectum beatificum,* trahi possunt ad duplicem intellectum. *Primo* scilicet possunt intellegi haec verba *de Dei ad beatitudinem respectu fundamentaliter accepto,* et secundum talem modum intellegentiae verum est dicere nos in amando Deum, ut est objectum beatificum, unice moveri increata Dei bonitate. Verum actus amoris qui ex motivo increatae Dei bonitatis sic consideratae elicitur, neque est actus spei, neque est actus praesuppositive se habens ad spem, sed est actus caritatis theologicae. *Secundo* possunt intellegi praedicta verba reduplicantia *de Dei ad beatitudinem respectu formali.* Et secundum talem modum intellegentiae necesse est dicere nos ad amandum Deum, ut est formaliter objectum beatificum, non moveri nisi in virtute motionis qua ipsa futura beatitudo nos movet ad se desiderandum.

538. — **Secunda pars :** *Ex solo motivo caritatis valet concipi detestatio peccatorum quae per se sit sufficiens ad justificationem dispositio.*

Probatur 1° *via exclusionis.* Omne motivum ex quo concipi valeat peccatorum detestatio, est aut a) bonitas aliqua penitus distincta a Deo, aut b) bonitas divina considerata in formali sui relatione ad nostram beatitudinem, aut c) bonitas divina considerata secundum se et absolute. Sed, uti conclusum relinquitur argumentis factis pro priore propositionis parte, neque ex motivo bonitatis a Deo penitus distinctae, neque ex motivo bonitatis divinae consideratae in formali sui relatione ad nostram beatitudinem elici valet peccatorum detestatio quae sit per se sufficiens ad justificationem dispositio. Ergo solum motivum ex quo elici valeat talis detestatio, est bonitas divina secundum se et absolute considerata, quod est motivum caritatis.

539. — **Probatur** II° *ex auctoritate scripturae, patrum et conciliorum.* Etenim a) nunquam scripturae alicui actui virtutis tribuunt vim impe-

trandi, per modum dispositionis per se sufficientis, remissionem peccatorum nisi soli actui dilectionis super omnia. b) Patres, loquendo de justificatione quae contingat extra sacramentum, significant eam nunquam contingere absque amore Dei ex motivo caritatis. Sic v. g. auctor sermonis 117 inter sermones falso attributos Augustino : « Paenitentiam certam non facit nisi odium peccati et amor Dei. » Et ipse Augustinus in libro XXI De civitate Dei, c. 27 : « Nisi desistant, inquit, a peccato, habendo caritatem, quae non agit perperam, nihil iis prodesse potest. » Quod vero caput est, c) patres tridentini, qui legitimi sunt traditionis interpretes, agentes in sess. XIV, c. 4, de contritione perfecta, prouti condistinguitur ab imperfecta, non aliam assignant contritionem perfectam nisi eam quae concipitur ex motivo caritatis.

540. — **Dices :** Qui affirmat aliquando contingere contritionem caritate perfectam esse, non propter hoc intendit negare esse alia motiva a motivo caritatis distincta ex quibus elici possit actus contritionis perfectae. Nec vero existimandi sunt patres tridentini voluisse dirimere litem quae inter thomistas et scotistas de motivo contritionis perfectae agitatur.

541. — **Respondetur** plane concedendo argumentum quod sumitur ex verbis concilii tridentini, non esse decretorium, sed negando inde non valde probabiliter colligi intentum. Et ratio negationis est — tum a) quod patres tridentini agunt de contritione perfecta, prouti condistinguitur ab attritione, ideoque non suberat ratio cur considerationem ad certam aliquam speciem contritionis perfectae restringerent — tum b) quod ne verbulo quidem innuunt patres se non agere de contritione perfecta secundum totam ejus latitudinem.

Restat ut diluantur argumenta quae facta sunt pro sententiis thesi reprobatis.

542. — **Ad primum argumentum scotistarum dicitur** ejus solutionem patere ex probatione facta pro prima propositionis parte. Uti ibi videlicet ostensum est, licet motivum virtutis specialis paenitentiae, vel religionis, vel oboedientiae, includat formalem respectum ad Deum, et licet per consequens Deus sit finis ad quem tamquam ad finem cui terminentur actus praedictarum virtutum; non tamen Deus respicitur hisce actibus ut *finis cui prius amatus*, quod tamen requireretur ad hoc ut aliqua ejus intrinseca perfectio esset ratio saltem remote movens voluntatem ad hosce actus eliciendos.

543. — **Ad secundum argumentum dicitur** peccatum, ut includit rationem injuriae, directe opponi bono quod Deo est debitum, tale porro

bonum esse Deo extrinsecum. Quatenus vero propter hoc ipsum quod peccatum repugnat bono quod debitum est Deo, ipsum etiam repugnat intrinsecae Dei bonitati, rationem injuriae esse in peccato inseparabiliter conjunctam cum ratione offensae, quae posterior ratio si moveat ad peccatum detestandum, jam elici actum detestationis ex motivo caritatis, et non ex motivo virtutis specialis paenitentiae, vel religionis, vel oboedientiae.

Ad tertium argumentum dicitur duplicem esse rationem cur scriptura, quando exhortatur peccatores ad convertendum se ad Deum ex toto corde, h. e. perfecte, detestabilitatem peccati demonstret ex eo quod peccatum est iniquitas, quod est impietas, quod est praevaricatio legis divinae, quod est ingratitudo, et ita porro. Prima hujus ratio est quod, attentis iis quae ordinarie contingunt, peccator non derepente transit ab actuali affectu peccandi ad affectum perfectae dilectionis Dei ; sed ex uno horum extremorum pervenit ad alterum per viam intermediam attritionis. Hinc videlicet fit ut peccatori cujus conversio procurari velit, prius proponenda sint motiva ratione quorum nonnisi imperfecte ad Deum convertatur. Altera ratio cur detestabilitatem peccati scriptura demonstret ex eo quod peccatum est iniquitas, impietas etc., est quod id omnino necessarium erat ad demonstrandum gravitatem offensae in Deum admissae. Ad cujus veritatem percipiendam considerandum est omnibus peccatis mortalibus illud commune esse ea esse aversionem a Deo fine ultimo et offensam Dei ; at vero quotuplici nomine peccatum aliquod sit offensa Dei vel quanta sit offensae in peccato adinventae gravitas, id aliunde attendi non posse nisi vel ex aliis rationibus generaliter in omni peccato adinventis vel ex specifia peccatorum inter se differentia. Nempe, uti jam aliquatenus liquet ex superius dictis, rationes injuriae erga Deum, ingratitudinis erga Deum, violationis praecepti divini atque aliae ejusmodi quae in peccato sunt considerabiles, distinguuntur quidem formaliter a ratione offensae in Deum admissae, ita tamen inseparabiliter singulas hasce rationes comitatur ratio offensae divinae, ut quo magis peccatum participat de ratione injuriae erga Deum, ingratitudinis erga Deum, violationis praecepti divini et ita porro, eo magis etiam ipsum participet de ratione offensae divinae. Itemque, quo gravius est peccatum aliquod, attenta propria et specifica ejus differentia, eo gravius etiam tali peccato Deus offenditur.

Rationes quae fiebant pro secunda sententia, jam inter argumentandum solutae sunt.

544. — **Dices** toto tempore veteris legis et respectu multorum hominum etiam tempore novae legis contritionem perfectam fuisse vel esse unicum medium resurgendi a lapsu. Cum ergo frequentissimus sit lapsus, non debuisse restringi rationem contritionis perfectae ad actum valde difficilem; quia sic nimis coartaretur via salutis. Sed contritionem quae ex motivo caritatis sit elicienda, esse difficillimam ; raro enim homines qui hactenus coeno peccatorum immersi fuerint, trahi motivo dilectionis Dei super omnia, quippe quod omnium motivorum detestandi peccata sit perfectissimum.

545. — **Respondetur** in negotio salutis supernaturalis rationem esse habendam gratiae divinae quae, praesertim in casu necessitatis, nemini denegatur et ratione cujus ea quae per se sunt difficillima, evadunt facillima. Ceterum ultro a nobis conceditur, attentis iis gratiae auxiliis quae ordinarie peccatoribus conceduntur, non difficillimum modo, sed moraliter impossibile esse hominem, jam diu in statu peccati jacentem, subito et unico in instanti sese erigere ad detestandum sua peccata ex motivo caritatis. At vero a) negandum est peccatori fore adeo difficilem contritionem ex tali motivo conceptam, si ab attritione ex motivo imperfectissimo concepta ipse per gradus sucessivos assurgat ad actus attritionis ex motivis usque perfectioribus elicitos, donec tandem perveniat ad id quod est summum, nempe ad eliciendam contritionem ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Illud etiam b) attendendum est, magnas esse in negotio justificationis partes fidei, quae, quo fuerit firmior et excitatior, eo facilius peccator deveniet ad Deum propter se amandum. Qui enim primum praevia attritione cor suum ab affectu peccandi penitus abstraxerit quique deinde sub illustratione fidei sese converterit ad vivide apprehendendum quanta sint beneficia quae Deus et in praesenti vita homini jam contulit et in futura vita paratus est ei conferre, is, adjuvante gratia, naturali animae impulsu eo deferetur ut Deum jam non propter ipsius beneficia, sed propter supereminentem ejus bonitatem diligat. Nam et beneficiorum quae ab homine in alterum conferuntur, ea est vis ut eum cui benefit, sponte rapiant in amorem benefactoris.

CAPUT XIV.

De intensitate contritionis perfectae.

546. — Ostensum est hactenus *solam* peccatorum detestationem ex motivo caritatis elicitam esse contritionem perfectam. Restat videndum utrum *omnis* peccatorum detestatio ex tali motivo elicita, sit contritio perfecta. Examinandum est videlicet utrum ad contritionem, ut sit perfecta, requiratur gradus intensitatis vel summus vel certe magnus valde, ad quem si non pertingat detestatio peccatorum ex motivo caritatis elicita, utcumque sit efficax et super omnia, non futura sit contritio perfecta, sed attritio.

Sunt auctores qui sentiant ad contritionis perfectionem requiri definitum aliquem intensitatis gradum ideoque non omnes actus peccatorum detestativos qui ex motivo caritatis eliciantur, sed eos tantummodo ex hisce actibus qui vel attingant vel excedant definitum illum intensitatis gradum, habere rationem contritionis perfectae sive per se justificantis. Quae sententia, uti jam antea notavimus, vehementer coartat notionem contritionis perfectae. Dum contra, sententiae quae capite superiore reprobatae sunt, eam notionem plus aequo ampliare satagunt. Sunt autem diversi modi praedictam sententiam explicandi atque defendendi. Tres videlicet oportet distingui classes auctorum ei plus minusve suffragantium.

547. — Prima est classis eorum qui accedunt quidem ad eam sententiam, qui tamen, si proprie loquendum sit, nequeunt dici eam defendere. Assentiuntur quippe communiori theologorum sententiae in asserendo haec duo, videlicet a) quotienscumque peccatorum detestatio quae eliciatur ex motivo caritatis, est appretiative summa, eam habere rationem contritionis perfectae, et b) eo ipso quod detestatio ex praedicto motivo elicita, est efficaciter detestativa peccatorum, eam esse appretiative summam. Verum illud horum auctorum est proprium quod contendunt certum aliquem ac definitum gradum intensitatis requiri in actu peccatorum detestativo ad hoc ut ille actus sit efficax.

548. — Fundamentum hujus sententiae est quod ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae potest elici tum displicentia peccatorum quae sit efficax, tum displicentia peccatorum quae sit inefficax. Quia ergo actus qui ex eodem motivo eliciuntur, non possunt inter se distingui specifice, h. e. quoad ipsam substantiam actus, idcirco prae-

dicti auctores asserunt displicentiam peccatorum quae sit efficax, non posse distingui a displicentia peccatorum quae sit inefficax, nisi gradu intensitatis dumtaxat. Ideoque ad hoc ut contritio sit perfecta sive perfecte justificativa, requirunt ut attingat eum saltem intensitatis gradum infra quem si consisteret, jam non esset displicentia peccatorum efficax, sed displicentia inefficax sive simpliciter sive secundum quid.

549. — Tenent eam sententiam veteres ii scholastici qui posuerunt in processu justificationis non modo peccatorem ex attrito fieri contritum, sed insuper praecedentem ejus attritionem fieri contritionem. Inter quos, uti antea diximus, numerandus est etiam Scotus. Quem sequuntur nonnulli ex recentioribus scotistis, ac nominatim insignes Scoti commentatores, Faber et Hicquaeus. Videri autem posset talem positionem esse rationabilem et veram. Uti enim capite superiore docuimus, per viam attritionis non pervenitur regulariter ad habendam contritionem perfectam, nisi quatenus a detestatione peccatorum ex imperfectissimo motivo concepta paulatim procedit peccator ad detestanda sua peccata ex motivis usque perfectioribus, donec tandem deveniat ad ea detestanda ex motivo dilectionis Dei. At vero non omnis Dei dilectio est perfecta, sed alia dilectio Dei est imperfecta, alia vero dilectio Dei est perfecta. Ideoque, sicuti peccator non statim devenit ad concipiendam suorum peccatorum displicentiam propter eorum cum bonitate divina repugnantiam, ita rationabile esse videtur dicere non statim atque ex tali motivo displicentiam suorum peccatorum peccator concipit, esse in eo dilectionem Dei perfectam. Ponebant igitur veteres illi scholastici in dilectione Dei et per consequens in displicentia peccatorum ex ea orta attendi processum quemdam ab imperfecto ad perfectum. Primum videlicet aiebant Deum non amari nisi complacentia quadam inefficaci eademque valde debili ex qua inefficax quaedam ac debilis peccatorum displicentia oriretur; deinde inefficacem illum Dei amorem displicentiamque peccatorum ex eo obortam paulatim crescere et per gradus successive additos intendi, donec tandem dilectio Dei ita intensa evaderet ut ratione ipsius peccator sua peccata jam efficaciter et super omnia detestaretur.

550. — Secunda est classis auctorum qui concedunt, sicuti auctores primae classis, quotienscumque detestatio peccatorum ex motivo dilectionis Dei elicita, est dolor super omnia nihil deesse tali detestationi ad hoc ut habeat rationem contritionis perfectae sive per se justificantis. Verum eo videri possent differre auctores hujus classis ab

auctoribus primae classis quod contendunt detestationem peccatorum quae ex motivo dilectionis Dei oboriatur, posse esse efficacem, absque hoc quod sit dolor super omnia sive appretiative summus. Proptereaque aiunt, quando displicentia illa peccatorum ex motivo dilectionis oborta jam evasit efficaciter detestativa peccatorum, adhuc oportere eam per ulteriores gradus intendi ad hoc ut acquirat excessum illum appretiativum, qui est de essentia contritionis perfectae.

551. — Est haec celebris sententia cardinalis Pallavicini, quam post eum amplexi sunt alii etiam auctores. Docebat cardinalis Pallavicini detestationem illam efficacem peccatorum quae requiritur ad sacramentum paenitentiae digne et fructuose recipiendum, debere elici ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Negabat tamen ex hac sua doctrina esse consequens semper peccata mortalia remitti ante realem usum sacramenti paenitentiae. Propterea autem id negabat, quia ad remissionem peccatorum sine reali sacramenti usu impetrandam requiritur contritio perfecta ; uti autem ipse opinabatur, non omnis detestatio qua peccator efficaciter detestetur sua peccata propter motivum dilectionis Dei, est contritio perfecta, eo quod non omnis talis detestatio sit dolor super omnia sive dolor appretiative summus. Quod explicabat dicendo posse aliquem vi dilectionis Dei praeferre bonitatem divinam omnibus quae per se bonitati divinae repugnant, h. e. omnibus peccatis ; posse tamen simul contingere ut nondum tanta sit vis ejus Dei dilectionis ut bonitatem divinam praeferat iis etiam bonis quae non repugnant neque repugnare possunt bonitati divinae, puta aeternae suae exsistentiae, suae praeservationi a cruciatibus gehennae, suae perfectae beatitudini.

Porro amor iste Dei propter se dilecti, efficax quidem, sed non summe appretiativus, quem Pallavicinus eumque secuti Edmundus Gisbertus, S. J. aliique auctores ponunt esse de essentia attritionis quae nonnisi in et cum sacramento justificat, vocatur ab iisdem *amor Dei initialis*. Cui tamen appellationi, uti elucescet ex postea dicendis, alia ab aliis auctoribus significatio indita est.

552. — Tertia denique est classis auctorum qui decernunt ad hoc ut dolor de peccatis ex amore Dei propter se dilecti conceptus, habeat rationem contritionis perfectae, minime sufficere talem dolorem esse appretiative summum, sed requiri insuper eumdem dolorem, attento intensitatis gradu, esse vehementem, acrem, incensum, robustum, perfectum. Unde hi auctores contritionem ex amore Dei propter se dilecti conceptam quae sit appretiative summa, distinguunt in *contri-*

tionem debilem, remissam, quae per se et sine reali sacramenti usu non sufficiat ad justificationem, et *contritionem intensam*, quae per se ad id sufficiat. Appellantque priorem contritionem, contritionem imperfectam, alteram, contritionem perfectam. Amoremque Dei appretiative summum, sed remissum, ex quo procedat contritio illa imperfecta, vocant *amorem Dei initialem, amorem inchoatum, amorem imperfectum.*

553. — Est autem admodum notandum discrimen inter tertiam hanc sententiam et duas sententias priores. Qui enim auctores tenent primam vel secundam sententiam, ii ponunt in unum incidere excessum appretiativum contritionis perfectae et excessum ejus intensivum. Non enim alia de causa requirunt certum aliquem gradum intensionis in contritione perfecta, nisi quia sine illo gradu, etiamsi remaneret actus substantialiter idem, contritio jam non esset appretiative summa, sed esset vel detestatio efficax tantummodo vel adeo displicentia inefficax. At vero auctores tertiae sententiae non curant utrum sit displicentia aliqua peccati inefficax quae nonnisi gradu intensitatis differat a displicentia aliqua peccati efficaci, vel utrum sit displicentia aliqua peccati efficax quae tamen nondum sit satis intensa ad hoc ut sit displicentia peccati super omnia, immo haud obscure significant utramque quaestionem negative solvendam esse. Ideoque in hoc unice incumbunt ut efficiant ad rationem contritionis perfectae non sufficere excessum appretiativum, sed praeter et supra hunc excessum requiri excessum intensivum.

554. — Praecipuum eorum fundamentum est quod ad contritionem quae per se sit reconciliativa cum Deo, scripturae requirunt conversionem peccatoris ad Deum quae sit *ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus.* Hisce videlicet verbis aiunt significari requiri ad conversionem perfectam *totalitatem conatus,* hanc porro totalitatem deficere in contritione quae non sit intensive summa.

555. — Quod si quaeras ab hisce auctoribus quisnam sit ille excessus intensivus qui sit de ratione contritionis perfectae, non uno modo respondent. a) Alii dicunt requiri *intensitatem absolute summam,* nempe intensitatem quam exhibere possit homo secundum totum conatum ipsi possibilem. Ita docuit Hadrianus, in Sent. IV, q. 2, de paenitentia, priusquam in romanum pontificem electus esset. Nec nisi qui ita respondent, loquuntur consequenter ad fundamentum cui in communi nituntur auctores hujus tertiae classis.

b) Alii dicunt requiri *intensitatem comparative summam,* nempe intensitatem doloris quae major sit intensitate qua homo detestetur quodlibet

aliud malum vel qua diligat quodlibet aliud bonum. Ita Petrus Soto, lectt. 14 et 15 de paenitentia.

c) Posset adhiberi etiam tertius respondendi modus, dicendo requiri gradum aliquem doloris valde intensum, quem tamen solus Deus noverit. De hoc tamen dicendi modo testatur Suarez nullum se invenisse auctorem qui eum teneret.

556. — Porro praeter auctores jam nominatos tuentur tertiam sententiam proxime expositam multi ex iis recentioribus qui negant attritionem formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam. Inter eos eminent Christianus Lupus, in Dissert. dogm. circa contrit. et attrit. et in Epist. ad Henric. Norisium, Petrus Lambertus Le Drou, episcopus porphyriensis, in Dissertationibus quattuor de contritione et attritione et in Confutatione discuss. Theolog. August. Michel, Joannes Laurentius Berti, libro XXXIV De theolog. discipl., c. 5, Gaspar Jueninus in Commentario historico et dogmatico de sacramentis, lib. IV, dissert. 6, q. 4, cap. 4, Joannes Morinus in Exercitatione historico-theologica de contritione et attritione et in lib. VIII De administratione sacramenti paenitentiae, cap. 4.

557. — Longius adhuc progressi sunt Joannes Molanus, Gulielmus Estius et Franciscus Sylvius, qui dixerunt ne contritionem quidem acrem, valde intensam et vehementissimam infallibiliter conjungi cum remissione peccatorum, quia non omnibus habentibus talem contritionem datur statim remissio peccati, sed aliquibus quibus Deus voluerit. Unde doctrina est horum doctorum raro contingere ut extra casum necessitatis contritio ex amore Dei concepta justificet se sola et sine reali usu sacramenti.

558. — In oppositione ad sententias hactenus enarratas tenet sententia longe communior theologorum ad contritionem quae per se sit justificativa, non requiri intensionem in tali vel tali gradu, sed sufficere substantiam actus detestativi ex motivo caritatis concepti, in quocumque sit gradu. In qua sententia continentur tria, nempe a) efficacem peccatorum detestationem ex motivo caritatis elicitam non gradu aliquo intensitatis, sed eo quod vere ac proprie est actus detestativus, distingui ab omni inefficaci peccati displicentia ex simplici bonitatis divinae complacentia oborta, porro b) eo ipso quod dolor ex motivo caritatis obortus, est efficax, eum esse dolorem appretiative summum, et c) eo ipso quod idem dolor est appretiative summus, eum habere rationem contritionis perfectae.

559. — Est autem aliqualis difficultas circa primum ex tribus istis assertis.

Ut igitur efficax hujus asserti demonstratio adduci queat, praeanimadvertendum est partem concupiscibilem animae tres habere actus circa bonum et tres alios actus circa malum. Ejus actus circa bonum sunt a) *amor,* prouti nominat simplicem complacentiam boni, b) *desiderium,* sive tendentia in bonum realiter consequendum, quae vocatur etiam *prosecutio boni,* et c) *gaudium,* sive *quies* in bono jam realiter possesso. Ejusdem appetitus actus circa malum ex adverso respondentes ejusdem actibus circa bonum, sunt a) *odium,* prouti nominat simplicem displicentiam mali, b) *fuga* sive recessus a malo realiter avertendo, quae dicitur etiam *aversio* ac *detestatio,* et c) *tristitia* sive *dolor* causatus ex malo jam facto realiter praesente.

Porro simplex complacentia boni de necessitate praesupponitur ceteris actibus quos voluntas habere potest, sive hi actus versentur circa bonum, sive versentur circa malum. Quo sensu amor, prouti nominat simplicem complacentiam boni, dicitur causa et radix omnium animae passionum.

Ceterum, si ex una parte tantummodo considerentur actus appetitus concupiscibilis circa bonum, ex alia vero parte tantummodo considerentur actus ejusdem appetitus circa malum, manifesto dicendum est simplicem complacentiam boni ita comparari ad actus desiderii et gaudii, sicut simplex displicentia mali comparatur ad actus fugae et doloris. Ad introspiciendum igitur utrum gradu suae intensionis an aliter differat simplex displicentia alicujus mali a fuga et detestatione hujus mali, sufficit dispicere in quonam consistat discrimen inter simplicem complacentiam boni et prosecutionem sive desiderium boni.

1° Amor, prouti nominat simplicem complacentiam, est *appetitus boni secundum se et absolute considerati,* absque hoc quod voluntas tendat in realem hujus boni consecutionem vel adhaereat huic bono prouti jam est realiter obtentum et praesens factum. Bonum videlicet, prouti est objectum amoris simplicis complacentiae, praescindit a differentiis boni *absentis* et boni *praesentis.* Quamobrem amor simplicis complacentiae neque est *motus voluntatis in bonum,* quia talis motus est desiderium, neque est *terminus* talis motus, nempe *quies* voluntatis in bono, quia talis quies est gaudium; sed est *inclinatio quaedam voluntatis in bonum,* quae inclinatio omni motui voluntatis praesupponitur.

Potest autem haec simplex boni complacentia, absque hoc quod cesset esse simplex complacentia, secundum omnes gradus possibiles

intensitatis variari. Ideoque potest esse etiam intensissima. Patet id ex cujusque experientia. Sic v. g. potest aliquis vehementissimo affectu affici erga res quae nuspiam sunt neque uspiam esse possunt, uti contingit iis qui addicti sunt lectioni fabularum milesiarum. Quique sunt incontinentes, solent quam vehementissime sibi complacere in cogitatione rerum turpium, etiam quando nullum excitant in voluntate motum prosecutionis talium rerum.

Porro sive simplex affectus complacentiae sit deliberatus, sive sit indeliberatus, sive ejus objectum sit honestum, sive sit turpe, pendet ejus intensitas a modo vividiore minusve vivido quo mens apprehendit bonum, quod est objectum complacentiae. Ideoque, prouti voluntas magis vel minus vehementer applicat intellectum vel phantasiam ad considerandam bonitatem objecti, minus vel magis intensa oritur in voluntate complacentia objecti.

Quia autem res corporeae magis vivide nos percellunt quam res pure intellectuales, idcirco communiter contingit ex apprehensione boni sensibilis magis intensam oriri complacentiam quam ex apprehensione boni intellectualis. Ad quod accedit quod intellectus pendet in operando a sensibus : hinc videlicet fit ut, non obstante hoc quod voluntas vult applicari intellectum ad considerandum objectum, intellectus tamen propter indispositionem corporalem vel propter aliquem defectum phantasiae impediatur ab intensa consideratione bonitatis objecti. Quod si contingat, non poterit oriri in voluntate intensa complacentia boni in objecto adinventi.

2° Quantumcumque simplex complacentia alicujus boni sit intensa, voluntas vi suae libertatis manet indeterminata ad realiter prosequendum illud bonum. Statim vero atque voluntas exit ex hoc statu indeterminationis, oritur *actus prosecutionis* sive *desiderii,* quo voluntas jam movetur in bonum, *prouti est realiter consecutibile.* Vocatur etiam talis actus *efficax complacentia,* et merito quidem. Non enim desideramus nisi bonum nobis placens, sicuti etiam non gaudemus nisi de bono nobis placente. In quo bono, prouti est realiter consecutibile vel prouti jam est realiter possessum, includitur tota illa ratio boni quae secundum se et praecise spectata, est objectum simplicis complacentiae. Quapropter in actu desiderii, sicut et in actu gaudii, includitur totus ille amor qui includitur in actu simplicis complacentiae et *aliquid amplius.*

Inepte autem aliquis inde inferret actum desiderii non nisi gradu majoris intensionis differre ab actu simplicis complacentiae. Potest

enim actus aliquis continere totam perfectionem actus alius praecedentis et nihilominus substantialiter ab eo actu differre.

3° Vi actus prosecutionis sive desiderii voluntas primum quidem applicat intellectum ad inquirenda media quibus possessio boni desiderati procurari possit, deinde eligit media convenientia, et postremo applicat alias potentias sibi oboedientes ad exsecutionem horum mediorum.

560. — Eodem prorsus modo philosophandum est de actu simplicis displicentiae mali comparato ad actum aversionis a malo sive detestationis mali.

Nempe 1° simplex displicentia mali versatur circa malum consideratum in se et absolute. Potest autem variari secundum omnes gradus intensitatis, potestque idcirco esse valde intensa, et tamen, hoc non obstante, potest contingere ut nullus consequatur motus detestationis rei in qua invenitur malum quod displicet.

2° Vi actus detestationis voluntas movetur adversus malum, prouti est realiter vitabile vel amovibile vel qualitercumque delebile.

3° Actus detestationis est displicentia efficax mali, ideoque talis actus continet quidem in se totum id quod invenitur in actu simplicis displicentiae, verum superaddit simplici displicentiae mali motum aversionis a malo ; hoc porro intenditur significari quando actus detestationis vocatur *displicentia efficax*.

4° Ad actum detestationis sequuntur inquisitio, electio et exsecutio mediorum idoneorum ad malum vitandum vel removendum.

Propositio.

Ad perfectam contritionem non requiritur intensio in tali vel tali gradu, sed sufficit substantia actus detestativi ex motivo caritatis concepti, in quocumque sit gradu.

561. — **Probatur I°** *via exclusionis*. Ad salvandam rationem contritionis perfectae non sufficeret substantia actus in gradu etiam remisso, sed requireretur in eo intensio aliqua gradualis, vel quia a) displicentia efficax peccati nonnisi gradu suo intensiore distinguatur a displicentia inefficaci ex eodem motivo elicita, vel quia b) non omnis dolor de peccatis ex motivo caritatis conceptus, qui sit efficax, sit idcirco dolor super omnia, sed ad hoc ut evadat dolor super omnia, oporteat eum esse gradus intensioris quam dolorem de peccatis qui sit tantummodo

efficax, vel quia c) ad perfectionem contritionis non sufficiat excessus appretiativus, sed requiratur insuper excessus intensivus. Atqui nihil horum dici potest.

562. — Nempe A. *falsum est dicere displicentiam efficacem peccati non ipsa substantia actus, sed majoris suae intensionis gradu distingui a displicentia peccati inefficaci quae ex eodem motivo oriatur.*

Etenim 1° si displicentia efficax peccati certo gradu intensitatis differat a displicentia peccati inefficaci, necesse est dicere displicentiam peccati inefficacem usque vel ultra certum illum gradum intendi non posse absque hoc quod cesset esse displicentia inefficax. Sed haec consequentia contradicit testimonio experientiae internae, ex quo apparet simplicem displicentiam, sicuti et simplicem complacentiam, posse per omnes gradus possibiles intensitatis variari. Itidem haec consequentia excluditur manifesta ratione a priori. Quantumcumque enim et quantumvis intense voluntas sibi complaceat in bonitate objecti absolute considerata ; manet tamen in libera potestate voluntatis se determinare vel se non determinare ad realiter prosequendum ipsum objectum. Propterea autem, etiam in sensu composito vehementissimae complacentiae in bonitate objecti absolute considerata, manet in potestate voluntatis prosequi vel non prosequi objectum, quia in rerum natura prosecutio objecti, uti et realis ejus consecutio, conjungitur cum multis malis praesentibus, quae possunt deterrere voluntatem a prosequendo objecto, quantumcumque voluntas sibi complaceat in bonitate objecti *absolute et praecise considerata.* Uti autem antea dictum est, eadem, quantum ad hoc, est ratio simplicis displicentiae. Nam etiam malitia alicujus objecti absolute et praecise considerata, puta malitia peccati, potest voluntati quam vehementissime displicere, et nihilominus potest nolle voluntas efficaciter aversari sive fugere ipsum objectum malum, quia in rerum natura efficax fuga objecti mali conjungitur cum carentia multorum bonorum. Impossibile est ergo dicere simplicem peccati displicentiam et efficacem ejusdem displicentiam sive fugam non substantia, sed sola intensitate actus inter se distingui.

b) Qui actus non differunt inter se essentialiter, sed gradu intensitatis dumtaxat, eorum est eadem vis essentialis, proindeque etiam effectus talium actuum inter se non differunt nisi secundum magis vel minus. Si ergo simplex displicentia peccati et efficax displicentia peccati non differunt inter se nisi diverso gradu intensionis, effectus qui sequuntur ex displicentia efficaci peccati, sequentur etiam ex displicentia simplici et inefficaci peccati, licet in gradu minus intenso. Et per consequens ex

displicentia inefficaci peccati, sicuti ex displicentia efficaci peccati, sequentur inquisitio, electio et exsecutio mediorum ; quod est contradictorium in terminis ; quia per hoc tollitur ratio displicentiae ineffi-cacis.

3° Detestatio sive displicentia efficax peccati nominat duo, nempe a) displicentiam peccati et b) actum quo sub tali displicentia voluntas se libere determinat ad fugiendum peccatum. Intensionem ergo illam majorem quae requireretur in detestatione peccati ut distingueretur a simplici displicentia peccati, oporteret inveniri in detestatione peccati, vel prouti haec nominat displicentiam peccati, vel prouti nominat determinationem voluntatis ad fugiendum peccatum. *Non prius ;* quia sive displicentia contenta in detestatione peccati, sit remissa, sive sit intensa, per hoc solum quod huic displicentiae supervenit determinatio voluntatis ad fugiendum peccatum, detestatio peccati secernitur ab omni simplici displicentia peccati. *Non posterius ;* quia sive determinatio voluntatis ad fugiendum sit remissa, sive sit intensa, per eam detestatio peccati essentialiter secernitur ab omni simplici displicentia peccati, quippe quae nullam prorsus sibi habeat adjunctam determinationem voluntatis ad fugiendum peccatum.

Ex hoc argumento patet quae sit radix erroris adversariorum. Quando videlicet detestatio peccati nominatur displicentia efficax peccati, ipsi arbitrantur nomine substantivo *displicentiae* significari totam substantiam actus detestationis, voce vero adjecta *efficax* significari solummodo accidentariam quamdam intensionem hujus actus. At contra est; uti enim ex analysi actus detestativi proxime instituta manifestum fit, nomine substantivo *displicentia* non significatur nisi id quod est ad instar rationis genericae in substantia actus detestativi ; nomine vero adjecto *efficax* significatur id quo tamquam substantiali differentia ratio generica displicentiae contrahitur ad speciem actus detestativi. Aliis verbis, actus detestativus est secundum ipsam suam substantiam actus fugae ; proindeque actus detestativus secundum suam substantiam inspectus, comparatur ad rationem displicentiae in eo inclusam, sicuti species comparatur ad genus cujus ratio includitur in specie.

563. — **Nec juvat dicere** actus specificari ex objectis suis motivis ; ex eodem porro motivo concipi et simplicem displicentiam peccati et efficacem detestationem peccati ; impossibile ergo esse simplicem displicentiam peccati specifice differre ab efficaci peccati detestatione. *Hoc non juvat dicere,* inquam ; actus quippe voluntatis non solum-

modo specificantur ex suis motivis, sed etiam ex modo quo sub influxu suorum motivorum tendunt in sua objecta. Ideoque solummodo de iis voluntatis actibus quorum est idem modus tendentiae, verum est dicere eorum specificam differentiam unice attendendam esse ex parte eorum motivorum. Et ratio sic respondendi est manifesta; secus quippe oporteret dicere desiderium boni et detestationem mali oppositi, gaudium de bono possesso et tristitiam de malo opposito jam incumbente non esse actus essentialiter diversos, quod apparet esse dictu absonum.

564. — B. *Falsum est dicere non omnem dolorem efficacem de peccatis ex motivo caritatis conceptum, esse dolorem super omnia, sed ad hoc ut talis dolor sit dolor super omnia, requiri ut pertingat ad certum aliquem gradum intensitatis.*

Probatio est hujusmodi. Qui motivo bonitatis divinae propter se dilectae efficaciter movetur ad detestandum peccatum, ille efficaciter detestatur peccatum sub formali ratione offensae divinae; et per consequens ille efficaciter detestaretur offensam Dei, ubicumque eam inveniret. Itidemque qui sub hac formali ratione offensae Dei efficaciter detestatur peccatum, ille posthabet bonitati divinae omne bonum quod contingit conjungi cum ratione offensae divinae. Nam si non praeferret bonitatem divinam illi bono, signum esset ipsum non efficaciter detestari peccatum, prouti est formaliter Dei offensa. Sed si ita est; ergo qui efficaciter movetur ad detestandum peccatum, prouti est formaliter offensa Dei, ille posthaberet etiam bonitati divinae propriam suam exsistentiam, propriam suam beatitudinem, verbo omnia omnino bona alia a Deo, sub hypothesi impossibili quod haec bona retinere vel consequi non posset, nisi Deum offendendo. Qui autem ita detestatur peccata ut vi detestationis a se conceptae paratus sit potius omnia bona alia a Deo dimittere quam committere peccatum, ille detestatur peccatum detestatione appretiative summa. Est ergo intrinsece impossibile detestationem peccati ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae conceptam, esse detestationem efficacem, et eam non esse simul detestationem appretiative summam.

Quo autem melius percipiatur vis argumenti facti, oportet attendere ad differentiam quae, quantum ad connexionem detestationis efficacis cum excessu appretiative summo, intercedit inter detestationem peccati ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae elicitam, et detestationem peccati elicitam ex motivis inferioribus. Qui enim unice detestatur peccatum ex timore gehennae, ille formaliter detestatur peccatum, prouti est inductivum poenae gehennae. Sub hypothesi ergo quod pec-

catum non esset inductivum poenae gehennae vel quod peccatum esset necessarium ad vitandam poenam gehennae, ille qui unice detestatur peccatum ex timore gehennae, jam non posset *vitalis detestationis* detestari peccatum. Praedicta quippe hypothesis tollit a peccato rationem sub qua unice vi detestationis quam habet, detestatur peccatum. Estque haec ratio cur detestatio peccatorum ex timore gehennae concepta possit esse detestatio efficax et tamen non modo aliquando non sit, sed etiam nunquam esse possit appretiative summa. Contra, hypothesis quod peccatum esset necessarium ad vitandam gehennam vel ad consequendam beatitudinem aeternam, non tollit a peccato rationem offensae Dei. Ideoque qui *efficaciter* detestatur peccatum, prouti habet rationem offensae Dei, etiam in praedicta hypothesi efficaciter detestabitur peccatum.

Manifestum est ergo excessum appretiativum esse de essentiali ratione detestationis qua aliquis efficaciter detestatur peccatum propter bonitatem divinam ratione sui dilectam.

565. — C. *Falsum est dicere ad rationem contritionis per se justificantis non sufficere excessum appretiativum, sed requiri insuper excessum intensivum.*

Probatio sic procedit. Secundum doctrinam scripturae tam veteris quam novae ad rationem conversionis perfectae, h. e. per se justificantis, requiritur ac sufficit ut peccator se convertat ad Deum ex toto corde, ex tota mente et ex totis viribus. Ille autem se convertit ad Deum ex toto corde, qui non habet cor suum divisum inter Deum et creaturas. Ille autem non habet cor suum divisum inter Deum et creaturas, qui Deum amat super omnia, ita ut alia a Deo non amet nisi per subordinationem ad Deum. Sed hoc modo Deum amat, quicumque detestatur sua peccata dolore appretiative summo. Ergo secundum doctrinam scripturae omnis dolor appretiative summus est dolor per se justificativus.

566. — **Nec juvat dicere** scripturam sacram hisce verbis : *ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus,* significare *totalitatem conatus* qui sit homini possibilis. *Hoc non juvat dicere,* inquam ; diligere enim Deum ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, non est idem atque Deum diligere ex toto conatu possibili cordis, mentis atque virium. Nimisque manifestum est eum qui sine ulla divisione cordis Deo per amorem adhaeret, habere totum suum cor appositum Deo, etiamsi amor quo Deo adhaeret, non procedat ex summo vel intenso cordis conatu.

In sequentibus argumentis jam unice impugnaturi sumus secundam ac tertiam ex tribus sententiis quas in exponendo statu controversiae

rettulimus. Nam prima sententia nec tam vehementer nobis obest quam duae reliquae, et apertissimae falsitatis convicta relinquitur ex probatione modo allata. Sub tali ergo restrictione

567. — **Probatur propositio II°** hunc in modum. Detestatio peccatorum efficax ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae concepta, vel formaliter procedit ex efficaci Dei dilectione vel talem Dei dilectionem virtualiter in se includit; proindeque, si omnis efficax Dei dilectio, sive sit remissa, sive sit intensa, inseparabiliter conjungitur cum statu amicitiae divinae, etiam omnis efficax peccatorum detestatio ex motivo dilectionis Dei concepta, sive sit remissa, sive sit intensa, inseparabiliter conjungitur cum statu amicitiae divinae. Sive, quod idem est, si omnis efficax amor bonitatis divinae propter se dilectae inseparabiliter conjungitur cum statu amicitiae divinae, necesse est dicere omnem efficacem peccati detestationem ex motivo talis dilectionis obortam, etiamsi sit remissa, peccatorem cum Deo reconciliare. Sed secundum scripturarum effata omnis efficax amor bonitatis divinae propter se dilectae inseparabiliter conjungitur cum statu amicitiae divinae.

Nempe 1° de omni diligente Deum vel diligente proximum suum propter Deum prius dilectum scriptura propositionibus de praesenti enuntiat eum diligi a Deo, eum esse amicum Dei, eum esse natum ex Deo, eum habere Spiritum Dei sibimet inhabitantem. Maxime huc pertinent loca scripturae quae cap. XII explicavimus. Jo. XIV, 23 : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, *et Pater meus diliget eum,* et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » Cf. ibid., vers. 21. I Jo. IV, 7 : « Carissimi, diligamus nos invicem ; quia caritas ex Deo est. Et omnis qui diligit, *ex Deo natus est,* et cognoscit Deum. » Ibid., 16 : « Qui manet in caritate [actuali, ad quam adhortatur s. Joannes], in Deo manet, et Deus in eo. »

Ulterius 2° Dilector Dei, de quo procedunt praedicta testimonia, est omnis qui diligit Deum propter se dilectione efficaci. Quippe a) de tali sui dilectore praemiserat Christus se loqui, dicens Jo. XIV, 21 : « Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. » Itidem b) de omni ac solo tali Dei dilectore inculcat se loqui Joannes toto ferme suae epistulae decursu. Sic v. g. cap. V, 3 : « Haec est caritas Dei, ut mandata ejus faciamus. »

568. — **Nec juvat dicere** allata scripturae testimonia esse intellegenda de caritate perfecta ; caritatem autem non posse dici perfectam, nisi sit valde intensa. — Hoc non juvat dicere, inquam ; nam conceditur quidem nonnisi caritati quae sit perfecta, tribui a scriptura insepa-

rabilem connexionem cum statu amicitiae divinae ; at vero undenam caritas trahat illam perfectionem ratione cujus justificat, id non ex cujusque arbitrio, sed ex ipsa doctrina revelata definiendum est. Jam vero a) uti a nobis in probatione proxime instituta ostensum est, caritas suam perfectionem, h. e. vim suam justificantem non trahit ex intensione sua graduali, sed ex ipso motivo bonitatis divinae, quatenus tale motivum efficaciter movet ad amandum Deum. Immo b) caritatem, ut formaliter est ac denominatur perfecta, non aliunde definit Joannes in epistula nuper citata nisi ex ejus efficacia. Sic v. g. cap. II, 5 : « *Qui servat verbum ejus,* inquit, vere in hoc caritas Dei perfecta est. » Itidem cap. IV, 12 : « *Si diligamus invicem,* Deus in nobis manet, et caritas ejus in nobis perfecta est. » Nec obstat quod cap. IV, 18, de perfecta caritate Joannes asserit *timorem in ea non esse, sed per eam foras pelli timorem.* Non enim, cum ita loquitur, intendit dicere ad hoc ut caritas sit perfecta, oportere ut tam intensa evaserit, ut jam non admittat consortium motivi timoris. Sed, uti patet ex versu 17 antecedente coll. II, 28 et III, 21, sensus ejus verborum est ex perfecta caritate enasci alicui fiduciam fore ut non damnetur in die judicii.

569. — Probatur III° *ex patribus.* Patres, haut secus atque scripturae, attestantur omnem contritionem ex motivo bonitatis divinae conceptam, eo ipso quod est efficax, esse tum dolorem super omnia, tum dolorem per se justificantem ; proindeque secundum doctrinam patrum falsum est dicere sive a) contritioni, quatenus est praecise efficax, oportere superaddi gradualem intensionem ad hoc ut evadat dolor super omnia, sive b) contritioni, qui jam sit dolor super omnia, oportere superaddi gradualem intensionem ad hoc ut evadat per se justificativa.

Et probatur id quod assumitur in tali argumento, patres scilicet haut secus atque scripturas, perfectionem sive vim justificativam contritionis in eo reponere quod vi ipsius peccator jam non timore poenae, sed amore Dei propter se dilecti efficaciter movetur ad detestanda sua peccata.

Sic v. g. auctor libri De vera et falsa paenitentia, n. 33 : « Credo quidem illi qui dixit : quacumque hora peccator ingemuerit et conversus fuerit, vita vivet. Dixit *conversum*, non tantum *versum* vivere... Vertitur a peccato *qui jam vult dimittere peccatum :* convertitur qui jam totus et omnino vertitur, *qui jam non tantum poenas non timet, sed ad bonum Deum festinat tendere.* »

Auctor libri de modo bene vivendi, qui est inter opera Bernardi,

c. 4, cum principio argumentum capitis comprehendisset hac sententia : « Nulla res nos sic ab omni peccato custodit immunes, sicut timor inferni et amor Dei, » deinde, n. 10, in haec verba loquitur : « Intrat timor ut introducat caritatem; sed postquam intravit caritas, foras mittit timorem... Timor iste sanctus est, qui introducit in mentem hominum perfectam caritatem. Perfecta etenim caritas, perfecta est sanctitas. »

570. — Sunt qui alia argumenta desumant a) ex propositionibus dammatis Baii 31ª et 70ª et b) ex concilio tridentino, in sessione sua XIV, capite 4, docente « aliquando contritionem caritate perfectam esse contingere. » Haec tamen argumenta sunt infirmiora. Ad primum enim respondebunt adversarii in propositionibus Baii agi de caritate perfecta, non autem esse caritatem perfectam, nisi sit valde intensa ; ad alterum argumentum dicent, etiam in verbis concilii tridentini non agi nisi de caritate quae sit valde intensa, vel saltem hujus oppositum ostendi non posse. Ad veritatem enim hujus propositionis : « aliquando contritionem caritate perfectam esse contingit », non esse opus ut omnis caritas contritionem reddat perfectam. Sicuti, quando dicitur, aliquando contingit hominem pallore faciei esse deformem, non vi talis propositionis asseri omnem pallorem faciei reddere hominem deformem.

Si tamen intendatur speciatim refelli sententia Molani, Estii et Sylvii, verum est eam efficaciter falsitatis argui ex proscriptis propositionibus Baii 31ª, 32ª, 33ª, 70ª et 71ª et ex verbis concilii tridentini proxime adductis. Quod quidem patebit attendenti ad differentiam hujus sententiae a ceteris sententiis quae probatione theseos exclusae sunt. Ceteri videlicet adversarii nobiscum conveniunt in asserendo contritionem perfectam semper justificare ; verum in eo nobis repugnant quod statuunt contritionem non esse perfectam, nisi sit valde intensa. At vero secundum Molanum, Estium et Sylvium nunquam contritio perfecta est per se justificativa : aiunt enim ne contritionem quidem intensissimam infallibili Dei lege conjungi cum justificatione. Aliquando quippe, non vero semper, habenti talem contritionem remitti peccata ante realem sacramenti susceptionem ; porro, quotiens id contingit, *Deum misericorditer supplere defectum sacramenti ad effectum remissionis peccatorum.* Jam vero talem doctrinam defendere, idem est atque aperte incidere in propositiones damnatas Baii ; itidemque hoc idem est atque aperte refragari doctrinae quam de contritione perfecta tradit concilium tridentinum.

Conantur quidem hoc argumento elabi praedicti auctores, dicentes in

propositionibus damnatis Baii non agi nisi de caritate habituali, verbis vero concilii tridentini subesse eum sensum quem sub eorum nomine cap. XII exposuimus. At vero hae responsiones sunt ineptissimae, uti in eodem illo capite XII luculenter ostensum est.

571. — Sunt etiam qui contendant *de ratione contritionis perfectae esse certam quamdam continuationem sive durationem actus.* Quae sententia a quibusdam tribuitur Scoto, sed immerito. Scotus quippe intendit solummodo docere haec duo, scilicet a) certam quamdam requiri durationem actus ad hoc ut attritio fiat contritio, et b) soli Deo notum esse in quonam temporis instanti attritio fiat contritio. Docent tamen illam sententiam Jueninus et alii quidam ex auctoribus ponentibus praeter excessum appretiativum requiri in contritione perfecta excessum intensivum.

572. — Excluditur autem ea sententia omnibus argumentis quibus ostensum est non requiri ad perfectionem contritionis certum gradum intensionis. Singulis enim hisce argumentis conclusum est effectum remissionis peccatorum conferri de praesenti in eo ipso instanti in quo peccator primum efficaciter detestatur sua peccata propter eorum repugnantiam ad bonitatem divinam ratione sui dilectam. Insuper eadem sententia excluditur disertissimis patrum testimoniis. Ad quod probandum sufficiat huc adduxisse haec verba Leonis papae I in Ep. 108: « Misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, *apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio,* dicente spiritu Dei per prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.

Solvuntur difficultates.

573. — **Objiciunt.** 1° ex Luc. VII, 47, ubi de Maria Magdalena dicit Christus: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » Ex quibus verbis dupliciter arguitur. *Primo ita:* Verbo *dilexit,* quod est temporis praeteriti, significat Christus Mariam Magdalenam jam a primo suo ad ipsum accessu habuisse dilectionem Dei; verbo vero *remittuntur*, quod est temporis praesentis, ipse significat nonnisi in eo instanti in quo verba citata proferebat, Mariae Magdalenae sua peccata dimissa esse. Quia ergo inter primum Mariae Magdalenae accessum ad Christum et laudata Christi verba multae Mariae Magdalenae actiones intercesserant, necessario dicendum est oportuisse ut dilectio Mariae Magdalenae interim cresceret, donec evaderet adeo intensa ut jam esset per se justificativa.

Secundo arguitur ita: Causam assignans Christus cur Mariae Magda-

lenae sua peccata dimittantur, ait eam *dilexisse multum,* sic significans nonnisi dilectionem intensam esse per se dispositionem proximam ad consequendam peccatorum remissionem.

574. — **Respondetur** 1° haec duo argumenta se mutuo impedire. Si enim verbo *dilexit* significetur dilectio quam a primo suo ad Christum accessu Maria Magdalena jam habuit, et si praeterea adverbium *multum,* verbum *dilexit* modificans, significet magnam dilectionis intensitatem ; ergo jam a primo suo ad Christum accessu Maria Magdalena habuit dilectionem illam intensam quae secundum ipsos adversarios est per se sufficiens ad justificationem dispositio. Aut igitur non tenet argumentum primum, aut si illud argumentum tenet, non tenet argumentum secundum.

575. — **Respondetur** 2°, quod quidem attinet ad primum argumentum, a) in textu graeco verba Christi ita proferri : ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαί, dimissa sunt ei peccata multa. — b) Post verba in objectione adducta Christus jam ad ipsam mulierem peccatricem conversus dicit ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι. Proindeque, etiamsi Christus non dixisset: dimissa sunt, sed *dimittuntur,* adhuc oporteret fateri tempus praesens hoc verbo adsignificatum non coartari ad indivisibile aliquod instans. Quo posito, jam convenienter dici posset tempus praesens quod adsignificatur verbo *dimittuntur*, extendi ad omnes illas actiones, alias aliis subordinatas in unamque actionem completam coalescentes, quas Maria Magdalena jam a primo suo ad Christum accessu exercere coeperat. Nihilque est profecto usitatius quam ut totum tempus quo durant plures actiones ad communem finem tendentes et continuitatem inter se habentes significetur per verbum temporis praesentis.

Ad alterum argumentum dicitur a) hisce verbis : *dilexit multum,* posse significari *dilectionem appretiative summam*, quia qui Deum diligit super omnia, ille multum diligit Deum. Dicitur b) nihil etiam obesse nostrae sententiae, si dicatur Christum praedictis verbis voluisse significare dilectionem Mariae Magdalenae fuisse valde intensam. Stante quippe tali significatione, dicendum esse remissionem peccatorum quae propter intensam ipsius dilectionem concessa fuit Mariae Magdalenae, fuisse remissionem non culpae tantummodo, sed etiam omnis reatus poenae.

576. — **Objiciunt** 2° Estius et Sylvius : Apostolo Paulo post perfectam ipsius conversionem dictum est ab Anania, Act. XXII, 16 : « Exsurge et baptizare et ablue peccata tua. » Ergo ne perfecta quidem contritio sufficit ad consequendam remissionem peccatorum ante actualem susceptionem baptismi vel sacramenti paenitentiae.

577. — **Respondetur** a) verbis illis : « exsurge » etc., quae Paulus loco citato ponit in ore Ananiae, solummodo significari Paulo fuisse recipiendum baptismum illudque sacramentum esse per se institutum in remissionem peccatorum. Patet veritas hujus interpretationis ex collato Actuum capite IX, 18. — Potest etiam dici b) istis verbis : « *ablue peccata tua* » significari plenariam illam peccatorum remissionem quam baptismus confert omnibus hoc sacramentum rite suscipientibus. Tametsi enim Paulo vi contritionis perfectae ab ipso in instanti suae conversionis conceptae jam fuissent remissa omnia ipsius peccata quoad reatum culpae, fieri tamen poterat ut nondum ea peccata ei remissa essent quoad omnem reatum poenae temporalis. Dicunt etiam quidam c) nihil obesse nostrae sententiae, si dicatur Ananias locutus esse de actuali remissione ipsius culpae per baptismum a Paulo consequenda. Potuisse enim Ananiam ignorare vel saltem dubitare an Paulus per perfectam caritatem jam ad Deum conversus esset. — Hic tamen tertius modus respondendi est minus probabilis, uti apparebit legenti ea quae de accessu Ananiae ad Paulum narrantur Actuum cap. IX.

578. — **Objiciunt** 3° auctoritatem s. Cypriani, qui in Epistula 19 ad Caldonium episcopum ita loquitur de lapsis quos ad reconciliationem sentit esse recipiendos : « Recte sensisti circa impertiendam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi vera paenitentia et dominicae confessionis gloria reddiderunt... Cum ergo abluerint omne delictum et maculam pristinam, assistente sibi Domino, potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent. »

Ex quibus verbis ita arguitur : Lapsi de quibus loco citato loquitur Cyprianus, jam vera dilectione caritatis Deum diligebant, quippe qui Christum publice coram praetore vel etiam in tormentis confessi fuissent. Hoc tamen non obstante, ipsi nondum suorum peccatorum remissionem consecuti fuerant. Quippe, si secus esset, non potuisset asserere Cyprianus eos jacere sub potestate diaboli, donec absoluti fuerint. Secundum Cyprianum igitur non omnis efficax dilectio caritatis, sed tantummodo dilectio caritatis valde intensa est per se reconciliativa cum Deo.

579. — **Respondetur** 1°, dato et non concesso lapsis de quibus agitur loco citato, nondum sua peccata remissa fuisse, adhuc gratis supponi eosdem in hoc statu peccati jam efficicaciter dilexisse Deum dilectione caritatis. Non enim sola dilectione caritatis, sed etiam timore poenarum gehennae potest aliquis efficaciter moveri ad agendam paenitentiam et ad confitendum Christum.

Respondetur 2° Cyprianum verbis in objectione adductis diserte asserere lapsos de quibus ibi loquitur, paenitentiae et fidei christianae confessione *jam abluisse omne delictum et maculam sui lapsus delevisse.* Aut ergo eorum paenitentia et fidei confessio deleverat tantummodo eorum delictum quantum ad poenam ei debitam, et in tali hypothesi necesse est dicere eos ante peractam paenitentiam jam fuisse sacramentaliter absolutos ; quia reatus poenae non dimittitur, nisi prius dimissa sit culpa. Aut paenitentia et fidei confessio praedictorum lapsorum deleverat maculam eorum lapsus quoad ipsum reatum culpae, et in tali hypothesi concedendum est quidem eorum paenitentiam processisse ex dilectione caritatis ; aperte tamen contrariatur ea hypothesis conclusioni adversariorum, quandoquidem per eam ponitur dilectionem caritatis fuisse per se justificativam.

Nec obstat quod de praedictis lapsis significat Cyprianus eos adhuc sub diabolo *quasi prostratos jacere.* Hoc non obstat, inquam ; clamat enim contextus nihil aliud hisce verbis edicere Cyprianum quam lapsos illos adhuc *vinculo excommunicationis irretitos fuisse,* eo quod necdum cum ecclesia reconciliati fuerant nec jus communicandi mensae eucharisticae iis fuerat restitutum. Fundaturque modus loquendi Cypriani in verbis apostoli, qui I Cor, v, 5, excommunicando incestuosum corinthium, *eum tradidit Satanae in interitum carnis.*

580. — **Objiciunt** 4° alterum Cypriani locum ex Epist. 54 ad Cornelium papam, ubi monet sanctus praesul sibi aliisque episcopis africanis in synodo congregatis visum esse, jam appropinquante nova persecutione, dandam esse pacem et communicationem eucharistiae iis lapsis qui stare fortiter in praelio et dimicare pro nomine Christi parati essent. Rationemque hujus communis consilii assignat dicens : « Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab ecclesia non armatur ad praelium, et mens deficit quam non recepta eucharistia erigit et accendit... Tunc deinde, si relictis omnibus rebus suis fugerit, et in latebris atque in solitudine constitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus et in languore decesserit; nonne nobis imputabitur quod tam bonus miles, qui omnia sua dereliquit, et contempta domo et parentibus aut liberis, sequi Dominum suum maluit, sine pace et sine communicatione decedit ? Nonne nobis vel neglegentia segnis vel duritia crudelis adscribetur in die judicii, quod pastores creditas et commissas nobis oves nec curare in pace nec in acie voluerimus armare ? »

Ex his ita arguitur : Lapsi quorum causam ibi tractat Cyprianus,

jam ex motivo caritatis diligebant Deum; quandoquidem parati erant subire martyrium pro nomine Domini. Hoc tamen non obstante, supponit Cyprianus eos nondum accepisse suorum peccatorum remissionem, uti patet — tum a) ex eo quod supponit eos adhuc indigere absolutione sacramentali, — tum b) ex eo quod si tali absolutione lapsi illi non indiguissent, falsum foret id quod asserit Cyprianus, nempe episcopis, si, instante necessitate aut subeundi martyrium aut fugiendi in loca deserta, pacem lapsis denegaverint, crimini id datum iri in die judicii. Doctrina est ergo Cypriani, dilectionem caritatis, si non sit vehemens et intensa, non esse per se justificativam.

581. — **Respondetur** argumentum iisdem laborare vitiis atque argumentum praecedens. Pendet enim ejus vis ab his duabus suppositionibus, nempe a) lapsos de quibus in loco objecto agit Cyprianus, jam incepisse diligere Deum ex motivo caritatis, et b) eos nondum fuisse sacramentaliter reconciliatos. Jam vero neutra suppositio probari potest. Etenim a) potest aliquis vel ex solo motivo timoris gehennae efficaciter moveri ad volendum potius subire martyrium quam negare fidem, uti jam supra dictum est, et b) reconciliatio quae dilata fuerat lapsis et quam Cyprianus censet iis, instante nova persecutione, jam reddendam esse, non est reconciliatio sacramentalis, sed reconciliatio solemnis et publica in facie ecclesiae.

Nec obstat quod Cyprianus ait episcopos qui tempore periculi reconciliationem lapsis denegaverint, segnitiei vel crudelitatis in die judicii a Domino traductum iri. Hoc non obstat, inquam; propterea enim ita pronuntiat Cyprianus, quia propter negatam reconciliationem lapsi carituri erant subsidio eucharistiae, quo tamen, ut ipse opinabatur, ipsis opus erat ut armati ad praelium procederent et ut cum fiducia ex hoc saeculo exirent.

582. — **Objiciunt** 5° ex concilio tridentino, sess. XIII, capite 7 et canone 11, ubi statuit ac declarat sancta synodus nemini qui sibi conscius sit mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram eucharistiam accedere licere. Ex qua patrum praescriptione concluditur eorum fuisse mentem aut ne contritionem quidem perfectissimam per se et semper justificare, quae est interpretatio Estii et Sylvii, — aut saltem nonnisi contritionem valde intensam esse per se justificativam, quae est interpretatio aliorum.

583. — **Respondetur** *negando consequentiam.* Dignitas sacramenti eucharistiae exigit ut nemo qui peccati mortalis sibi sit conscius, illud

suscipere audeat nisi prius in gratiam cum Deo redierit, eo adhibito medio quod majorem securitatem praestet de remissione peccatorum. Tale autem medium non est contritio, sed susceptio sacramenti paenitentiae ; quia certius potest homini constare se esse vere attritum quam se esse vere contritum.

Et quidem praescriptionem patrum tridentinorum, ex qua desumpta est ratio objiciendi, unice fundari in singulari reverentia quae debetur sacramento eucharistiae diserte declarant patres in sessionis XIII capite 7 citato.

Ceterum argumentum adversariorum efficaciter contra eos retorqueri potest. Ad alia enim sacramenta vivorum recipienda non praerequiritur confessio sacramentalis ex parte hominis in statu peccati mortalis exsistentis, sed vel confessio sacramentalis vel contritio. Constat id non modo ex unanimi sententia theologorum, sed vel maxime ex praxi fidelium. Quam quidem praxin recepit et approbavit Clemens VIII in pontificali, ubi dicitur ante sacramentum confirmationis debere eos qui habent conscientiam peccati mortalis, *confiteri vel dolere de eo.* Quod sane pontifex non diceret, si contritio non sufficeret per se ad justificationem.

Adde quod non semper ante susceptionem sacramenti eucharistiae requiritur confessio sacramentalis ex parte eorum qui conscientia peccati mortalis gravantur. Locis enim in objectione adductis diserte excipit concilium a generalitate suae praescriptionis casum ubi, instante necessitate celebrandi, deest copia confessarii.

584. — **Objiciunt** 6° auctoritatem veterum illorum scholasticorum qui dixerunt in justificatione attritionem quae praecesserat, fieri contritionem, quosque proinde apparet sensisse contritionem ex motivo caritatis conceptam, quamdiu est remissa, non esse nisi contritionem imperfectam, quando vero evasit valde intensa vel intensissima, jam fieri contritionem perfectam.

585. — **Respondetur** sententiam eorum scholasticorum, licet sit falsa, uti ostensum est in prima parte primae probationis supra adductae, immane quantum differe a sententia Juenini, Ledrou, Witassii et aliorum recentiorum quos hic impugnamus. Quippe contritio illa imperfecta ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae concepta, quam ponebant veteres illi scholastici augmento intensionis gradualis fieri contritionem perfectam, non erat eorum sententia nisi simplex peccati displicentia. Proindeque in oppositione ad illos recentiores profitebantur ii scholastici omnem efficacem peccatorum detestationem ex motivo

caritatis conceptam, esse dolorem super omnia et per se justificativum.

Illud addendum est, quod jam supra innuimus, errorem veterum illorum scholasticorum, quantum attinet ad rem quae modo in controversiam venit, non attinuisse ad praxin, sed fuisse mere speculativum. Quid enim interest, ad praxin quod attinet, utrum asseras simplicem displicentiam solo gradu differe ab efficaci displicentia, dummodo simul fatearis *intra latitudinem actus vere detestativi* ad rationem contritionis perfectae non requiri definitum intensitatis gradum ?

586. — **Objiciunt** 7° auctoritatem catechismi romani, parte II. de paenit., ubi haec n. 46 leguntur: « Ut enim hoc concedamus, contritione peccata deleri [extra sacramentum] : quis ignorat *illam adeo vehementem, acrem, incensam esse oportere,* ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine aequari conferrique possit ? *at quoniam pauci admodum ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut a paucissimis hac via venia speranda esset.* Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret ; quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni caelorum ecclesiae tradidit. »

Ex his verbis arguitur ad rationem contritionis quae sit per se justificativa, requiri gradum valde intensum, infra quem si sistat contritio, jam non poterunt ipsius vi dimitti peccata.

587. — **Respondet** auctor quidam recens ex collatis numeris 36 et 37 loci citati ejusdem catechismi patere hisce verbis *vehementem, acrem, incensam* significari *intensitatem sensibilem doloris*, quam ut assequi nitamur adhortetur quidem catechismus, sine hoc tamen quod ad rationem doloris, qui per se sit justificativus, eam necessariam esse doceat. At vero haec interpretatio componi non potest cum verbis mox sequentibus in loco objecto, quae ille auctor suppressit. Nec vero ea quae ex nn. 36 et 37 catechismi idem auctor adducit, ipsius interpretationi favent, uti satis patet ex multa horum verborum interpolatione ad quam recurrit (1).

Illud verum est, auctorem catechismi, praesertim in numeris proxime citatis loqui parum accurate. Quid enim sibi vult distinctio quam adhibet inter contritionem *maximam,* contritionem *vehementissimam* et contritionem *perfectam ?*

(1) En ea verba cum hujus auctoris interpolationibus : « Sit praeterea (contritio) non solum maxima [quoad appretiationem], sed vehementissima [quoad affectum sensibilem] atque adeo perfecta, omnemque ignaviam et socordiam excludat. Quamquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit [eo nimirum pacto quo dictum est] vera tamen et efficax contritio esse potest ; saepe enim usuvenit, ut quae sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. »

588. — **Respondemus** itaque catechismum romanum in loco citato satis clare expressisse sententiam cardinalis Pallavicini ideoque eum in re praesenti nobis aperte adversari. Sed negamus tanti esse ejus auctoritatem ut pondus aliquod addat sententiae adversariorum.

Multa praeterea objiciuntur quae loco opportuniore solventur, quando vindicanda erit sufficientia attritionis formidulosae.

CAPUT XV.

De variis auctorum sententiis circa contritionem requisitam in suscipiente sacramentum paenitentiae.

589. — Jam dicendum est de contritione quae in et cum sacramento sit proxima dispositio ad consequendam peccatorum remissionem. Et primum quidem excludendae sunt sententiae quae ex hactenus disputatis sufficienter refutatae relinquuntur; tum status controversiae quae dirimenda remanet, explicandus est.

590. — Ad primum quod attinet, jam olim docuimus sententiam fuisse Magistri in Sent. IV, d. 18, nunquam peccata remitti nisi per contritionem perfectam. Magistrum secuti sunt sat multi scholastici, ac nominatim Hugo Victorinus, Richardus Victorinus, s. Bonaventura, Gulielmus Altisiodorensis, Major, Marsilius, Occham, Gabriel Biel, Abulensis et Thomas de Argentinas. Omnes tamen isti auctores fatebantur sacramentum paenitentiae esse vere ac proprie dictum sacramentum institutum a Christo in remissionem peccatorum post baptismum commissorum. Ideoque ad varias explicationes recurrebant ut suam sententiam de contritionis perfectae necessitate ad effectum justificationis conciliarent cum efficacia sacramenti paenitentiae circa proprium ipsius effectum, qui est remissio peccatorum. De quibus modis conciliationis jam aliquid dictum est, quando actum est de potestate clavium a Christo ecclesiae collata.

591. — Porro ad hanc Magistri sententiam haud obscure reditum fecerunt quotquot sunt e posterioribus auctoribus qui, uti Jueninus, Witasse, Ledrou atque alii, contendunt semper et in omni casu solam contritionem quae ex motivo caritatis concipiatur et appretiative sit summa, esse dispositionem proximam ad justificationem; contritionem

vero quae ex inferiori motivo concipiatur, nunquam esse ad consequendam justificationem nisi dispositionem remotam. In eo solummodo desciscunt hi auctores a scholasticis qui Magistrum secuti sunt, quod novam ineunt viam sententiam de necessitate doloris appretiativc summi conciliandi cum propria efficacia sacramenti paenitentiae. Uti videlicet capite superiore explicatum est, distinguunt inter duos modos doloris appretiative summi. Dolorem appretiative summum qui sit intensus, ponunt esse contritionem perfectam quae justificet extra sacramentum ; dolorem vero appretiative summum qui sit remissus, aiunt esse contritionem imperfectam, quae non disponat proxime ad justificationem nisi in sacramento. Videntur tamen quidam ex hisce auctoribus de veritate hujus distinctionis a se excogitatae addubitare; ideoque data opera examinant quid dicendum foret, si forte omnis dolor appretiative summus esset per se justificativus. Contenduntque in tali hypothesi omnino dicendum esse semper peccata remitti ante realem usum sacramenti. Utque hanc suam sententiam defendant, jam recurrunt ad omnes eos modos explicandi efficaciam sacramenti paenitentiae qui a scholasticis sententiam Magistri secutis adhibebantur.

Propositio.

Sententia asserens nunquam remitti peccata nisi habenti contritionem perfectam, nequit componi cum propria efficacia sacramenti paenitentiae.

Thesis post concilium tridentinum jam est facta omnino certa.

Praecipuae rationes quibus nititur, jam sparsim in superioribus tractationibus allatae sunt; eas modo quasi in fasciculum colligimus.

592. — **Probatur** itaque I° ex Jo. xx, 23. Ex hoc loco colligitur effectum ad quem ex opere operato operandum principaliter institutum est sacramentum paenitentiae, esse remissionem peccatorum mortalium quantum ad reatum culpae. Sed hoc falsum esset, si nunquam dimitterentur peccata mortalia nisi habenti contritionem perfectam. Semper enim absolutio sacramentalis peccata jam remissa inveniret.

593. — **Probatur II°** ex controversia cum montanistis et novatianis, quae erat de potestate ecclesiae facta remittendi peccata quantum ad reatum culpae. Ex quo liquet a tenentibus sententiam Magistri non satis recedi a damnata sententia novatianorum. Nam etiam novatiani concedebant omnium peccatorum etiam gravissimorum impetrari remissionem per contritionem perfectam.

594. — **Probatur III°** ex testimoniis patrum diversimode inculcantibus proprium effectum sacramenti paenitentiae esse remissionem peccatorum quantum ad culpam. Nam 1) patres sacramentum paenitentiae, quantum ad proprium ipsius effectum, comparant cum sacramento baptismi. — 2) Clerus romanus in epistula ad clerum carthaginiensem et in altera epistula ad Cyprianum, romani pontifices in suis ad varias ecclesias litteris, concilia in suis canonibus omni cura ac sollicitudine jubent provideri ut infirmis in exitu positis remedio paenitentiae subveniatur. Non suberat autem ratio tantae sollicitudinis, si remissio peccatorum semper praecederet realem susceptionem sacramenti paenitentiae. Quod vero caput est 3) patres dissertissimis verbis significant multos esse qui propter ablatam iis facultatem adeundi sacramentum paenitentiae aeternum exitium incurrant. Sic v. g. s. Augustinus, in ep. 228 ad Honoratum, loquens de christianis quibus, instante periculo ingentis stragis, desit copia sacerdotum eos absolvere valentium, exclamat in haec verba : « Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt *vel ligati.* » Caelestinus papa in epistula ad episcopos per viennensem et narbonnensem provincias constitutos, ait eos qui sacramentum paenitentiae morientibus denegant « morienti *mortem addere,* » « *animam morientis* sua crudelitate, ne absoluta esse possit, *occidere,* » « *salutem homini adimere.* » Adde eos patres qui, uti Pacianus in 2ª epistula ad Sympronianum, de sacramento paenitentiae asserunt illud esse secundam post naufragium tabulam. Quae certe patrum dicta falsificantur in sententia perhibente remissionem peccatorum, quantum ad culpam, nunquam contingere nisi ex opere operantis, h. e. per contritionem perfectam.

595. — **Probatur IV°** *ex concilio tridentino.* — 1) In sess. XIV, capite 3, ita pronuntiant patres ; « res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, *reconciliatio est cum Deo.* » Quibus verbis manifestum est assignari tamquam proprium effectum sacramenti paenitentiae remissionem peccatorum quantum ad culpam ; non enim aliter *reconciliatur* aliquis *cum Deo,* nisi quatenus tollitur ab eo status inimicitiae cum Deo.

2. In eadem sessione, capite 4, ita perhibent patres tridentini de justificatione quae contingat extra sacramentum : « Docet praeterea [sancta synodus], etsi contritionem hanc *aliquando* caritate perfectam esse *contingat* hominemque Deo reconciliare, *priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur ;* ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni

sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » *Aliquando* dicit concilium, non vero semper contingere ut priusquam sacramentum actu suscipiatur, homo Deo reconcilietur. Hoc autem idem est atque dicere plerumque vel saltem saepe contingere ut homo non reconcilietur Deo nisi reali sacramenti usu.

3) Ibidem, versus finem capitis, patres tridentini de vi et efficacia contritionis imperfectae ita perhibent : « Et quamvis [contritio imperfecta] sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat ; tamen eum *ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandum* disponit. » Hic locus est prorsus decretorius. Etenim a) uti patres principio capitis monuerant, ipsi toto hoc capite quarto non considerant de contritione, nisi *prouti est dispositio ad justificationem*. Quamobrem gratia ad quam *in sacramento paenitentiae impetrandam* dicitur a patribus contritio imperfecta esse praeparatio sive dispositio ; haec gratia, inquam, non est alia nisi gratia justificationis, h. e. remissio peccatorum quantum ad reatum culpae. Secundum patres tridentinos igitur ipsum sacramentum reali suo usu causat remissionem peccatorum quoad culpam, non vero haec remissio peccatorum quoad culpam est secundum ipsos effectus realem sacramenti usum antevertens. Insuper b) in loco citato fit oppositio inter efficaciam contritionis imperfectae extra sacramentum et efficaciam contritionis imperfectae intra sacramentum. In omni autem oppositione oportet membra oppositionis comparari inter se respectu unius ejusdemque termini ; quia secus nulla esset oppositio vel comparatio. Sed terminus prae quo in protasi phraseos citatae attenditur efficacia contritionis imperfectae extra sacramentum, non est alius quam gratia justificationis. Ergo etiam terminus prae quo in apodosi phraseos citatae attenditur efficacia contritionis imperfectae intra sacramentum, non est alius quam gratia justificationis ; et per consequens justificatio sive remissio peccatorum quoad reatum culpae est illa gratia ad quam in sacramento paenitentiae consequendam dicitur a patribus tridentinis contritio imperfecta esse praeparatio sive dispositio. Ex quo rursum deducitur disertam esse patrum tridentinorum doctrinam sacramentum paenitentiae reali suo usu causare remissionem peccatorum quantum ad reatum culpae.

Est hic locus ostendendi quam sint inanes varii modi explicationis quos veteres illi scholastici quos hic refellimus, excogitaverunt ad conciliandam necessitatem contritionis perfectae a se assertam cum propria virtute sacramenti paenitentiae.

596. — **Dicunt** 1° sacramentum in voto susceptum causare remissionem peccatorum quoad reatum culpae.

Respondetur 1° votum sacramenti non esse actum clavium; jam vero ipsimet actui clavium, qui est actus habentis potestatem clavium, Christum adnexuisse vim remissivam peccatorum. Insuper votum sacramenti in contritione perfecta inclusum causat remissionem peccatorum ex opere operantis; potestas vero clavium est collata apostolis a Christo ad causandam remissionem peccatorum ex opere operato.

Respondetur 2° in sententia adversariorum tolli rationem asserendi contritionem perfectam non esse per se justificativam nisi quatenus conjungitur cum voto sacramenti. Haec quippe ratio non aliunde accipitur nisi ex eo quod sacramentum paenitentiae est institutum a Christo tamquam medium absolute necessarium ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum. Jam vero in sententia adversariorum falsum est dicere sacramentum paenitentiae esse institutum a Christo tamquam medium absolute necessarium ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum. Quod enim ordinatur tamquam medium ad aliud tamquam ad finem, illud in ordine exsecutionis praecedit finem ad quem ordinatur; juxta adversarios porro sacramentum paenitentiae non praecedit, sed semper sequitur remissionem peccatorum.

597. — **Dicunt** 2° sacramentum paenitentiae, eo quod ejus causalitas non est physica, sed moralis, posse causare ex opere operato, antequam ipsum realiter exsistat in rerum natura. Ad hoc enim ut sacramentum exerceat causalitatem suam moralem, satis esse a) ipsum jam exsistere in praevisione et in acceptatione Dei. Sane b) ex causalitate morali sacramentorum explicari quomodo sacramenta quae ficte suscipiuntur, causent ex opere operato suum effectum, quando jam non exsistunt; eamdem autem, quantum ad hoc, esse rationem sacramenti nondum exsistentis et sacramenti jam non exsistentis. Itidem c) quia passio Christi non influxu physico, sed influxu morali est causa omnis gratiae pertinentis ad ordinem supernaturalem; idcirco passionem Christi, antequam in rerum natura exsisteret, fuisse causam justificationis et salutis omnium justorum veteris testamenti. Ergo etiam sacramentum paenitentiae posse causare proprium suum effectum, antequam realiter exsistat; quia, uti dictum est, etiam ipsum non causat suum effectum causalitate aliqua physica, sed causalitate morali.

Respondet recens aliquis auctor impossibile esse dicere eam pecca-

torum remissionem quae inseparabiliter conjungatur cum contritione perfecta, esse effectum quem sacramentum paenitentiae, aliquando suscipiendum, ex opere operato causet ; saepe quippe contingere ut qui habuit contritionem perfectam, non recipiat postea sacramentum paenitentiae. — Sed haec responsio est inanis ; loquuntur enim adversarii de sacramento paenitentiae, prouti jam exsistit in praescientia et acceptatione Dei : quando vero illud non exsistit in praescientia et acceptatione Dei, eo quod nunquam postea sit suscipiendum, aiunt remissionem peccatorum concedi propter contritionem perfectam, quatenus conjungitur cum voto sacramenti.

598. — **Respondetur** itaque aliter, 1) sine ullo prorsus fundamento asseri Christum tribuisse sacramento paenitentiae vim causalitate morali causandi suum effectum, antequam illud sacramentum realiter exsistat in rerum natura. Sane sic etiam dici posse alia sacramenta causare suum effectum antequam exsistant, quod tamen ne ipsi quidem adversarii admittunt. Non ergo tenere paritatem quae adducitur cum causalitate quam exercuit passio Christi, prius quam esset posita in rerum natura vel quam exercent sacramenta ficte suscepta, postquam jam desierunt esse in rerum natura. Doctrinam enim catholicam de utraque hac causalitate manifestum habere fundamentum in scriptura sacra vel in traditione.

Respondetur 2° impossibile esse sacramentum paenitentiae causare suum effectum ex opere operato, priusquam exsistat — tum quia a) sacramenta novae legis, quantum est per se, causant suum effectum de praesenti, sicuti eum significant de praesenti, — tum quia b) sacramentum paenitentiae est exercendum per modum judicii ; non autem judicat judex in causa quae jam realiter est decisa, sed in causa quae adhuc est decidenda. Nimisque est manifestum c) in sententia adversariorum nunquam exerceri a judice paenitentiali potestatem remittendi vel retinendi peccata.

599. — **Dicunt** 3° sacramentum paenitentiae causare ex opere operato remissionem peccatorum ratione partis suae materialis jam exsistentis, quae est contritio perfecta.

Respondetur 1° contritionem nec esse partem sacramenti, nec proinde sacramentaliter causare gratiam, quamdiu omne id sine quo essentia sacramenti paenitentiae perfici non potest, nondum in re est positum.

Respondetur 2° praecipuam vim sacramenti paenitentiae esse positam in verbis absolutionis, uti diserte declarat concilium tridenti-

num in sess. XIV, cap. 3, et uti manifeste colligitur ex verbis institutionis relatis a Jo. XX, 23.

600. — **Dicunt** 4° sacramentum paenitentiae, causando augmentum gratiae sanctificantis, causare pleniorem cum Deo reconciliationem.

Respondetur 1° proprium sacramenti paenitentiae effectum esse primam reconciliationem, nempe remissionem peccati quoad reatum culpae.

Respondetur 2° in tantum absolutionem posse cadere supra peccata jam remissa et in tantum per consequens eam posse causare augmentum amicitiae cum Deo, prouti fuit aliquando offensus peccatis jam remissis, in quantum ipsa est per se remissiva peccatorum quantum ad reatum culpae, uti supra, capite IX explicatum est.

601. — **Dicunt** 5° sacramentum paenitentiae remittere peccata quantum ad reatum poenae.

Respondetur argumentis supra factis ostensum esse illud sacramentum primo et per se delere peccata quantum ad reatum culpae.

602. — **Dicunt** 6° sacramentum paenitentiae reconciliare peccatorem cum ecclesia eumque reddere proxime idoneum ad suscipienda sacramenta vivorum.

Respondetur 1° proprium effectum sacramenti paenitentiae, ut jam saepe dictum est, esse reconciliationem peccatoris cum Deo, nempe remissionem peccati quoad reatum culpae. — 2° Ut homo paenitens factus, qui propter praecedentem contritionem jam sit reconciliatus cum Deo, reconcilietur etiam cum ecclesia absolvaturque a poena ecclesiastica eum removente a participatione sacramentorum, non est opus illi homini infundi novum augmentum gratiae sanctificantis. Quamobrem, si actus remissivus potestatis clavium unice consistat in reconciliatione cum ecclesia et in absolutione a poena removente ab usu sacramentorum, necesse erit dicere sacramentum paenitentiae non esse verum ac proprie dictum sacramentum N. L. Uti enim patet ex iis quae, agentes de institutione hujus sacramenti, disputavimus, non aliunde probari potest in hoc sacramento conferri gratiam nisi ex eo quod in praesenti oeconomia remissio culpae non contingit absque infusione gratiae sanctificantis. — 3° Homo qui non admiserit nisi peccata interna vel omnino occulta, non indiget reconciliari cum ecclesia ; quandoquidem talia peccata nullo pacto continent rationem offensae erga ecclesiam. In nulloque casu absolutio quae secreto et nullis testibus datur, potest habere rationem absolutionis reconciliativae cum ecclesia.

Concludendum est itaque praeter eam justificationis causam quae consistit in contritione perfecta, esse alteram justificationis causam quae consistit in reali usu sacramenti; quotienscumque porro justificatio efficientia hujus posterioris causae procuratur, contritionem imperfectam esse ex parte paenitentis proximam dispositionem ad consequendam suorum peccatorum remissionem quantum ad reatum culpae.

603. — Quaestio est eaque acerrimo animorum motu inter theologos sequioris temporis agitata, ex quonam motivo elici oporteat et qualisnam sit ea contritio imperfecta quae per modum dispositionis proximae requiratur ac sufficiat ad justificationis gratiam in sacramento paenitentiae consequendam. Utut multae ac diversae sint sententiae quae ad solvendam hanc quaestionem inductae sunt, possunt auctores iis adhaerentes ad duas classes revocari.

604. — Prima classis eos omnes auctores complectitur qui docent ad contritionem imperfectam quae in sacramento sit dispositio proxima ad justificationem, non sufficere attritionem quæ ex metu gehennae vel ex consideratione turpitudinis peccati concipiatur, sed requiri insuper dolorem de peccatis ex imperfecto Dei amore procedentem. Doctrina haec brevius exprimitur dicendo esse de essentia contritionis quae in et cum sacramento justificet, continere amorem quemdam Dei *imperfectum* sive *inchoatum* sive *initialem*. Plerique auctores hanc doctrinam tenentes dicti sunt *contritionistae*. Licet enim non diffiteantur omnem contritionem imperfectam dici posse attritionem, usus tamen eorum loquendi habet ut nomen attritionis tantum ac unice tribuant ei peccatorum detestationi quae ex metu gehennae vel ex considerata foeditate peccati concipitur. Ei vero dolori de peccatis qui ex imperfecto aliquo Dei amore oritur, proprium faciunt nomen *contritionis imperfectae* vel *contritionis remissae*. Non tamen conveniunt hi auctores inter se in assignanda notione illius amoris imperfecti quem aiunt esse de essentia contritionis in et cum sacramento ad justificationem proxime disponentis, sed, quantum ad hoc, dividuntur in quinque sententias diversas.

605. — Prima est sententia dicentium *amorem eum Dei imperfectum* quo de agitur, esse *amorem caritatis*, nempe *amorem Dei benevolum, efficacem et super omnia*, non tamen intensum, sed remissum. Quem quidem Dei amorem speciali nomine vocant *amorem Dei imperfectum* vel *amorem Dei inchoatum*. Defendunt hanc sententiam Ledrou, Juenius, Witassius, Berti, Christianus Lupus, Joannes Morinus aliique.

606. — Secunda est sententia dicentium amorem illum Dei imperfectum qui in volente suscipere sacramentum paenitentiae requiritur, esse amorem Dei benevolum et efficacem, qui tamen non sit super omnia. Amor Dei imperfectus ea ratione definitus vocari consuevit *amor Dei initialis*. Auctor hujus sententiae, uti jam antea docuimus, est cardinalis Pallavicini S. J.

607. — Tertia est sententia amorem illum Dei imperfectum esse quidem amorem Dei benevolum, non tamen dominantem, h. e. super omnia, neque adeo *se solo efficacem*, sed talem qui ut sit efficax, sustentari exigat timore poenarum. Defendunt hanc sententiam praeter alios nonnullos Habert et Collet.

608. — Quarta est sententia dicentium amorem illum Dei imperfectum qui ad justificationem in sacramento consequendam requiritur, esse amorem Dei benevolum, consistentem in simplici complacentia sive in voluntatis adhaesione ad Dei bonitatem, ut in se et propter se est amabilis. Eam inter alios tenet Joannes Gisbertus S. J. ad eamque accedere videntur Hicquaeus et Poncius.

609. — Quinta denique est sententia amorem illum Dei imperfectum esse *amorem spei sive concupiscentiae,* quo Deum diligimus, prouti nobis est bonus. Eam tenet Honoratus Tournely, quem sequuntur theologi wirceburgenses.

610. — Secunda classis est omnium eorum auctorum qui docent peccatorem ad justificationem in sacramento paenitentiae consequendam sufficienter disponi per attritionem efficacem, conceptam ex quocumque motivo supernaturali quod sit inferius motivo caritatis, etiam si illud motivum sit infimum et imperfectissimum. Dicuntur auctores sic statuentes *attritionistae*. Qui vim hujus suae sententiae magis adhuc declarantes, aiunt motiva attritionis sufficienter disponentis ad justificationem in sacramento paenitentiae consequendam habere generalem reductionem ad duo ea motiva attritionis quae a patribus tridentinis in sessione XIV, capite 4, assignantur, nempe ad timorem gehennae et poenarum et ad considerationem turpitudinis peccati. Ita decernunt Melchior Canus, Suarez, Vasquez, Bellarminus, Valentia, de Lugo cum aliis theologis societatis passim, item scotistae ferme omnes et major pars discipulorum s. Thomae.

611. — Nec vero est haec sententia nova et a scholasticis medii aevi ignorata, uti adversarii aiunt. Satis enim manifeste eam tradit s. Thomas, quando in Sent. IV, d. 17, q. 3, a. 5, ql. 1, ut defendere possit non modo votum sacramenti paenitentiae in contritione inclu-

sum, sed ipsummet etiam hoc sacramentum reali sua susceptione causare remissionem peccatorum, ita pronuntiat. « Et similiter (h. e. eodem modo atque de baptismo dictum est) dicendum est de confessione, adjuncta absolutione, quod secundum quod in voto paenitentis praecessit, a culpa liberavit, postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia augetur, *et etiam remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset et ipse tunc obicem gratiae non praeberet.* » Ubi significat s. doctor ad percipiendum effectum sacramenti paenitentiae non requiri contritionem, sed sufficere attritionem. Quod et significat, cum loco citato, et in Sent. IV, d. 18, q. 1, a. 3, ql. 1, et in opusculo XXII, c. 2, asserit eodem modo esse efficacem absolutionem sacramentalem ad remissionem peccatorum, sicut est baptismus. Nam ad effectum baptismi non requiri contritionem, sed sufficere attritionem perspicua est sententia s. doctoris in Sent. IV, d. 6, q. 1, a. 3, ql. 1, ad 5^{m}, ubi ponit haec verba : « Certa intentio requiritur ad consequendam rem sacramenti. Fides autem intentionem dirigit et sine ea non potest esse, praecipue in talibus, intentio recta. Sed caritas ulterius facit intentionem meritoriam. Et ideo ad hoc quod homo praeparet se ad gratiam in baptismo percipiendam, praeexigitur fides, sed non caritas, quia sufficit dispositio praecedens, etsi non sit contritio. Adde haec diserta verba s. doctoris in Sent. IV, d. 22, q. 2, a. 1. ql. 3 : « Quando aliquis accedit ad confessionem *attritus*, *non plene contritus,* si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur. »

612. — Scotus itidem manifeste docet ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam sufficere attritionem, vel ex infimo motivo conceptam, dummodo sit supernaturalis et efficax. Asserit enim in Sent. IV, d. 14, q. 4, ad effectum sacramenti paenitentiae sufficere ex parte paenitentis *attritionem parvam.* Ex contextu autem apparet ipsum nomine attritionis parvae intellegere quemlibet dolorem supernaturalem de peccatis, efficaciter excludentem affectum peccandi. Talis autem est etiam attritio imperfectissimae speciei, nempe ea quae concipitur ex timore gehennae vel poenarum a Deo inflictarum vel infligendarum. Itidem asserit loco citato ad recipiendam remissionem peccatorum in sacramento paenitentiae sufficere in suscipiente hoc sacramentum *aliqualem displicentiam de peccatis cum proposito non peccandi de cetero.* Quis autem negaverit hoc totum haberi per detestationem peccatorum quae concipiatur ex motivo supernaturali imperfectissimo, nempe ex timore poenarum ? En ipsa verba doctoris subtilis : « Non

habens talem actum [contritionis perfectae] quae sufficiat ad meritum de congruo, sed *tantum habens voluntatem suscipiendi sacramentum ecclesiae et sine obice peccati mortalis actualiter sibi facti vel in voluntate inhaerentis, recipit non ex merito, sed ex pacto divino effectum istius sacramenti; ut sic parum attritus* [1] etiam attritione quae non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere sacramentum paenitentiae, sicut dispensatur in ecclesia et sine obice in voluntate peccati mortalis in actu,... recipiat effectum sacramenti. » ... « Concedo quod ante perceptionem dignam paenitentiae oportet suscitari vel simpliciter [per contritionem perfectam] ; et tunc per paenitentiae sacramentum non deletur peccatum, sed gratia quae infuit, augetur ; vel suscitari secundum quid, scilicet *ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis et propositum cavendi de cetero, et velit suscipere sacramentum paenitentiae,* in quo attritio fit contritio ; et tunc suscitatur simpliciter per sacramentum. »

613. — Satis diu ante Scotum eadem prorsus ratione atque ipse de dispositione requisita ad recipiendam gratiam justificationis philosophatus est Henricus gandavensis, adeo ut crederes Scotum in verbis supra adductis Henrici interpretem egisse. In Quodlibeto I, q. 32, de dolore requisito ad recipiendum effectum sacramenti paenitentiae ita docet Henricus : « Absolutio, quantum est de se, ex gratia sacramenti habet virtutem, ut quamvis confitens non sit omnino contritus sufficienter de peccatis, ut ei debeant virtute contritionis remitti, sed solum attritus, de *proximo sit dispositus ut ei remittantur.* Si tamen non apponeretur sacramentum absolutionis, non ei remitterentur. Postquam tamen apponitur absolutio sacramentalis, datur gratia qua subito perfecte conteratur. Et a peccato absolvitur virtute absolutionis, et aliquid cum hoc de satisfactione remittitur, quod remitteretur etiam, si peccatum esset prius remissum in sufficienti contritione. »

Nec ad evincendum Henricum non stare a partibus attritionistarum argui potest, dicendo ab ipso asseri paenitentem conteri in instanti

---

[1] Nota hanc collectionem Parvam videlicet attritionem sufficere, est conclusio quam infert Scotus ex eo quod immediate ante dixerat, nempe remotionem omnis affectus peccandi esse ex parte peccatoris dispositionem sufficientem ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam. Ex quo manifestum redditur id quod supra asseruimus, secundum Scotum videlicet ad recipiendam gratiam justificationis in sacramento paenitentiae sufficere detestationem peccatorum obortam ex qualicumque motivo differente a motivo caritatis, modo ea detestatio sit efficax.

absolutionis. Hoc non valet, inquam, ad eripiendum nobis patrocinium Henrici, — tum quia a) dato etiam ipsum loqui de contritione proprie dicta, haec tamen contritio juxta ipsum non est dispositio ad absolutionem, sed infallibilis effectus absolutionis, — tum quia b) nimis manifestum est eatenus asseri ab Henrico paenitentem in instanti absolutionis ex attrito fieri contritum, quatenus in tali instanti praecedens paenitentis attritio jam *fit dolor formatus* habitu gratiae sanctificantis. Tali quippe sensu dixit deinde Scotus paenitentem in instanti absolutionis ex attrito fieri contritum. Nec vero censendus est Henricus adeo ineptiisse ut contra testimonium experientiae putaverit in instanti absolutionis aliquem subito concipere contritionem perfectam quam antea non habuisset.

614. — Etiam Alexander Alensis in Summa, p. IV, q. 14, memb. 2, a. 1, § 2, satis aperte tradit attritionem, quando conjungitur cum reali usu sacramenti, esse dispositionem proxime sufficientem ad effectum remissionis peccatorum. « Si paenitens praeparatus, quantum in se est, inquit, accedat ad confessionem *attritus,* non *contritus,* dico quod confessio cum subjectione arbitrio sacerdotis et satisfactio paenitentiae injunctae a sacerdote *est signum et causa deletionis culpae et poenae,* quia sic subjiciendo se et satisfaciendo gratiam acquirit. »

Tum objicit sibi sententiam Magistri « quod ante confessionem non est ministeriale officium [clavium] et ante confessionem est remissio culpae per contritionem. » Responsio ejus est : Dicendum *quod quandoque est sic, quandoque est aliter...* Quomodo autem remittitur culpa humano ministerio habet quaestionem. Secure tamen (ut existimo) dici potest remissionem peccati esse a Deo effective, *ab ipso sacramento dispositive,* a gratia formaliter.

615. — Ad auctores hactenus citatos addi possunt Gulielmus parisiensis, De sacram. paenit., c. 4, Richardus a Media Villa, in IV, d. 18, a. 2, q. 1, Aureolus, in IV, d. 18, a. 1, Durandus, ibid., q. 2, Dionysius Carthusianensis, ibid., q. 3, s. Antoninus, in Summa, p. III, titulo 14, cc. 6 et 19, qui omnes conspirant in asserendo peccatorem sufficienter disponi per attritionem ad recipiendum gratiam justificationis in sacramento paenitentiae. Ex quo apparet quam a veritate historica sit alienum id quod usque repetunt contritionistae, sententiam videlicet de sufficientia attritionis nonnisi versus tempora concilii tridentini obortam esse.

616. — Sed occurrunt Morinus atque alii contritionistae, dicentes scholasticos quos adduximus, nomine attritionis quae in sacramento

sit proxima ad justificationem dispositio, non intendisse significare nisi dolorem ex motivo caritatis conceptum, licet non intensum, sed remissum. — **Respondetur** hoc Morini assertum, quod tota ferme sua dissertatione de attritione et contritione ipse probare nititur, esse apertissimae falsitatis. Hoc enim nomen attritionis simpliciter usurpatum, significat usu veterum scholasticorum vel unice vel saltem maxime dolorem de peccatis conceptum ex timore servili. Quod quidem facile contra Morinum ostendi potest. Contendit ipse in opere citato nomen attritionis circa a. 1230 in scholis audiri coepisse. Primos videlicet auctores qui illud usurpaverint, esse Alexandrum alensem, Albertum magnum et Gulielmum parisiensem. Quod ejus assertum est quidem falsum; vocabulo enim attritionis, tanquam dictione quae omnibus nota esset, jam utitur Alanus magnus in regulis suis theologicis, quas perscripsisse videtur antequam altisiodorensium episcopus renuntiaretur a. 1151. Licet tamen ex Alensi aliisque auctoribus ejusdem temporis accipere ad quid significandum nomen attritionis a theologis sit impositum. Jam vero Alensis ferme perpetuo utitur nomine attritionis ad significandum dolorem ortum ex timore servili. Excluditque prorsus a significatu hujus nominis dolorem qui sit ortus ex motivo caritatis. Quaerit in Summa, p. IV, q. 17, memb. 5, a. 1 : « an idem sit attritio quod contritio. » Responsio ejus est : « Dicendum quod simpliciter differunt attritio et contritio. » Inter rationes autem quas huic solutioni praemiserat, una sic proponebatur : « *Timor servilis principium est attritionis,* sed timor servilis nunquam fit initialis, immo simpliciter differunt. » Tum, quibusdam interjectis, sic occurrit objectioni quae fieri poterat : « Si dicas quod non solum timor est principium attritionis, immo aliquis amor. Hoc nihil est, quia ille amor non est formatus, nec informandus, non enim ponitur caritas esse informis et formata », (h. e. omnis caritas jam a primo instanti est formata, quia est per se justificativa). Ibidem, a. 4, ostendens attritionem non posse fieri contritionem, ita arguit : « Attritio est ex timore servili, contritio ex timore initiali. Sed timorem servilem impossibile est fieri initialem. »

Eadem prorsus ratione atque Alensis nixi sunt s. Thomas et cum eo plerique scholastici medii aevi in asserendo attritionem non posse fieri contritionem, utriusque videlicet doloris dixerunt esse principia diversa. Qui vero scholastici dixerunt attritionem alicujus speciei posse fieri contritionem, ponebant attritionem illam consistere in inefficaci quadam displicentia peccati ex simplici Dei complacentia oborta, uti antea dictum est.

Atque haec satis sunt ad ostendendum sententiam attritionistarum non destitui auctoritate veteris scholae.

617. — Est autem advertendum non posse affici censura aliqua theologica varias sententias quae ponunt amorem Dei initialem debere accedere ad attritionem quae sufficiens sit dispositio ad sacramentum paenitentiae recipiendum.

Etenim a) nulla ex his sententiis contrariatur expressae definitioni aut disertae doctrinae concilii tridentini. Non enim hae sententiae diserte excluduntur notione contritionis perfectae quam tradunt patres tridentini dicentes sess. XIV, c. 4, aliquando contingere contritionem *caritate* esse perfectam. Uti enim jam antea notavimus, possunt haec verba ita explicari ut sensus sit sola caritate intensa contritionem reddi perfectam. Neque etiam hisce sententiis aperte obstat quod patres tridentini non comprehendunt inter motiva attritionis amorem aliquem initialem. Nam patres tridentini profitentur se loqui de iis motivis ex quibus communiter concipitur attritio. Dicerentque forte adversarii patres tridentinos nomine *attritionis* non intendisse complecti omnem contritionem imperfectam, idque satis patere ex eo quod de contritione imperfecta dicere incipientes, sic exorsi sint: « *Illam* vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur. »

Insuper b) Alexander papa VII decreto lato die 5 Maii anni 1667 « in virtute sanctae oboedientiae et sub poena excommunicationis latae sententiae reservata sanctae sedi... praecepit cunctis et singulis fidelibus, quocumque gradu ac dignitate, etiam episcopali et majori, immo et cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel praedicabunt, vel alio quovis modo paenitentes aut scholares ceterosve erudient, non audeant alicujus theologicae censurae, alteriusve injuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec a sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum. » Ex quibus ultimis verbis satis apparet controversiam quae de attritione ad recipiendum sacramentum paenitentiae sufficiente inter theologos agitatur, nulla adhuc romanorum pontificum vel conciliorum generalium definitione decisam esse.

618. — His tamen non obstantibus, contendimus sententiam quae negat ad effectum sacramenti paenitentiae requiri ex parte paenitentis amorem quemdam Dei initialem, esse conclusionem quae certo deduca-

tur tum ex doctrina concilii tridentini tum ex aliis revelationis fontibus.

Et quidem, quatenus in adstruenda hac sententia tenetur via exclusionis, ea ferme probata relinquitur ex tractationibus quae antea a nobis sunt habitae.

619. — Nempe 1° ex quinque illis sententiis quas sub prima classe recensuimus, prima et secunda eo falsitatis arguuntur quod a) ex una parte omnis detestatio efficax ex motivo caritatis excitata, est contritio perfecta, h. e. per se justificativa, uti ostensum est cap. XIV, quodque b) ex alia parte sententia asserens nunquam contingere justificationem nisi beneficio contritionis perfectae, nequit componi cum efficacia sacramenti paenitentiae, uti principio praesentis capitis ostensum est.

620. — 2° Etiam sententia cui in prima illa sententiarum classe tertium locum assignavimus, nequit componi cum ea contritionis notione quam ex doctrina tradita a patribus tridentinis in sess. XIV, c. 4, antea stabilivimus. Etenim a) uti capite XI ostensum est, contritio quae sive se sola sive in sui junctione cum sacramento sit proxima ad justificationem dispositio, non nominat secundum patres tridentinos nisi dolorem efficaciter avertentem a peccato et efficaciter convertentem ad Deum. Ex quo efficitur ut secundum doctrinam patrum tridentinorum dolor inefficax de peccatis sit aliquid impertinens ad rationem illius contritionis quae sit proxima dispositio ad justificationem in sacramento consequendam. Jam vero 1) dolor de peccatis qui oboriatur ex amore Dei benevolo, qualis requiritur ab auctoribus tertiae sententiae, est dolor inefficax. Et hoc patet ; aiunt enim hi auctores amorem illum Dei benevolum non movere efficaciter peccatorem ad detestandum sua peccata, nisi quatenus sustentatur timore gehennae; hoc porro idem est atque asserere illum amorem, quantum est per ipsum solum, non esse causam efficacis detestationis peccatorum. Sane b) aut amor ille Dei benevolus quem hi auctores requirunt, ponitur esse se solo efficax, aut ponitur esse se solo inefficax. Si ponatur prius ; inciditur in alterutram ex duabus prioribus sententiis quae jam supra reprobatae sunt. Si ponatur posterius; ergo stat id quod concludere intendimus, nempe amorem Dei benevolum quem requirit haec tertia sententia, esse, quantum est per ipsum solum, inefficacem et per consequens eum esse aliquid impertinens ad rationem illius contritionis quae sit proxima dispositio ad justificationem in sacramento consequendam.

621. — **Nec juvat dicere** illum Dei amorem, licet se solo sit inefficax, prouti tamen sustentatur metu gehennae, jam evadere effica-

citer detestativum peccatorum. Hoc non juvat dicere, inquam; luditur enim in aequivoco ab auctoribus sic loquentibus. Quod quidem sic facile perspici potest. Ponatur peccator aliquis affici amore Dei benevolo qui secundum se sit amor inefficax, h. e. simplex affectus complacentiae. Vi istius amoris movetur quidem peccator ad amandam bonitatem divinam secundum se et absolute consideratam, non tamen vi ipsius movetur ad prosequendam bonitatem divinam, quatenus est finis realiter consecutibilis. Propterea autem vi istius amoris non movetur peccator ad amandam bonitatem divinam, prouti est bonum realiter consecutibile, quia bonitas divina, quantum est per istum amorem, non movet ipsum ad removenda impedimenta quae obstant reali consecutioni hujus boni. Quantum est videlicet per istum amorem, peccator non est determinatus ad refutandum bonum praesens vel futurum quod invenitur in peccato, et ad acceptandum malum praesens vel futurum quod invenitur in observatione mandatorum divinorum.

Supponatur jam peccator habens talem Dei amorem, efficaciter moveri metu cruciatuum aeternorum propter peccatum subeundorum. Vi talis metus peccator jam efficaciter determinatur ad refutandum bonum sive praesens sive futurum quod invenitur in peccato et ad acceptandum malum sive praesens sive futurum quod invenitur in observatione mandatorum divinorum. Proindeque efficax ille metus gehennae se habet per modum *removentis prohibens;* eo metu videlicet removentur impedimenta quae sola obstabant quominus vi amoris Dei benevoli peccator moveretur ad prosequendam bonitatem divinam, prouti est bonum realiter consecutibile. Sive, quod idem est, amor Dei benevolus, qui secundum se erat inefficax, quatenus jam supponitur sustentari efficaci metu gehennae, evadit *efficaciter prosecutivus bonitatis divinae.* Non tamen vi metus gehennae ipsum sustentantis amor ille evadit efficaciter detestativus peccati. Ad hoc enim oporteret ut vi istius amoris jam efficaciter moveretur peccator ad removenda impedimenta quae obstant consecutioni boni divini, nempe ad vitanda peccata; cum, contra, nonnisi supposito quod peccator ex metu gehennae sit determinatus ad removenda illa impedimenta, amor ille Dei benevolus, prouti sustentatur eo metu gehennae, evadat efficaciter prosecutivus. Quia ergo contritio, prouti est dispositio ad justificationem, non nominat nisi actum efficaciter detestativum peccati, recte supra conclusum est amorem Dei benevolum qui non evadat prosecutivus, nisi prouti sustentatur metu gehennae, esse aliquid impertinens

ad rationem illius contritionis imperfectae quae est proxima dispositio ad veniam peccatorum in sacramento consequendam.

Adde c) quod tertia illa sententia non cohaeret cum rationibus quibus pugnatur pro necessitate amoris benevoli initialis in peccatore per sacramentum paenitentiae sese cum Deo reconciliare volente. Nempe rationes quae pro necessitate hujus amoris initialis ab adversariis adducuntur, sunt — aut α) quod attritio quae ex solo metu gehennae concipiatur, non efficaciter excludat affectum peccandi, — aut β) quod nullus actus peccatorum detestativus sufficiat ad justificationem in sacramento consequendam, nisi per eum peccator convertatur ad Deum, ut est formaliter finis ultimus, eatenus autem aliquo actu detestativo peccator convertatur ad Deum, ut est formaliter finis ultimus, quatenus ille actus procedit ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Jam vero a timore qui non sit efficax ad excludendum affectum peccandi, manifestum est non posse derivari ad amorem Dei benevolum efficaciam ad excludendum affectum peccandi. Itidem a timore qui non sit efficax ad convertendum peccatorem ad Deum, prouti est finis ultimus, manifestum est non posse derivari ad amorem Dei benevolum efficaciam ad convertendum peccatorem ad Deum, prout est finis ultimus. Quocirca si valeant rationes quibus pugnatur pro necessitate amoris Dei benevoli initialis, necesse est ex iis concludere amorem illum Dei benevolum initialem esse per se efficacem sive ad excludendum affectum peccandi sive ad convertendum peccatorem ad Deum. Et per consequens, stante sententia de necessitate amoris benevoli initialis, dici quidem potest timorem gehennae esse dispositionem remotam quae introducat amorem Dei benevolum tamquam dispositionem proximam, non vero dici potest timorem gehennae esse sustentativum amoris Dei, ei efficaciam largientem ad detestandum peccata.

3° Rationibus modo factis exclusa etiam relinquitur quarta sententia, requirens amorem Dei benevolum initialem, qui sit simplex affectus complacentiae.

622. — 4° Quinta vero sententia inde falsitatis convincitur quod qui detestatur sua peccata ex motivo amoris concupiscentiae, funditus movetur ad ea detestanda ex solo motivo amoris proprii, haud secus atque ille qui detestatur sua peccata ex metu gehennae. Hinc videlicet efficitur ut, si detestatio peccatorum concepta ex metu gehennae, non sit sufficiens dispositio ad susceptionem sacramenti paenitentiae ; etiam detestatio peccatorum concepta ex amore concupiscentiae, non sit

sufficiens dispositio ad susceptionem hujus sacramenti. Adeo ut nequeat poni detestationem peccatorum conceptam ex amore concupiscentiae, esse sufficientem dispositionem ad effectum sacramenti paenitentiae, quin necessario asserendum sit detestationem peccatorum conceptam ex metu gehennae, etiamsi non sibi habeat adjunctum amorem concupiscentiae, sufficienter disponere peccatorem ad recipiendum effectum sacramenti paenitentiae.

623. — Patet etiam ex argumentis quae, tenendo viam exclusionis, adhibita sunt, in quaestione de sufficientia attritionis amore initiali vacuae ferme unice controversiam esse cum auctoribus primae et secundae sententiae.

Nempe 1° controversia quae est inter nos et auctores tertiae ac quartae sententiae, vix attinet ad praxin sacramenti paenitentiae, sed est ferme tota quanta speculativa.

Considerandum est videlicet peccatorem qui incipit serio cogitare de negotio suae conversionis, neeessario etiam cogitare de Deo, proindeque necessario ei obversari qualemcumque imaginem bonitatis divinae. Bonitas autem divina, si secundum se et absolute consideretur, non dicit nisi puram bonitatem ; ideoque non habet in se illa bonitas praedicto modo considerata aliquid propter quod refutetur a voluntate. Et propterea vix fieri potest ut peccator qui incipiat concipere propositum sese convertendi ad Deum, non simul concipiat aliqualem amorem Dei benevolum, qui tamen non sit nisi simplex affectus complacentiae in bonitate divina. Concedi igitur potest auctoribus quartae sententiae semper vel fere semper contingere ut attritioni ex timore poenarum conceptae adjungatur simplex aliquis affectus amoris benevolentiae erga Deum. Immo etiam auctoribus tertiae sententiae concedi potest semper vel fere semper contingere ut attritioni ex metu poenarum conceptae adjungatur amor Dei benevolus qui jam non sit simplex complacentia, sed qui sit aliquo modo amor vere prosecutivus. Uti enim in argumentatione supra facta apparuit, simplex affectus amoris benevolentiae erga Deum, quando jam sustentatur efficaci timore poenarum, de necessitate transit in amorem Dei qui sit vere prosecutivus, licet non simpliciter, sed secundum qnid.

624. — 2° Etiam quinta sententia, qualis a plerisque auctoribus eam tenentibus defenditur, facile conciliatur, quantum attinet ad praxin sacramenti paenitentiae, cum sententia attritionistarum.

Ratio conciliationis est ferme eadem atque ea quae adhibita est pro tertia et quarta sententiis. Nempe vix ac ne vix quidem fieri potest ut

peccator qui incipiat se convertere ad Deum, non cogitet de futura beatitudine et de Deo, prouti est hujus beatitudinis objectum. Jam vero etiam futura beatitudo, si secundum se et absolute consideretur, non dicit nisi puram bonitatem ideoque nihil habet propter quod refutetur a voluntate. Proptereaque in peccatore incipiente se convertere ad Deum vix non necessario enascitur simplex aliquis affectus complacentiae tum erga beatudinem futuram, tum erga Deum, prouti est formaliter beatitudinis objectum. Quando autem talis affectus jam fulcitur efficaci timore poenarum, ipse de necessitate transit in amorem concupiscentiae qui sit aliquo modo prosecutivus. Jam vero plerique auctores qui in recipiente sacramentum paenitentiae requirunt amorem concupiscentiae erga Deum, intendunt loqui de amore concupiscentiae qui vel sit simplex affectus complacentiae vel a timore poenarum ipsum sustentante habeat quod sit aliquo modo efficax et prosecutivus.

Ex his apparet cur auctores qui teneant unam ex tribus ultimis sententiis sub prima classe recensitis, nec vocari soleant neque adeo vere ac proprie vocari possint *contritionistae.* Sunt enim larvati attritionistae. Soli itaque auctores primae ac secundae sententiae sunt vere ac proprie contritionistae.

625. — Ceterum inter auctores trium ultimarum sententiarum primae classis et puros ac sinceros attritionistas illud interest quod illi dicunt aliquem amorem Dei initialem *esse de intrinseca et essentiali ratione attritionis* quae in suscipiente sacramentum paenitentiae necessario requiratur, hi vero dicunt aliqualem amorem Dei *necessario vel vix non necessario comitari attritionem* quae sit sufficiens dispositio ad recipiendum sacramentum paenitentiae. Unde puri attritionistae consequenter asserunt attritione ex metu poenarum concepta sufficienter disponi peccatorem ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam, etiamsi forte contingeret talem attritionem cum nullo amore Dei initiali conjungi.

626. — Ut autem veritas puri attritionismi evidenter appareat, non sufficit hanc sententiam adstrui via exclusionis, sed oportet eam directe probari et argumenta quae in oppositum fiunt, directe refelli. Sufficiet tamen hanc directam probationis methodum adhiberi ad ostendendum sufficientiam attritionis quae ex solo metu gehennae concipiatur. Nam cum inter varia motiva ex quibus concipi possit attritio, imperfectissimum sit illud quod consistit in metu poenarum; si de attritione ex tali motivo concepta eluxerit eam esse sufficientem ad gratiam justificationis in sacramento paenitentiae impetrandam,

necessario concludendum erit etiam attritionem quae concipiatur ex nobiliori motivo, puta ex desiderio beatitudinis vel ex consideratione turpitudinis peccati, esse sufficientem dispositionem ad recipiendam remissionem peccatorum in sacramento paenitentiae.

627. — Porro attritio ex solo metu gehennae vel poenarum temporalium concepta appellari consuevit *attritio pure formidulosa* vel etiam *attritio servilis*. Quia autem dolor de peccatis qui non sit honestus et efficax, nequit esse dispositio ad gratiam in sacramento impetrandam, et quia insuper non omnis dolor de peccatis qui sit supernaturaliter honestus et efficax, conceditur ab adversariis esse sufficiens dispositio ad sacramentum paenitentiae, idcirco de attritione pure formidulosa ordine quaeruntur tria, nempe 1° utrum sit honesta, 2° utrum sit efficax et 3° utrum sufficienter disponat ad justificationem in sacramento consequendam.

CAPUT XVI.

De honestate attritionis pure formidulosae.

628. — Duplex est appetitus, appetitus videlicet concupiscibilis et appetitus irascibilis. Qui quidem differunt inter se propter diversitatem objectorum circa quae versantur. Appetitus videlicet concupiscibilis versatur circa bonum et malum simpliciter, appetitus vero irascibilis versatur circa bonum et malum, prouti utrumque habet rationem ardui sive difficilis.

Quia autem bonum et malum simpliciter sumpta possunt considerari vel secundum se, vel prouti adhuc sunt futura, vel prouti jam sunt praesentia ; idcirco, uti antea explicatum est, sex sunt passiones appetitus concupiscibilis, videlicet *amor* et *odium*, *desiderium* et *fuga*, *gaudium* sive *quies* et *tristitia* sive *dolor*. Attenditurque contrarietas harum passionum secundum contrarietatem objectorum circa quae versantur. Proptereaque amor contrariatur odio, desiderium contrariatur fugae et gaudium contrariatur tristitiae.

Manifestum est autem bonum et malum, secundum quod absolute et in se considerantur, non posse habere rationem ardui sive difficilis. Ideoque appetitus irascibilis non versatur circa bonum et malum, nisi quatenus sunt in aliqua temporis differentia. Insuper bonum praesens

non potest habere rationem ardui ; bonum enim non est arduum, nisi in quantum est difficiliter consecutibile. Sic igitur inveniuntur esse quinque passiones appetitus irascibilis ; videlicet *spes* et *desperatio,* quae versantur circa bonum futurum arduum, *timor* et *audacia,* quae versantur circa malum futurum arduum, et denique *ira* quae versatur circa malum praesens difficile ad evadendum. Maxime autem attenditur contrarietas in hisce passionibus adinventa secundum contrarietatem quae est inter accessum ad aliquem terminum et recessum ab eodem. Secundum quem modum considerationis spes contrariatur desperationi et timor audaciae. Ira autem secundum talem modum considerationis non habet passionem sibi contrariam, eo quod a malo, quod jam supponitur praesens, nequit fieri recessus.

Quia tamen appetitus irascibilis convenit cum appetitu concupiscibili in eo quod uterque hic appetitus versatur tam circa malum quam circa bonum ; idcirco potest in passionibus appetitus irascibilis considerari ea etiam contrarietas quae enascitur ex contrarietate objectorum. Secundum talem porro considerationis modum invenitur contrarietas inter spem et timorem.

629. — Jam speciatim dicendum est de actu *timoris.* Ejus proprium objectum est *malum futurum, proxime imminens et difficiliter evitabile.* Et quidem si malum a quo efficaciter recedit appetitus, haberet dumtaxat rationem *mali futuri,* actus appetitus circa tale malum exercitus non esset actus timoris, sed actus simplicis fugae. Quo modo v. g. loca insalubria, venena, commercium hominum insuavium, et hujusmodi mala quae, licet possibilia sint evenire, facile tamen vitari possunt, non dicimur timere, sed magis fugere et vitare. Malum ergo futurum eo solummodo evadit *terribile* sive objectum timoris, quod sibi adjunctam habet rationem *difficiliter evitabilis.* Quod vero insuper in definitione objecti timoris ponatur ipsum esse malum imminens, hujus ratio est quod mala longe distantia perinde reputantur ab hominibus ac si nunquam essent futura. Quo modo v. g. homines, quando florenti sunt aetate et valentibus viribus, mortem communiter non timent.

Ad hoc tamen ut malum quod non de facili vitari possit, sit objectum timoris, oportet a) non esse interclusam omnem viam illud malum evadendi. Cujus ratio est quod malum quod sit prorsus inevitabile, apprehenditur ut malum praesens infertque idcirco jam non timorem, sed tristitiam. Quo modo v. g. qui, postquam capitis sunt damnati, ad locum supplicii procedunt, jam non timent mortem, sed tristantur de morte sibi mox oppetenda.

Itidem b) ut malum, quantumvis sit magnum, dici possit esse difficiliter evitabile, necesse est illud non subjacere nostrae potestati. Sive aliter, malum aliquod non habet *rationem terribilis,* nisi in quantum causa a qua illud malum oriri queat, non est nostra voluntas, sed aliquid nobis extrinsecum. Hinc est quod malum culpae non est proprie objectum timoris, quia in nostra potestate positum est peccare vel non peccare. Similiter nemo proprie dicitur timere ne prodigat suas fortunas, ne inedia se enecet, ne mari se committat, ne sit tardus vel segnis. Et hoc propterea, quia uniuscujusque arbitrio relictum est haec vel facere vel fieri.

630. — Porro tam causa extrinseca quae potens sit inferre malum quam ipsum malum a tali causa inferibile, dicitur esse *terribile* sive *terrere.* Itemque tam unum quam alterum horum dicitur esse objectum timoris. Immo impossibile est unum horum timeri absque hoc quod et alterum timeatur. Uti enim dictum est, malum circa quod immediate versatur timor, non est objectum timoris, *nisi quatenus inferri potest a causa extrinseca.* Proindeque eo ipso quod timetur tale malum, timetur etiam id a quo tamquam a causa illud nobis impendet. Quando ergo timemus poenam gehennae, timemus etiam Deum nobis talem poenam minitantem et infligere valentem. Adeo ut Deus sive justitia Dei vindicativa sit terminus actus timoris gehennae. Et generatim causa a qua nobis impendet malum aliquod, est terminus actus quo timetur illud malum.

631. — Manifestum est autem actum timoris esse specialem quemdam *actum fugae.* Timendo enim refugimus a malo, non obstante difficultate illud vitandi. Praesupponuntur autem ad talem actum duo actus appetitus concupiscibilis, nempe a) actus odii seu potius specialis ille actus fugae qui consistit *in aversatione sive abominatione mali* et in quo, uti antea explicavimus, includitur odium, et b) actus amoris illius boni quo privat malum quod timetur. Ex amore enim oriuntur omnes alii actus appetitus, sive eorum objectum sit bonum, sive sit malum. Nec sane timetur ac fugitur malum aliquod nisi propter amorem boni quod opponitur malo.

632. — Quod speciatim attinet ad metum gehennae aliarumve poenarum quas Deus minitatur peccatoribus, ille metus oritur ex amore proprio, nempe ex amore propriae incolumitatis.

Sicuti autem ex efficaci amore finis voluntas determinatur ad adhibenda media quae sint procurativa finis, ita ex efficaci fuga et timore mali voluntas determinatur ad adhibenda media quae sint impeditiva

hujus mali. Et quidem, quando malum quod timetur, est poena quam minitatur Deus iis qui peccando ipsum offenderint, medium quod sit proxime et immediate impeditivum hujus mali, est reconciliatio cum Deo. Quia tamen Deus non reconciliatur peccatori nisi ea condicione ut peccator et peccata antea a se perpetrata detestetur et a peccatis jam deinceps committendis abstinere proponat ; idcirco media remotiora effugiendi praedictam poenam sunt tum detestatio peccatorum tum propositum non peccandi de cetero. Quamobrem peccator qui timore gehennae efficaciter concutitur, determinatur ex intentione effugiendi poenas gehennae ad utrumque illud medium arripiendum.

633. — Et quidem detestatio peccatorum quae ex praedicta intentione concipiatur, habet sibi praecedentem timorem gehennae et tota quanta in eo timore fundatur. Uti enim patet ex modo dictis, intentio effugiendi poenam gehennae non differt ab efficaci timore gehennae ; proindeque nequit detestatio peccatorum procedere ex intentione effugiendi poenam gehennae, nisi quatenus procedit ex timore gehennae.

Insuper inter detestationem peccatorum ex timore gehennae procedentem et ipsummet hunc timorem est convenientia, quantum est praecise ex parte objecti formalis utriusque actus. Quando enim detestamur peccata ex timore gehennae, ratio nos intrinsece movens ad detestationem est id quod est proprium objectum timoris gehennae, nempe ipsamet poena gehennae, prouti est aegre vitabilis ac fugienda. Et propterea detestatio peccatorum ex timore gehennae procedens, dicitur concipi *ex motivo timoris* et *virtualiter* includere timorem gehennae.

634. — At vero, sicuti ex parte objecti materialis est differentia inter electionem medii et intentionem finis ex qua procedit electio, ita ratione objecti materialis quod attingitur detestatione peccatorum, est differentia inter hanc detestationem et timorem gehennae ex quo ea procedit. Nudus enim timor gehennae non versatur nisi circa poenam gehennae ; dum contra, actus detestativus ex eo timore procedens versatur circa peccatum tamquam proprium suum objectum materiale. Quia tamen objectum formale hujus detestationis est poena gehennae, quatenus vi timoris praeconcepti haec poena intenditur vitari ; idcirco peccatum hac detestatione attingitur non sub formali ratione *offensae Dei*, sed sub formali ratione *alicujus inductivi poenae gehennae*. Hoc tamen non obstante, verissime asseritur ea peccatorum detestatione quae ex motivo timoris gehennae concipitur, peccatum non quidem formaliter, sed materialiter attingi, prouti habet praecisam rationem offensae divinae. Et ratio sic dicendi est quod detestatione quae concipitur ex

timore gehennae, peccatum non attingitur uti aliquid detestable, nisi quatenus est aliquid connexum cum poena gehennae, sola autem ratio offensae divinae in peccato adinventae facit ut ipsum sit aliquid connexum cum poena gehennae.

635. — Quaeritur jam utrum talis peccatorum detestatio sit moraliter bona sive honesta.

Ad cujus quaestionis solutionem praenotandum est, si loquamur de timore, prouti per ipsum ad Deum convertimur vel ab eo avertimur, tres esse species timoris, nempe timorem mundanum, timorem servilem et timorem filialem.

Timor mundanus est ille quo propter timorem amittendi bona temporalia vel incurrendi mala temporalia avertimur a Deo peccando. Dicitur etiam *timor humanus*. Talis timor semper est malus, quia causatur ex inordinato amore bonorum hujus mundi, quibus aliquis ita inhaeret ac si essent summum bonum sive finis simpliciter ultimus. Propter hoc videlicet fit ut mala bonis mundanis contrariantia aliquis per timorem ita fugiat ac si essent supremum malum.

Timor est *servilis*, quando propter timorem mali poenalis cujus peccatum est inductivum, aliquis se avertit a peccato et sese convertit ad Deum. Dicitur *servilis;* quia proprium est servorum timere offensam domini propter poenam quam minitatur dominus.

Distinguitur autem timor servilis in timorem serviliter servilem et timorem servilem qui proprie sic nominatur.

Timor mali poenalis cujus reatus peccando incurritur, est *serviliter servilis*, quando oritur ex amore proprio inordinato, h. e. ex tali amore propriae incolumitatis propriaeve beatitudinis ut vi ipsius huic bono inhaereatur tamquam ultimo fini. Quatenus timor serviliter servilis cum hac radice amoris proprii inordinati ex qua procedit, in unum actum moralem coalescit, ipse est actus malus et inhonestus. Secundum talem quippe modum considerationis ille timor affectum peccandi includit. Nam eo ipso quod aliquis amat proprium suum bonum tamquam ultimum finem, ipse ita animo est comparatus ut si peccatum non induceret amissionem hujus boni, sed necessarium esset ad conservationem ejus, ipse peccatum committeret.

Timor mali poenalis cujus reatus peccando incurritur, retinet sibi nomen *timoris servilis* simpliciter dicti, quando oritur ex amore proprio ordinato, h. e. ex amore quo aliquis inhaeret bono proprio, prouti est referibile in finem bonitatis divinae. Ad hoc autem ut inhaereatur bono proprio, prouti est ordinabile in finem ultimum, non requiritur

ut per amorem caritatis amor boni proprii actu referatur in finem bonitatis divinae. Sed sufficit ut vi amoris proprii, qui hic sumitur pro amore propriae beatitudinis, aliquis sit paratus servare omnia mandata divina. Propter hoc ipsum enim quod aliquis est ita animo comparatus, ipse est etiam paratus ad servandum praeceptum dilectionis Dei ; et per consequens, licet non actu, virtute tamen sive vi propositi in ordinato sui amore virtualiter inclusi ipse paratus est ipsam suam beatitudinem ordinare in Deum, quando praeceptum diligendi Deum jam actu urgebit.

636. — Ex his apparet timorem servilem esse actum bonum et honestum. Est enim honestum amare bonum proprium, prouti est ordinabile in finem ultimum ; et per consequens est etiam honestum odisse ac refugere malum quod contrariatur tali bono.

Jam advertendum est timorem serviliter servilem non distingui a timore servili quoad ipsam substantiam actus, sed accidentaliter tantum, et quidem non intrinsece, sed extrinsece. Et hujus ratio est quod objectum intrinsece specificans utrumque actum non est nisi malum poenae, a quo uterque refugere nititur. Quod autem bono cui contrariatur hoc malum poenae, aliquis per amorem inhaereat tamquam fini simpliciter ultimo quodque per consequens timor mali poenalis, utpote causatus ex amore sui inordinato, sit timor serviliter servilis, hoc accidit actui timoris quoad suam substantiam considerato. Maneret quippe actus specifice idem, tametsi non procederet ex amore sui in ordinato.

Hinc porro efficitur ut, quantum est praecise per propriam suam speciem, timor serviliter servilis sit bonus et honestus, non minus quam timor servilis. Nempe, uti proxime ostensum est, timor serviliter servilis eo tantummodo est malus quod ratione amoris inordinati sui, e quo procedit, extrinsece ordinatur ad bonum proprium tamquam ad bonum simpliciter ultimum. Non autem tollitur species actus per hoc quod ejus objectum sive finis ejus intrinsecus ordinatur ad aliud tamquam ad finem extrinsecum. Si ergo removeatur a timore serviliter servili servilitas quae ei extrinsecus advenit, ille timor erit actus simpliciter bonus.

637. — *Timor* est *filialis,* quando propter timorem mali culpae, quod peccato est intrinsecum et essentiale, aliquis se avertit a peccato et se convertit ad Deum. Qui hoc modo timet peccatum, illud timet, prouti habet formaliter rationem offensae Dei. Ex quo apparet timorem filialem immediate causari ex amore caritatis. Dicitur *filialis,*

quia proprium est filiorum timere offensam patris, praecise propter hoc quod est offensa patris. Dicitur etiam *timor castus,* quia sicuti filii propter amorem patris vitant offensam patris, ita uxor propter amorem mariti vitat offensam mariti.

Dividitur timor filialis in *timorem initialem* et timorem qui retinet hoc nomen timoris filialis tamquam nomen sibi peculiariter proprium. Primaria differentia utriusque timoris stat in hoc quod timor initialis procedit ex caritate imperfecta, timor vero filialis procedit ex caritate perfecta. Et ex hac prima differentia nascitur alia ; qui enim timet Deum timore initiali, is movetur etiam timore servili ad vitandum peccatum ; qui vero timet Deum timore filiali, is jam non vitat peccatum propter timorem poenae, sed propter solum timorem offensae divinae.

Est autem advertendum timorem initialem non differre a timore filiali quoad substantiam actus neque etiam quoad substantiam caritatis a qua timor procedit. Tam enim timore initiali quam timore filiali peccatum timetur, prouti est formaliter offensa Dei, proindeque hi timores non differunt inter se quantum ad speciem actus. Nec vero possibile est caritatem quae est principium timoris initialis, specifice differre a caritate quae est principium timoris filialis. Oportet enim utramque caritatem esse dilectionem Dei super omnia : quia nonnisi ex tali Dei dilectione procedere potest timor peccati, prouti est offensivum Dei. Quando ergo dicitur caritatem ex qua procedit timor initialis esse caritatem imperfectam, intenditur solummodo dici hanc caritatem nondum esse adeo intensam ut excludat consortium actualis timoris servilis (1).

(1) *Opponet fortassis* quispiam notiones modo traditas timoris filialis et timoris initialis non cohaerere cum iis quae de objecto timoris supra generaliter docuimus. Ibi videlicet nos asseruisse malum culpae non posse esse objectum timoris, eo quod tale malum nonnisi propria nostra voluntate induci queat. Modo vero nos perhibere id quod veluti proprium objectum respiciatur tam a timore initiali quam a timore filiali, non esse aliud quam malum culpae.

Ad hoc dicitur de malo culpae nos posse loqui dupliciter. *Primo,* prouti illud malum secundum se consideratur, et sic verum esse illud, si proprie loquendum sit, non posse dici esse objectum timoris ; quia illud a nulla causa extrinseca, sed tantummodo a nobismet ipsis nobis inferri possit. Contingere tamen ut nomen timoris laxius sumatur pro omni motu fugae atque aversionis a malo possibili evenire, et secundum talem hujus vocis acceptionem, quae impropria est, oportere dici malum culpae, etiam secundum se consideratum, esse objectum timoris.

Alio modo nos posse loqui de malo culpae considerato non secundum se, sed secundum aliquem suum effectum, vel etiam secundum aliquid in ipsum inclinans. Secundum talem autem modum loquendi de malo culpae illud vere ac proprie esse objectum timoris.

Nempe a) nos vere ac proprie posse timere ne propter offensas nostras praeteritas in aeternum a Deo separemur. Hanc quippe aeternam a Deo separationem esse poenam gravissimam quae a causa extrinseca, nempe a Deo, nobis immineat ; porro hanc poenam

638. — Porro quando quaeritur utrum attritio ex solo metu gehennae vel aliarum poenarum a Deo inferibilium concepta sit dolor utilis atque honestus, supponendum est non agi nisi de attritione procedente ex timore servili. Nam attritionem procedentem ex timore serviliter servili esse malam propter vitiatam radicem ex qua procedit, in confesso est apud omnes, uti patet ex dictis.

639. — Omnem timorem servilem ideoque et omnem attritionem ex tali timore conceptum esse actum inhonestum et peccaminosum doctrina est Lutheri, jansenianorum et quesnellianorum.

A. 1° Lutherus generatim docet contritionem eam imperfectam quam scholastici *attritionem* dixerunt, non solum non esse utilem dolorem, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem. Unde infert attritionem neque parare viam ad contritionem, neque esse dispositionem ad gratiam in sacramento recipiendam. Aitque scholasticos ordinem quem vigere oporteat inter odium peccatorum et caritatem pervertisse, cum docuerunt per odium peccatorum perveniendum esse ad caritatem. Caritatem quippe debere praecedere et detestationem peccatorum subsequi, ad hoc ut detestatio sit utilis atque honesta. Nec vero opus esse ait labore aut cura nostra ad talem detestationem peccatorum comparandam; sponte enim eam fluere ex amore caritatis, statim atque hoc amore animus fervescere coeperit. (Cf. Luther, in Sermone 2° de paenitentia). Secundum Lutherum igitur peccatorum anteactae vitae detestatio quae sit utilis atque honesta, est ea tantummodo quae concipitur ex motivo caritatis. Nam timorem servilem, non solum si ab eo absit caritas, sed etiam si caritas ei comes addatur, asseverat esse vitiosum. Proptereaque pronuntiat « imperfectam caritatem esse impedimento ad introitum regni propter vitium [timoris ei adjuncti] quo imperfecta est. » (Cf. articulus 4 inter errores Lutheri damnatos a Leone papa X, et Lutherus, in assertione hujus articuli). 3° Licet autem Lutherus omnem omnino attritionem veluti vitiosam damnet, maxime tamen invehitur in attritionem quae ex timore

---

timere, pertinere ad timorem filialem, non quidem in quantum separatio a Deo est privatio boni proprii, sed in quantum est privatio boni caritatis, inducens impossibilitatem Deo convivendi.

Itidem b) nos vere ac proprie posse timere quaedam inclinantia in peccatum, puta vehementes tentationes, ferventem vim concupiscentiae, malum seductionis atque alia ejusmodi inducentia proximum periculum peccandi. Omnia quippe ejusmodi incitamenta vel pericula peccandi posse provenire a causis extrinsecis independenter a nostra voluntate. Et quidem si haec incitamenta atque pericula peccandi praecise timeantur propter hoc quod inclinant in peccatum, prouti est offensivum Dei, ea timere, pertinere ad timorem filialem.

concipiatur. Immo in omni sua de paenitentia disputatione videtur supponere non esse medium inter detestationem peccatorum conceptam ex timore et detestationem peccatorum conceptam ex amore Dei benevolo. 4° Ad ostendendum vero attritionem ex metu conceptam esse vitiosam facereque per consequens hominem magis peccatorem, hisce argumentis utitur Lutherus :

a) Qui in detestatione suorum peccatorum non ducitur nisi timore poenae, ille peccata sua odit non libenter et volenter, sed coacte et reluctanter, h. e. contra inclinationem suae voluntatis qua amat peccatum. Nam si peccatum secundum se sumptum ei non placeret; ergo illud jam detestaretur, prout habet rationem offensae Dei, et sic illud jam detestaretur ex motivo amoris Dei, non vero ex motivo timoris. Quia ergo in detestatione peccatorum ex solo motivo timoris concepta includitur affectus ad peccatum, necesse est dicere omnem qui habet talem detestationem, peccare. Et quidem eo magis peccat, quo magis timore damni et dolore poenae afficitur. Nam quo magis dolet de poena, eo magis vellet poenam non esse, proindeque eo magis et odit legem Dei minitantis poenam et amat peccatum a quo cogitur abstinere propter poenam (Cf. Luther, in Sermone 2° de paenit.).

b) Detestatio peccati orta ex vitiata radice amoris proprii est vitiosa; sed talis est detestatio concepta ex timore gehennae; qui enim detestatur peccata unice propter poenam proprio suo bono contrariantem, ille inhaeret proprio suo bono tamquam ultimo fini.

c) Quod est causa desperationis, est perversum et inhonestum ; sed odium peccati ex formidine poenae conceptum ducit ad desperationem.

Attritionem vero ex metu gehennae conceptam non esse verum dolorem de peccatis, sed simulatum, proindeque ratione talis attritionis hominem reddi hypocritam, probat Lutherus — tum a) ex eo quod qui non dolet de suis peccatis nisi ob metum gehennae, ille aliud gerit in corde, aliud exterius profitetur; intus enim in corde ipsi placent sua peccata, cum tamen exterius asserat ea sibi displicere (Serm. 2° de paenit.), — tum b) ex eo quod hypocrita dicendus est omnis qui quod facit, non ex animo et sincero corde facit (In assertione articuli 6 inter damnatos a Leone papa X).

640. — B. Jansenius in suo Augustino, libro v de gratia Christi, non ponit quidem, sicut Lutherus, omnem omnino timorem poenarum esse inhonestum, asserit tamen timorem servilem, qui sejungatur a caritate, esse inordinatum et malum, eo quod oriatur ex vitiata radice amoris sui.

641. — C. Tandem Quesnellius asserit — a) timorem poenarum, quo magis violentus est, eo magis ducere ad desperationem; — b) eum timorem manum dumtaxat cohibere, cor vero tamdiu addici peccato, quamdiu amore justitiae non ducitur; — c) *scelus committere* in corde suo, quisquis ab eo non abstinet nisi timore poenae; — d) sub maledicto legis peccari, sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem vitando. Continentur haec asserta propositionibus 60, 61, 62, 63 et 64 a Clemente XI in constitutione *Unigenitus* damnatis.

Est autem contra hos haereticos doctrina de honestate attritionis pure formidulosae ita asserenda ut non confundatur cum sententia asserente praedicta attritione efficaciter excludi affectum peccandi. Sunt enim hae duae propositiones inter se distinctae, staretque veritas prioris, etiamsi posterior esset falsa.

Propositio.

Attritio vel ex solo metu gehennae concepta, dummodo servilitatem excludat, est dolor utilis atque honestus.

642. — Apponitur ex parte subjecti haec propositio restrictiva : *dummodo servilitatem excludat,* ad removendum a motivo attritionis de qua hic est sermo, timorem serviliter servilem.

Thesis sic explicata est ad minimum certa, uti patet ex theologorum catholicorum in ea contra haereticos defendenda unanimi consensu. Doctrinaque ei contradictorie opposita est proscripta ab Alexandro papa VIII, uti patet ex hac propositione quae in serie propositionum a pontifice damnatarum est 15ª : « Attritio quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. » Eademque rursum proscripta est a Clemente papa XI in constitutione dogmatica : *Unigenitus,* damnatione hujus propositionis quae inter Quesnellianas est 62ª : « Qui a malo non abstinet nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo. » Immo merito aliquis dixerit thesin esse de fide, propter doctrinam traditam a concilio tridentino in sess. VI, capite 6, ubi timor qui omnem Dei dilectionem praecedat, numeratur inter dispositiones ad justificationem. Ex hac videlicet doctrina est consequens ut definitio fidei contenta canone 8 ejusdem sessionis intellegenda sit de timore gehennae pure servili. Multum huc faciunt ejusdem concilii sess. XIV, caput 4 et canon 5, ubi sub anathemate damnatur

error Lutheri. Notandum est tamen patres tridentinos, cum de attritione ex metu gehennae concepta contra Lutherum definiunt eam « donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, » eam esse « verum et utilem dolorem, » hanc huic suae definitioni apponere condicionem : *si voluntatem peccandi excludat.* Sunt autem inter catholicos qui contendant hanc condicionem non verificari nisi ad attritionem accedat amor initialis.

643. — **Probatur** 1° *ex principiis bonitatis actionum humanarum.* Argumentum est hujusmodi. Actus cujus tum finis intrinsecus tum finis extrinsecus sunt boni, est actus simpliciter honestus et laudabilis. Sed attritionis ex solo metu gehennae conceptae, dummodo servilitatem excludat, tum finis intrinsecus tum finis extrinsecus sunt boni. Ergo attritio ex solo metu gehennae concepta est actus simpliciter honestus et laudabilis.

Major est per se manifesta. Licet enim momenta ex quibus pensatur bonitas moralis actionis, numerentur tria, nempe a) objectum sive finis intrinsecus, b) finis agentis sive finis extrinsecus et c) circumstantiae ; tamen consideratio circumstantiarum est impertinens ad judicandum de bonitate actionis de qua modo quaestio movetur. Rationes sic decernendi sunt — tum a) quod eo ipso quod circumstantiae sunt accidentales, si qua sit circumstantia mala, ea removeri poterit, manentibus iisdem et fine intrinseco et fine extrinseco actionis, — tum b) quod quaestio praesens non est de bonitate attritionis ex solo metu gehennae conceptae, prouti tali vel tali circumstantia vestiri supponitur, sed de bonitate hujus attritionis praecise consideratae penes hoc motivum quod est motivum timoris.

Probatur itaque Minor per partes hunc in modum: 1° *Finis intrinsecus sive objectum ex quo attritio pure formidulosa speciem accipit, nempe poena gehennae, prouti est objectum timoris, est finis bonus atque honestus.* Quotiens enim bonum aliquod est honeste prosecutibile, totiens malum huic bono oppositum est honeste fugibile et vitabile. Sed bonum propriae incolumitatis propriaeque beatitudinis est honeste prosecutibile : est quippe hoc bonum per se ordinabile in finem ultimum ; ergo etiam malum huic bono contrarians, nempe poena gehennae, est honeste fugibile atque vitabile.

2° *Finis extrinsecus attritionis pure formidulosae, nempe bonum propriae incolumitatis propriaeque beatitudinis, est finis bonus atque honestus.* — Ratio patet ex probatione facta pro prima parte Minoris. Uti videlicet modo dictum est, bonum propriae incolumitatis propriaeque beatitu-

dinis est per se ordinabile in finem ultimum. Unde eatenus solummodo hic finis evaderet malus, quatenus excluderetur ejus ordinabilitas in bonitatem divinam, propter hoc quod ei inhaereretur tamquam fini ultimo. Hoc autem non contingit in attritione pure formidulosa de qua agitur ; quia supponimus excludi servilitatem a timore e cujus motivo talis attritio concipitur.

644. — **Nec juvat dicere** 1° ab attritione quae omnis amoris Dei benevoli sit expers, non posse excludi servilitatem. Nam a) quod bonum movet primo et per se, huic adhaereri tamquam fini ultimo ; in attritione autem quae omnis amoris Dei sit expers, bonum proprium movere primo et per se ad fugiendum gehennam et ad detestandum peccatum. Sane b) in sententia excludente ab attritione omnem amorem initialem, discrimen inter attritionem procedentem ex timore servili et attritionem procedentem ex timore serviliter servili esse pure verbale ; si enim aliquod sit discrimen, illud assignandum esse ex modo quo movet bonum proprium, hoc autem in praedicta sententia esse impossibile ; quia ponit in utraque attritione bonum proprium movere primo et per se.

Hoc non juvat dicere, inquam ; *negatur enim simpliciter assertum.* — Ad primam probationem dicitur, ad hoc ut alicui bono inhaereatur tamquam fini ultimo, non sufficere ut illud bonum sit primum in serie finium voluntatem actu vel virtute moventium, sed requiri ut vi ipsius actus procedentis ex motione illius boni excludatur ordinabilitas ejusdem boni ad bonum ulterius. — Ad secundam probationem dicitur in timore serviliter servili amorem boni proprii ita movere ad fugiendam poenam ut voluntas *mallet peccare quam poenam subire.* Et in hoc stare discrimen timoris serviliter servilis a timore servili, ut magis patebit ex postea dicendis.

645. — **Nec juvat dicere** 2° cum Luthero et jansenianis ad bonitatem actus non sufficere finem intrinsecum et finem extrinsecum actus non esse fines indebitos, sed praeter hoc necesse esse actum referri in finem ipsi debitum. Quia ergo finis debitus omni actui sit bonitas divina, in finem autem bonitatis divinae non referatur actus aliquis nisi per amorem caritatis, necessario dicendum esse attritionem pure formidulosam esse actum inordinatum.

Neque sic juvat dicere, inquam ; *negatur enim prior pars Majoris ; posterior vero ejusdem pars ita distinguitur :* Ad bonitatem actus requiritur ipsum referri in finem ultimum vi actuali hujus finis, h. e. per amorem caritatis, *Neg. Maj.* Objectiva tendentia sive resultantia ipsius actus,

qui eo ipso quod ejus finis est honestus, confert ad finem ultimum, dummodo ejus relatio in finem ultimum non positive excludatur ab agente, *Conc. Maj.*, et *contradistincta Minore, neg. Consequens.*

Absurdam esse doctrinam Lutheri et jansenianorum asserentium omnem actum vel esse ex actuali caritate vel ex mala cupiditate et per consequens omnem actum qui non eliciatur vel imperative procedat ex caritate, esse malum et peccaminosum, patet — tum a) ex eo quod, uti proxime dictum est, omnis actus qui tum ex objecto suo tum ex fine in quem dirigitur ab agente, est honestus, tendit natura sua in finem ultimum, modo ejus ordinatio in finem ultimum non excludatur ab agente, — tum b) ex eo quod praeceptum dilectionis Dei est praeceptum affirmativum, quod urget quidem semper, non tamen pro semper, — tum c) quod non est possibile homini semper, quando deliberate agit, cogitare de fine ultimo.

Patet ceteroquin hanc secundam objectionem non differre funditus ab ea quae primo loco contra argumentum et ejus conclusionem movebatur. Nam si actus aliquis nequeat referri in finem ultimum nisi quatenus hic finis per amorem caritatis actu intenditur ; ergo quotiens haec actualis intentio deest, sistitur in bono creato quod actu intenditur, tamquam in summo bono, uti arguebat prima objectio.

646. — Nec juvat dicere 3° in attritione pure formidulosa contineri hanc voluntatem condicionatam : *Si non esset infernus, vellem peccare.* Quia ergo talis voluntas sit intrinsece mala, necesse esse dicere etiam attritionem pure formidulosam, quippe in qua ea voluntas includatur, esse intrinsece malam.

Neque sic juvat dicere, inquam ; confunditur enim a sic dicentibus attritio fundata in timore servili cum attritione fundata in timore serviliter servili. Quod quidem sic facile perspici potest. In habente formidulosam attritionem, in quantum hujusmodi, est attendere tres actus necessario inter se cohaerentes, nempe a) detestationem peccatorum ex motivo timoris gehennae conceptam, b) timorem gehennae, ex quo procedit ea detestatio, et c) amorem boni proprii, cui innititur ipse timor gehennae. Et quidem haec actuum sylloge, propter causalem derivationem unius actus ab alio, non constituit nisi unum actum in genere moris. Sive, quod idem est, attritio pure formidulosa accipit extrinsecam quamdam bonitatem vel malitiam ex eam praecedentibus timore et amore, in quorum finem dirigitur ; ideoque, ut attritio ea sit moraliter bona, non est satis eam quoad suam substantiam esse bonam, sed necesse est insuper actus timoris et amoris eam praeceden-

tes esse bonos. Quia tamen attritio formidulosa non cohaeret causaliter nisi cum timore et amore eam praecedentibus, idcirco e converso verum est dicere ad hoc ut ea attritio sit mala, satis esse ut vel ipsa secundum suam substantiam sit mala, vel unus saltem e duobus actibus e quibus oritur, sit malus. Si ergo verum sit dicere attritionem formidulosam esse malam, quia in ea includatur haec voluntas condicionata : *si infernus non esset, vellem peccare ;* oportet hanc voluntatem condicionatam includi in uno ex tribus actibus assignatis.

Jam vero 1° falsum est dicere voluntatem illam condicionatam formaliter includi in attritione formidulosa secundum suam substantiam inspecta. Et ratio est quod impossibile est actum detestationis sive aversionis esse formaliter actum amoris et complacentiae ; hoc tamen oporteret verificari ad hoc ut voluntas illa condicionata : *vellem peccare, si infernus non esset,* formaliter includeretur in ipsa substantia attritionis pure formidulosae. Et hoc patet ; est enim ea voluntas condicionata formalis actus amoris quo aliquis sibi complacet in bono prohibito peccati, prouti hoc bonum ea condicione afficitur quod infernus non esset.

Itidem 2° falsum est dicere voluntatem illam condicionatam aequivalenter includi in attritione formidulosa secundum suam substantiam inspecta. Ratio est quod in attritione formidulosa quoad substantiam actus inspecta poena gehennae non est *condicio sub qua*, sed *motivum propter quod* aliquis sua peccata detestatur ; cum tamen, ut ea attritio aequivalenter includeret istam voluntatem condicionatam, oporteret eam esse formaliter detestationem condicionatam cujus videlicet tendentia esset talis : *detestor peccata sub hac condicione quod infernus sit.*

3° Falsum est dicere voluntatem illam condicionatam includi sive formaliter sive aequivalenter in timore ex quo proxime oritur attritio pure formidulosa. a) Non includitur formaliter ; quia actus timoris substantialiter inspectus nequit esse formaliter actus amoris. b) Non includitur sive formaliter sive saltem virtualiter ; quia substantia actus timoris versatur circa solam poenam gehennae, non vero circa peccatum, quod tamen necesse foret ad hoc ut in eo actu qualitercumque imbiberetur voluntas ea condicionata : *vellem peccare, si infernus non esset.*

4° Falsum est dicere voluntatem illam condicionatam necessario includi in amore boni proprii, ex quo tamquam ex prima radice oritur attritio pure formidulosa. Ratio patet ex supra ostensis. Non enim

aliter praedicta voluntas condicionata continetur in amore boni proprii, nisi quatenus per hunc amorem adhaeretur bono proprio tamquam summo bono. Non autem necesse est ut per amorem in quo radicatur attritio pure formidulosa, aliquis adhaereat bono proprio tamquam summo bono. Ratio quippe hujus necessitatis non aliunde accipi posset nisi ex eo quod qui habet attritionem pure formidulosam, ita amat bonum suum proprium ut illud actu non ordinet in finem simpliciter ultimum. Jam vero haec ratio non tenet; quia, uti supra ostensum est, ad hoc ut aliquis adhaereat bono suo proprio tamquam summo bono, non sufficit ab ipso hoc suum bonum actu non referri in finem simpliciter ultimum, sed necessarium est ab ipso *per positivum actum excludi ordinationem hujus boni in finem simpliciter ultimum.* Qui quidem positivus actus consistit in hoc quod aliquis vult omnia ordinari in suum bonum proprium tanquam in ultimum finem, ita ut etiam vellet peccare, si id posset conferre ad suum bonum, h. e. si non obstaret poena inferni. Nec nisi quando amor boni proprii est hujusmodi, verum est dicere a) per timorem gehennae ex tali amore oriundum poenam gehennae timeri tamquam summum malum, et b) per attritionem ex eodem amore oriundam peccatum odio haberi sub hac tantummodo condicione: *si infernus exsistat.* Nempe a) in tali casu non per substantiam actus timoris, sed per hunc actum prouti extrinsecus informatur vitioso amore boni proprii, poena inferni timetur tamquam summum malum. Itidem b) in tali casu non per substantiam attritionis pure formidulosae, sed per hanc attritionem, prouti extrinsecus informatur vitioso amore boni proprii, odio habetur peccatum sub hac tantummodo condicione quod infernus exsistat.

647. — Sic igitur patet in quonam situm sit discrimen inter attritionem procedentem ex timore servili et attritionem procedentem ex timore serviliter servili. Inter utramque videlicet attritionem non est differentia quantum ad substantiam ipsius attritionis, neque etiam quantum ad substantiam timoris gehennae, sed solummodo quantum ad substantiam amoris quo aliquis adhaeret bono suo proprio. Quando attritio est servilis, ita amatur bonum proprium ut illud bonum non ordinetur quidem actu positivo in finem simpliciter ultimum, nec tamen omnia actu positivo ordinentur in ipsum tamquam in finem. Quando vero attritio est serviliter servilis, ita amatur bonum proprium ut non solum bonum proprium non ordinetur actu positivo in finem simpliciter ultimum, sed omnia actu positivo ordinentur in ipsum tamquam in finem.

Recte igitur principio asseruimus ab adversariis confundi attritionem servilem cum attritione serviliter servili. Sive, quod eodem recidit, non modo gratis, sed falso ab adversariis supponitur omnem attritionem pure formidulosam esse attritionem serviliter servilem.

648. — Nec juvat contra haec instare sive dicere 4° attritionem pure formidulosam non excludere affectum peccandi; hinc porro esse necessario consequens eam esse vitiosam. Non enim posse supponi ab habente attritionem pure formidulosam affectum peccandi excludi motivo distincto a motivo poenarum; quia talis suppositio implicet in adjecto. Dolorem quippe qui non concipiatur ex solo motivo timoris, jam non esse attritionem pure formidulosam. Quia ergo timor poenarum nequeat excludere affectum peccandi, necesse esse ut attritio pure formidulosa conjungatur cum affectu peccandi. Ex hoc porro esse consequens ut omnis attritio pure formidulosa oriatur ex vitiosa radice inordinati amoris proprii; quia qui actu afficitur erga peccatum, ille actu posthabet bonitatem divinam bono suo proprio; proindeque ille actu adhaeret bono suo proprio tamquam summo bono.

Etiam hoc non juvat dicere, inquam; nam primo quidem responderi posset falsum esse id quod in tali modo impugnationis assumitur, nempe attritionem pure formidulosam non efficaciter excludere affectum peccandi. Hac tamen responsione in praesentiarum abstinemus, — tum quia a) doctrina de honestate attritionis pure formidulosae est certior quam doctrina de efficacia ejusdem attritionis; praeposterum autem teneret probationis ordinem qui ex propositione minus certa intenderet concludere veritatem propositionis magis certae, — tum quia b) ostendendum est etiam contra haereticos non omnem timorem gehennae qui nondum excludat affectum peccandi, esse propterea malum et inhonestum (1).

Respondetur itaque aliter, dicendo, etiamsi verum esset nudum timorem poenarum aeternarum non sufficere ad excludendum affectum peccandi, adhuc tamen falsum esse talem timorem necessario provenire ex vitioso amore boni proprii.

Etenim ex eo quod dolor de peccatis ex motivo timoris oriundus nondum est efficax, sequitur quidem talem dolorem *posse conjungi* cum

(1) Manifestum est saepissime contingere ut, quando peccator primum incipit concuti timore judiciorum divinorum, talis timor nondum ejus cor divellat ab affectu peccandi. Et tamen omnino tenendum est talem timorem esse utilem et bonum et supernaturalem. Peccatorem enim quasi e somno vel e crapula excitat eumque disponit ad concipiendam detestationem suorum peccatorum efficacem.

affectu peccandi, non vero sequitur eum *necessario cohaerere* cum affectu peccandi. Aliudque est profecto attritione pure formidulosa non excludi affectum peccandi, aliud vero est in ea attritione necessario includi affectum peccandi. Jam vero hoc posterius oporteret ostendi ad hoc ut concludi posset attritionem pure formidulosam necessario cohaerere cum actuali affectu peccandi. Id autem ostendi non posse manifeste patet ex praedictis. Scilicet a) non ipsa attritio et timor eam praecedens, si quantum ad substantiam actus considerentur, includunt affectum peccandi. Quantum enim est per se, isti actus cohibent et refraenant affectum peccandi, non ergo illum includunt. Et hoc patet vel ex ipsis argumentis adversariorum. Aiunt enim timorem servilem et attritionem ex eo oriundam *esse actus coactos et violentos, quia contrariantur affectui quo peccator actu adhaeret peccato.* Et sic supponunt affectum peccandi non solum non includi in substantia timoris vel attritionis, sed aliunde provenire, verum inter posteriores hosce actus et priorem illum mutuam intercedere pugnam. Itidem b) stat attritionem pure formidulosam non excludere affectum peccandi, et tamen in ipsa, prouti in unum actum moralem coalescit cum amore boni proprii, ipsius radice, non includi affectum peccandi. Et ratio est quod non est necesse ut peccator propter hoc quod non detestatur efficaciter sua peccata, singulis momentis actu adhaereat peccato. Unde, sicuti ipse antequam efficaciter detestetur sua peccata, potest elicere actum fidei vel spei vel misericordiae qui non proveniant ex inordinata cupiditate; ita similiter, antequam efficaciter detestetur sua peccata, potest ipse ex motivo timoris elicere inefficacem displicentiam de suis peccatis quae non radicetur in inordinata cupiditate. Et contrarium hujus asserere, idem est atque contendere eum, qui nondum efficaciter detestatur sua peccata, semper et in omnibus suis actibus peccare, quod absurdum est. Hinc c) si contingat attritionem pure formidulosam quae non excludat affectum peccandi, actualiter conjungi cum affectu peccandi, hoc erit per accidens et non per se, poteritque per consequens actualis ille affectus peccandi se habere ad inefficacem illam attritionem formidulosam cum eo conjunctam, non causaliter vel intrinsece, sed concomitanter et omnino extrinsece. Ratio patet ex modo dictis. Ostensum est enim nullam esse necessariam connexionem inter attritionem pure formidulosam, etiamsi non excludat affectum peccandi, et ipsummet hunc affectum.

Nec valet id quod dicebatur in objectione facta, eum qui actu fovet affectum peccandi, adhaerere bono suo proprio tamquam summo bono

et per consequens fieri non posse ut is qui actu fovet affectum peccandi, eliciat actum timoris servilis qui non oriatur ex vitiata radice amoris proprii. — Hoc non valet, inquam ; nam verum est quidem eum qui actu in suo corde fovet affectum peccandi, postponere bonitatem divinam bono suo praesenti, et hoc sensu eum adhaerere proprio suo bono tamquam summo bono. Non tamen necesse est ut qui actu afficitur erga peccatum, sibi proponat semper bonitatem divinam postponere proprio suo bono. Proptereaque poterit ipse affici erga *futuram suam beatitudinem* absque hoc quod excludat ordinem *hujus sui boni futuri* ad bonitatem divinam. Unde in tali ejus affectu erga futuram ipsius beatitudinem poterit radicari inefficax aliquis actus timoris servilis qui neque intrinsece neque causaliter sit malus.

Ex dictis ferme explicatum relinquitur aliud argumentum quod pro probatione theseos afferri potest.

649. — **Probatur** videlicet propositio II° *via exclusionis* hunc ferme in modum. Secundum adversarios attritio pure formidulosa esset actus malus et peccaminosus, vel quia a) timor gehennae, e quo proxime procedit, ducit ad desperationem, vel quia b) intrinsece, h. e. per ipsam suam substantiam, includit affectum peccandi, vel quia c) ultimato oritur ex vitiosa radice amoris proprii et per consequens, saltem in quantum in unum actum moralem coalescit cum hac sua radice, includit affectum peccandi, vel quia d) necessario cohaeret cum affectu peccandi, vel quia e) non est nisi dolor coactus et simulatus. Atqui omnes hae rationes sunt inanissimae.

Nempe 1° timor gehennae ex cujus motivo concipitur attritio pure formidulosa, non ducit per se ad desperationem. *Dico per se ;* quia ad hoc ut actus aliquis sit malus ratione effectus alicujus mali ad ipsum sequentis, oportet ut ille effectus ex eo sequatur per se et non per accidens, h. e. non ratione alterius quod cum ipso contingat accidentaliter conjungi. Rationes asserti sic explicati sunt — tum a) quod timor de quo hic agitur, supponitur concipi ex motivo fidei, fides autem, cum docet Deum minitari poenas aeternas peccatoribus, simul docet Deum esse paratum reddere suam gratiam peccatori sese convertenti, immo idcirco eum minitari poenas peccatori ut eum ad paenitentiam adducat, — tum b) quod timor jam non est timor, nisi sibi habeat adjunctam spem evadendi malum quod timetur.

2° Ne in dolore quidem concepto ex timore serviliter servili hic actus doloris et timor ex cujus motivo concipitur, includunt intrinsece affectum peccandi. — Patet id tum ex argumento prius facto tum ex

responsione ad 3^{am} rationem qua vis hujus argumenti impetebatur.

3° Attritio pure formidulosa non necessario oritur ex vitioso amore boni proprii ; proindeque ipsa non est necessario mala ratione finis sui extrinseci, h. e. propter perversam intentionem peccatoris concipientis attritionem pure formidulosam. Patet assertum ex eodem argumento prius facto et ex responsionibus ad 3^{am} et 4^{am} rationes quae ad enervandum hoc argumentum inducebantur.

4° Attritio pure formidulosa non necessario cohaeret cum affectu peccandi. Patet assertum a) ex eo quod ad hoc ut attritio illa servilis necessario cohaereat cum affectu peccandi, oporteret eam aut intrinsece includere affectum peccandi aut saltem causari ex vitioso amore boni proprii ; horum autem utrumque modo exclusum est. Patet idem b) ex falsitate rationum quibus pugnatur ad ostendendum attritionem pure formidulosam necessario cohaerere cum affectu peccandi. Hae videlicet rationes sunt — α) quod qui concipit attritionem pure formidulosam, habeat hanc voluntatem condicionatam : *peccarem, si non esset infernus,* quodque β) attritio pure formidulosa sit inefficax ad excludendum affectum peccandi. Jam vero harum rationum prior exclusa est in respondendo ad 3^{am} rationem quae adducebatur contra argumentum prius factum. Ibi videlicet ostensum est non omnem attritionem pure formidulosam esse serviliter servilem. Posterior vero ex duabus rationibus proxime assignatis exclusa est in respondendo ad 4^{am} impugnationem quae dirigebatur contra argumentum prius factum. Ibi videlicet ostensum est, etiamsi staret attritionem pure formidulosam esse inefficacem ad repugnandum affectui peccandi, non tamen α) eam propterea necessario conjungi cum actuali affectu peccandi, ideoque β) affectum peccandi, quando actu adest, posse se habere ad attritionem illam inefficacem concomitanter et omnino extrinsece.

5° Attritio formidulosa non est dolor coactus et simulatus. Patet assertum ex eo quod quinta illa ratio supponit attritionem formidulosam sibi habere necessario adjunctum actualem affectum peccandi, id quod exclusum relinquitur responsionibus modo datis. Adderet fortassis aliquis voluntatem cogi non posse, attritionemque non posse esse actum sive bonum sive malum, nisi sit dolor voluntarie assumptus de peccatis. Haec tamen responsio dimittenda est ; quia adversarii non intendunt loqui de coactione proprie dicta, sed de renitentia quadam quam voluntas experiatur in dolendo quaeque prodat ipsam ita refugere a peccato re et effectu perpetrando propter timorem poenae ut tamen affectu adhaereat peccato.

650. — **Probatur III°** *ex scripturis.* 1° Eccli. I, 16 : « Initium sapientiae timor Domini. » Ibid., 25 : « Radix sapientiae est timere Deum. » Ibid., 27, 28 : « Timor Domini expellit peccatum ; nam qui sine timore est non poterit justificari. » — Uti mox ostendemus, timor qui sit initium sapientiae, nequit esse nisi timor pure servilis ; de timore igitur pure servili affirmatur loco citato versibus 25, 27 et 28 eum esse necessarium ad justificationem et eum expellere peccatum. Quod autem tale est, oportet esse actum bonum ; nequit enim actus peccaminosus esse necessarius ad justificationem, neque actus peccaminosus expellit, sed adauget peccatum. — Valet hoc argumentum contra jansenianos, non tamen contra Lutherum, qui non recipit librum Ecclesiastici. Nec vero opus est recurrere ad hunc librum ; abundant enim testimonia in libris protocanonicis.

2° Ps. CX, 10 : « Initium sapientiae timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in saeculum saeculi. »

Prov. I, 7 : « Timor Domini principium sapientiae. »

Hisce locis dicitur timor Domini esse initium sapientiae, non quod sit pars sapientiae, ingrediens constitutionem ejus, sed quod sit primus effectus a quo incipit opus sapientiae. Quo modo fundamentum dicitur esse principium aedificationis. Manifestum est autem neque timorem filialem neque timorem initialem posse dici esse primum effectum sapientiae ; quia uterque praeceditur a caritate. Timor igitur Domini de quo agitur locis citatis, est timor pure servilis. Manifestum est autem eum timorem ibi commendari tamquam honestum. Quippe opus quod est effectus prudentiae supernaturalis et ratione cujus aliquis redditur laudabilis, nequit esse nisi opus bonum et honestum.

3° Deus in exhortationibus per prophetas ad populum Israeliticum directis itemque Christus in evangeliis saepissime minitatur et ob oculos ponit poenas inferni, idque non alio fine, uti apparet tum per se tum ex contextu, quam ut motivo timoris excitentur homines ad paenitentiam. (cf. Matth. V, 29, XVIII, 8, 9 ; Marc. IX, 42, 44, 46 ; Luc. XII, 5)

4° Christus exhortatur suos discipulos ad timorem poenarum gehennae. Absurdum autem esset dicere eum exhortari ad actum peccaminosum. — Matth. X, 28 : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. » (cf. Luc XII, 4, 5)

Itidem Joannes Baptista commendat paenitentiam ex motivo timoris servilis conceptam. Nam venientes ad baptismum sic alloquitur apud Matthaeum III, 7, 8 : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis

fugere a ventura ira ? Facite ergo fructum dignum paenitentiae. »

5° David, Ps. CXVIII, 120, postulat timorem servilem tamquam donum Dei hisce verbis : « Confige timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui. »

651. — **Probatur IV°** *ex traditione patrum.* Sufficiat huc adduxisse unum Augustinum, quandoquidem ejus in auctoritate maxime se jactant Lutherus et janseniani.

1° S. Augustinus passim in suis operibus exhortatur peccatores ad timorem servilem. Sic Serm. 156, n. 14 : « *Fac, fac,* inquit *vel timore poenae,* si nondum potes amore justitiae. » Et Serm. 348, n. 1 : « Discat timere, inquit, qui non vult timere. Discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus. » Et in Joan. evang. cap. VIII, tract. 41, n. 10 : « Nondum potes amare justitiam ? time vel poenam ut pervenias ad amandam justitiam. »

2° Timorem servilem, *etiamsi sejungatur a caritate,* ait esse actum bonum et utilem. In Ps. CXXVII, n. 8 : « Ille, inquit, timor nondum castus praesentiam [Domini] et poenas timet. Timore facit, quidquid boni facit ; *non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum.* Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. *Bonus est et iste timor, utilis est,...* sed nondum est iste castus permanens in saeculum saeculi. »

3° S. Augustinus docet timorem praeparare locum caritati, immo nonnisi timore perveniri posse ad amorem. Non autem adeo ineptiit ut crederet actum peccaminosum esse dispositionem ad caritatem et peccatorem, nonnisi nova peccata committendo, posse pervenire ad caritatem. Timorem ergo qui praecedat caritatem, h. e. qui sit pure servilis, censuit esse actum bonum et honestum. Nec talia s. Augustini asserta ad congruum sensum revocantur, dicendo de mente sancti doctoris esse dicere timorem poenarum a Deo infligendarum esse quidem bonum in se, semper tamen in homine nondum habente caritatem ei adjungi servilitatem et hanc esse malam. Non inquam, tali interpretatione asserta s. Augustini ad quae hic respicimus, ad convenientem sensum revocantur ; nam actus qui ex perversa intentione eliciuntur, sunt in genere moris actus mali, proindeque, stante ea adversariorum interpretatione, verum maneret a s. doctore doceri actum peccaminosum esse dispositionem necessariam ad caritatem. En testimonia s. Augustini :

In Ps. CXLIX, n. 14 : « Nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. »

Tract. IX in epist. Joan., n. 4, conferens timorem et caritatem cum acu et filo : « Timor quasi locum praeparat caritati, inquit. Cum autem coeperit caritas habitare, pellitur timor qui ei praeparavit locum... Major caritas, minor timor,... Si autem nullus timor, non est qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur ; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum : sic timor primo occupat mentem ; non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret caritatem. »

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

652. — Argumenta quae ad evincendam inhonestatem attritionis pure formidulosae ex natura hujus attritionis vel ex ejus principiis desumuntur, decursu probationis pro thesi institutae jam sufficienter disjecta sunt. Restat ut solvantur argumenta quae ab adversariis adducuntur ex scripturis, ex auctoritate s. Augustini et ex auctoritate divi Thomae. Et quidem duobus posterioribus argumentis opportunius occurretur, postquam probata fuerit efficacia attritionis pure formidulosae. Modo igitur illud unum diluendum est argumentum quod e scripturis adversarii depromunt.

653. — **Objiciunt** nempe haec scripturae loca :

Rom. VIII, 15 : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). »

II Tim. I, 7 : « Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. »

Unde ita arguunt : A lege evangelica nullus actus interior qui sit honestus et supernaturalis, excluditur. Sed secundum doctrinam apostoli timor servilis a lege evangelica excluditur. Ergo timor servilis est malus, non quidem secundum substantiam actus timoris, quia quominus hoc dicatur, prohibent plurima loca scripturae tam veteris quam novae ; sed iste timor est malus, in quantum est servilis, quia, in quantum hujusmodi, semper profluit ab inordinata concupiscentia.

654. — **Respondetur** *concedendo Majorem, sed distinguendo Minorem hoc modo :* Timor simpliciter servilis excluditur a lege evangelica, *Neg. Min.* Timor serviliter servilis, *Subdist. Min.* Quoad ipsam substantiam actus timoris, *Neg.* Quoad servilitatem huic actui accidentaliter adjunctam, *Conc.* et *sub datis distinctionibus neg. Consequens.*

Quando asserit apostolus spiritum novae legis non esse spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis filiorum, vel virtutis et dilectionis ;

paucis comprehendit doctrinam quam de differentia intercedente inter legem veterem et legem novam fuse tradit in epistula ad Rom. capp. III-VII, in epistula ad Gal. III-V et in epistula ad Hebr. VII-XI. Ex hac igitur ejus doctrina determinandus est sensus qui subest locis in objectionibus adductis.

Porro de lege veteri, in quantum praecise pertinebat ad oeconomiam mosaicam, vel docuerat vel intellegendum dederat apostolus

a) ad ejus observationem non fuisse impulsum populum judaicum nisi motivo aliquo ipsi justitiae extrinseco, nempe spe bonorum temporalium et metu poenarum temporalium, quae unica etiam erat hujus legis sanctio. (Cf. Hebr. VIII, 6, IX, 15)

b) Vi oeconomiae ad quam pertinebat lex vetus, non fuisse collatam gratiam internam quae vires praestaret ad ejusdem legis observationem. Quo sensu qui sectatores sunt *justitiae legis* dicuntur ab apostolo suam justitiam, h. e. justitiam solis viribus liberi arbitrii partam, velle statuere. (Rom. X, 3 ; Gal. III, 12, 21)

c) Quantum erat praecise ex vi oeconomiae mosaicae, veterem legem non valuisse ad justitiam internam, sed ad justitiam tantummodo externam, quae sola etiam directe et per se, quantum erat praecise per illam oeconomiam, praecipiebatur. Quo sensu lex mosaica dicitur *lex factorum, lex operum.* (Cf. Rom. III, 20-21, 27, 28; Gal. III, 2, 5, 10, 11, 12)

Hinc d) vetus lex duplici nomine erat lex servitutis. *Primo*, quia, uti dictum est, quantum erat ex vi oeconomiae mosaicae, non movebantur judaei ad hujus legis observationem nisi metu poenarum temporalium et spe bonorum temporalium ; tali autem motivo duci proprium est servorum et mercenariorum. *Secundo*, quia, quantum erat ex vi oeconomiae mosaicae, non excludebatur *servilitas* a timore impellente ad mandata legis servanda. Et hoc propterea, quia oeconomia mosaica neque habebat sibi adnexam promissionem gratiae neque valebat ad justitiam internam, h. e. ad justitiam cordis, sed in operibus externis haerebat.

Nec propterea lex vetus dicenda est fuisse mala. Licet enim, quantum erat praecise ex vi oeconomiae mosaicae non valeret ad excludendum timorem serviliter servilem, non tamen hunc timorem praecipiebat vel commendabat. Nec vero lex humana reputatur esse mala, quamvis nec ipsa, quantum est per ipsam solam, valeat ad excludendum timorem serviliter servilem.

Porro in oppositione ad legem veterem lex nova et a) melioribus promissionibus, nempe promissione haereditatis caelestis, est sancita

ad eamque observandam impelluntur ejus observatores non solum motivo timoris, sed praecipue motivo dilectionis, et b) ea habet sibi adnexam promissionem gratiae internae, et c) ea et valet ad justitiam et per se ac directe talem justitiam praecipit.

Ex his colligitur quo sensu asserat apostolus spiritum novae legis non esse spiritum servitutis, sed spiritum adoptionis filiorum, vel virtutis et dilectionis et sobrietatis. Uti enim patet ex connexione hujus ipsius asserti cum doctrina quam praemiserat, per illud intendit a lege nova removere servitutem quae inveniebatur in vetere lege. Proindeque sensus ejus verborum est a) legem novam non unice movere ad sui observationem motivo timoris, sed praecipue aliis motivis nobilioribus, puta motivo amoris justitiae, vel motivo dilectionis Dei, — et b) legem novam propria sua vi excludere a suis observatoribus timorem serviliter servilem. Stat autem cum istis duobus non excludi a spiritu legis novae quominus ii qui nondum hujus legis perfectionem consecuti sunt, moveantur ad eam observandam timore servili. (Cf. s. Thomas, 1^a II^{ae}, q. 107, a. 1, ad 2^m)

CAPUT XVII.

De efficacia attritionis pure formidulosae.

655. — Uti patet ex doctrina quam de contritione tradit concilium tridentinum in sess. XIV, capite 4, dolor de peccatis non est dispositio ad justificationem, nisi sit efficax. Et quidem, quod speciatim attinet ad attritionem, de ea non affirmant patres tridentini eam disponere ad gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam, nisi sub hac condicione : *si voluntatem peccandi excludat.* Consistit autem efficacia doloris de peccatis concepti in ejus repugnantia sive contrarietate ad omnem affectum peccandi, ita ut vi ipsius doloris necesse sit excludi affectum peccandi. Aliis verbis ad hoc ut dolor de peccatis dici possit efficax, non sufficit ab habente talem dolorem actu abesse omnem affectum peccandi, sed necesse est actum doloris per se, et non per accidens, conjungi cum actuali exclusione affectus peccandi.

656. — Quaestio est utrum attritio pure formidulosa efficaciter excludat affectum peccandi. In qua decidenda cum duplici genere adversariorum confligendum est.

Nempe haeretici quos capite proxime absoluto refutavimus, Lutherus videlicet, janseniani et quesnelliani, ea praecipue de causa ponunt timorem servilem esse inhonestum, quod in ipso includatur vel cum ipso necessario cohaereat affectus peccandi. Totus est in hoc argumento evolvendo Jansenius, in suo Augustino, tom, III, de gratia Christi, lib. V, capp. 24-32. Et Quesnellii haec sunt inter alia de re praesenti asserta in constitutione *Unigenitus* proscripta : timorem manum cohibere, non cor ; et scelus in corde committere, quicumque a malo non abstinet nisi timore poenae. (cf. propp. 60-67)

657. — Inter catholicos vero negant timorem servilem valere ad affectum peccandi corde pellendum plerique ex iis necessitatis amoris initialis propugnatoribus qui dicti sunt contritionistae. Exque asserta ab ipsis attritionis pure formidulosae inefficacia potissimum ducunt argumentum ad evincendum eam non esse dispositionem sufficientem ad justificationem in sacramento consequendam. Ita disputant Neercassellius, in partibus Batavorum vicarius apostolicus et episcopus castoriensis, in suo Amore paenitente, libro I, capp. 5, 6, 7, 8, 11, 14, Christianus Lupus, in sua Dissertatione dogmatica de christiana attritione et contritione, Petrus Lambertus Ledrou, in suis quattuor Dissertationibus de contritione et attritione, Joannes Morinus, Berti, Juenius, Witassius aliique. Horum auctorum sententia sic enucleatius explicatur :

1° Timor servilis, uti et attritio ex ea proveniens, est actus bonus et honestus et supernaturalis. Neque enim ille timor idcirco malus reputandus est, quod conjungatur cum affectu peccandi. Non enim a) ille affectus peccandi provenit a timore, sed aliunde, eumque, si timor non exstinguat, saltem refraenat ac comprimit. Sane b) non propterea actus aliquis desinit esse bonus, quod vi et efficacia ipsius non excluditur affectus peccandi. Secus quippe actus fidei, spei, inefficacis cujusdam Dei dilectionis a peccatore nondum se convertente eliciti, dicendi essent actus mali, quod absurdum est atque diserte damnatum in doctrina Baii et jansenistarum.

2° Timor ille servilis, licet non sit simpliciter efficax, est tamen efficax secundum quid. Nam a) cohibet voluntatem ne prorumpat in opera peccati. Immo b) et interiorem affectum erga peccatum cohibet, arcendo a voluntate omnem actum quo aperte et data opera sibi complaceat in re aliqua mala, puta in illicitis concupiscentiis, in vindicta, in appetendis bonis alienis. At c) eatenus timor servilis est inefficax, quatenus non interimit in voluntate affectum quemdam pec-

candi quem alii ex his auctoribus vocant *latentem* sive *occultum,* alii *implicitum,* alii *virtualem,* alii *habitualem.* Eo enim ipso quod aliquis non movetur ad fugienda et detestanda peccata nisi propter timorem poenae, ipse habet implicite hanc voluntatem condicionatam : *peccarem sive mente, sive corde, sive opere, si infernus non esset.* Aut si dici nequit hanc voluntatem condicionatam esse implicitam in attritione pure formidulosa, at certe vi talis attritionis nequit excludi ea voluntas condicionata, si forte in animo oboriatur. Impossibile est enim ut sub hypothesi quod infernus non esset, aliquis timore gehennae efficaciter moveatur ad peccata sua detestanda. Jam vero hoc sufficit ut merito dicatur attritione mere formidulosa non excludi omnem affectum erga peccatum. Suppositio enim quod non sit infernus, non tollit a peccato rationem peccati, proindeque quae peccatorum detestatio non excludit ab eam habente hanc voluntatem condicionatam : *peccarem, si infernus non esset,* ea non excludit omnem affectum peccandi.

Propositio.

Attritio pure formidulosa talis esse potest ut omnem affectum peccandi positive excludat.

Propositio est certa, uti patet ex doctrina tradita a concilio tridentino in sess. XIV, capite 4, et ex proscripta in bulla *Unigenitus* propositione 61 inter quesnellianas.

658. — Probatur 1° *ex necessaria connexione intercedente inter efficacem intentionem finis et electionem mediorum necessariorum ad finem.* Timor quem ponimus esse principium attritionis pure formidulosae, qualiter hic de ea loquimur, neque est a) passio excitata in parte animae sensitivae, quae potest esse involuntaria, neque est b) simplex quaedam voluntatis displicentia de poena gehennae, neque est c) mera quaedam velleitas, h. e. mera voluntas condicionata fugiendi poenam inferni, sed est d) motus voluntatis absolute et efficaciter intendentis fugere ac vitare poenam gehennae. Jam vero de omni attritione pure formidulosa fundata in ejusmodi timore contendimus eam esse efficaciter exclusivam omnis omnino affectus deliberati peccandi. Nitimur porro tali probatione: Absoluta intentio alicujus finis necessario causat absolutam voluntatem adhibendi omnia media quae sint necessaria ad consecutionem hujus finis. Quia ergo medium necessarium ad vitandum aliquod malum est remotio omnium eorum quae sunt inductiva hujus mali, non

stat aliquem absoluta voluntate intendere vitationem alicujus mali et eum non simul absoluta voluntate velle remotionem omnium eorum quae sunt inductiva hujus mali. Sed non solum peccatum jam actu erumpens, sed omnis omnino affectus deliberatus erga peccatum est adductivus poenae gehennae. Ergo non stat aliquem absoluta voluntate intendere vitationem poenae gehennae et eum non simul absoluta voluntate velle remotionem non solum peccati jam actu erumpentis, sed omnis omnino affectus deliberati peccandi. Quia ergo remotio peccati non contingit nisi efficaci peccatorum detestatione et efficaci proposito ea de cetero non committendi, necesse est ut quicumque absoluta voluntate intendit vitationem poenae gehennae, is tum efficaci odio prosequatur tum efficaciter vitare proponat non solum peccata jam in actum erumpentia, sed omnem etiam deliberatum affectum peccandi. Sed manifestum est talem detestationem, uti et tale propositum in detestatione virtualiter inclusum, non compati secum qualemcumque deliberatum affectum peccandi; ac proinde talem detestationem excludere peccatum non solum negative, sed etiam positive sive contrarie. Ergo detestatio peccatorum quae in timore poenae gehennae, qualis hic supra definitus est, fundatur, h. e. attritio pure formidulosa, qualiter modo de ea loquimur, positive excludit qualemcumque affectum deliberatum peccandi.

659. — Et **confirmatur** *haec conclusio;* quia affectus ille peccandi propter quem non positive exclusum attritio pure formidulosa esset inefficax, ponitur esse vel deliberatus vel indeliberatus. — Si dicatur esse deliberatus, falso asseritur eum non positive excludi attritione pure formidulosa ; vi enim absolutae intentionis vitandi poenam gehennae voluntas efficaciter applicatur ad adhibenda omnia ea media illam poenam vitandi quae sunt in ejus potestate ; inter talia autem media est affectus ille deliberatus peccandi ; quia eo ipso quod ille affectus ponitur esse deliberatus sive liber, ejus exclusio est in potestate voluntatis. — Si vero affectus ille peccandi ponitur esse indeliberatus; ergo ejus praesentia sive non-exclusio non obstat quominus attritio pure formidulosa efficaciter et positive excludat omnem voluntatem peccandi. Quippe affectus peccandi qui non sit deliberatus sive liber, non est voluntas peccandi, quia nonnisi voluntate libera peccari potest. Immo quo intensior fuerit affectus indeliberatus peccandi, eo intensior magisque meritoria erit attritio ; quippe in qua elicienda oporteat voluntatem reniti contra affectum illum indeliberatum. Adde quod etiam in habente dolorem de suis peccatis propter motivum bonitatis divinae super

omnia dilectae, contingit adesse affectum indeliberatum peccandi, uti nimis est manifestum.

660. — **Probatur II°** *ex concilio tridentino,* cujus in sess. XIV, cap. 4, haec sunt verba : « Illam vero contritionem imperfectam quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, *si voluntatem peccandi excludat,* cum spe veniae, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. »

Ex his verbis tale enascitur argumentum : Concilium ibi agit tum de attritione pure formidulosa tum de ea attritione quae concipitur ex consideratione turpitudinis peccati ; tam autem de una quam de altera affirmat eam, si voluntatem peccandi excludat et cum spe veniae conjungatur, esse actum bonum et utilem et supernaturalem. Porro apponendo ex parte subjecti hujus propositionis hanc condicionem : *Si voluntatem peccandi excludat,* manifeste docet concilium esse aliquam contritionem pure formidulosam quae omnem omnino voluntatem peccandi excludat, uti patet — tum a) ex eo quod concilium intendit tradere doctrinam de contritione imperfecta, si autem praedicta propositio esset propositio sub condicione de impossibili, nullam talem doctrinam concilium tradidisset, — tum b) ex eo quod scopus concilii erat damnare errorem Lutheri dicentis attritionem esse actum peccaminosum et facere hominem hypocritam ; hunc autem errorem nullo pacto dammasset, si nonnisi sub condicione de impossibili affirmasset attritionem esse actum bonum et supernaturalem.

661. — **Nec juvat dicere** cum adversariis a) propterea concilium in assignando motivo attritionis usum esse hoc verbo *concipere* ut indicaret eam in primo quidem suo ortu ac veluti conceptu non elici nisi ex motivo timoris vel ex consideratione turpitudinis peccati, eam tamen in ulteriore suo progressu ac in sua consummatione elici etiam ex alio motivo, nempe ex motivo amoris initialis ; non ergo de attritione pure formidulosa, sed de attritione quae habeat sibi adjunctum amorem Dei initialem supposuisse concilium eam posse excludere omnem voluntatem peccandi. Vel saltem b) hisce concilii verbis : *si voluntatem peccandi excludat,* haut secus atque verbis mox sequentibus : *cum spe veniae,* non significari condicionem intraneam attritioni pure formidulosae, sed condicionem ei extraneam : sensum videlicet horum verborum esse attritionem pure formidulosam, si ad eam cum actu spei

accedat initialis Dei amor super omnia, qui semper excludit voluntatem peccandi, esse actum bonum et utilem et supernaturalem.

662. — *Non juvat,* inquam, *hisce modis contra argumentum factum arguere ;* sunt enim haec vanissima effugia, quae facillime praecluduntur. — Etenim a) prima adversariorum explicatio excluditur eo quod quando verbum *concipere* accipitur de productione alicujus actus animi, intenditur eo significari productio hujus actus in suo esse completo, non vero formatio aliqua initialis et incompleta actus per oppositionem ad hujus formationem completam. Posterior vero explicatio eo falsitatis convincitur quod in hoc inciso : *si voluntatem peccandi excludat*, subjectum verbi *excludat* est ipsa attritio pure formidulosa de qua verba coeperat facere concilium. Hinc videlicet efficitur ut secundum mentem patrum tridentinorum attritio pure formidulosa per se ipsam, et non tantummodo per aliquid sibi additum, voluntatem peccandi excludere possit. Insuper b) utraque interpretatio aperte adversatur scopo concilii tridentini. Quod ut manifeste appareat, sciendum est concilium, cum in sessione sua XIV, cap. 4 et can. 5 damnat errorem Lutheri, ipsa verba Lutheri recitare. Scopus proinde concilii erat damnare errorem quem docet Lutherus eo in loco unde praedicta verba desumpta sunt. In eo autem loco, qui exstat in Serm. 2 de paenitentia, immo in toto adeo eo sermone Lutherus de sola attritione quae omnis caritatis sit expers, asserit eam facere hominem hypocritam et magis peccatorem (1). De tali proinde attritione intendit concilium docere eam esse donum Dei et impulsum Spiritus sancti. Non autem de ea attritione id doceret concilium, si, uti contendunt adversarii, doctrina a concilio tradita intellegenda esset de attritione, prouti haec adjunctum sibi habet amorem Dei initialem.

663. — **Probatur III°** *ex proscriptione propositionis quesnellianae* 61^ae^ ita perhibentis : « Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur. » Si enim falsa sit haec propositio, ergo verum erit dicere solum timorem sufficere ad hoc ut cor non maneat addictum peccato et ut per consequens omnis affectus peccandi excludatur.

Haec tamen postrema probatio est minus firma. Dici enim potest alterum membrum propositionis non damnari absolute, sed tantum-

(1) Diserte ibi asserit Lutherus exagitari abs se contritionem illam « quae paratur ponderando amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis acquisitionem,... quam catholici vocant *extra caritatem,* non meritoriam, alii vocant attritionem. »

modo in sui relatione ad membrum prius. Sive aliter, ad falsificandam propositionem quesnellianam sufficit ponere cum adversariis timorem non solum manum cohibere, sed etiam multipliciter cohibere affectum peccandi. Uti enim ipsi perhibent, cum hoc quod timor multipliciter refraenat affectum peccandi, stat manere in voluntate vel saltem non positive ab ea excludi affectum quemdam occultum peccandi, qui effertur hac propositione condicionali : *Vellem peccare, si impune liceret.*

Solvuntur difficultates.

664. — **Objiciunt** 1° ex hac philosophorum maxima : Quae fiunt ex metu, sunt voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid. In qua maxima vox adjectiva *involuntarium* sumitur contrarie, ita ut significetur voluntatem, quando metu impulsa aliquid agit, velle secundum quid oppositum illius quod simpliciter vult propter metum. Unde ita arguitur : Id quod fit ex metu, est quidem voluntarium, *prouti afficitur circumstantiis quae sunt adductivae mali vel periculi quod timetur.* Quo modo v. g., quando mercator propter metum submersionis navis projicit suas merces in mare, projectio mercium est quidem voluntaria, prouti afficitur circumstantia tempestatis adducentis periculum submersionis. Si vero id quod fit ex metu, consideretur praecisum a circumstantiis quae sunt adductivae mali vel periculi quod timetur, sic non ipsum, sed ejus oppositum est voluntarium. Et quidem in hac voluntarietate oppositi, quae non est nisi voluntarietas secundum quid, importatur duplex voluntas condicionata. *Primo* scilicet vellet voluntas non adesse id quod adducit periculum mali, si id possibile foret. Quo modo v. g. mercator suas merces in mare projiciens, vellet non adesse tempestatem ex qua periculum submersionis sibi imminet ; ideoque tempestatem odit atque aversatur. *Ulterius* vellet voluntas facere oppositum illius quod facit ex metu, si id possibile foret, h. e. si non adessent adjuncta ex quibus imminet periculum mali. Quo modo v. g. mercator vellet servare suas merces, si tempestas non minitaretur submersionem navis. Similiter ergo quando aliquis propter solum metum gehennae odit peccatum, ejus voluntas fertur quidem actu odii ac detestationis in peccatum, prouti peccatum adjunctum sibi habet legem Dei minitantem poenas. At vero, si peccatum consideretur praecisum a lege Dei minitante ac terrente, voluntas odientis peccatum propter solum metum jam non actu odii, sed actu opposito amoris fertur in peccatum. Et quidem, quia qui non odit peccatum nisi propter

metum, is illud amat praecise et secundum se consideratum et illud non odit nisi propter ei adjunctam legem Dei minitantem poenas, idcirco qui talis est, odit legem Dei et ejus justitiam. Ideoque etiam in omni qui odit peccatum propter solum metum gehennae, invenitur duplex voluntas condicionata. Per primam vellet non esse legem Dei minitantem poenas, si id possibile esset. Et talis voluntas continet odium legis Dei ac justitiae divinae. Altera vero voluntate condicionata vellet peccare, si non esset lex Dei minitans infernum. Et talis voluntas continet amorem peccati (1). Impossibile est ergo dicere attritione quae ex solo timore gehennae concipiatur, excludi affectum erga peccatum.

665. — **Respondetur** *negando suppositum adversariorum,* nempe maximam in qua objectio fundatur, habere vim propositionis simpliciter universalis. Ad hoc videlicet ut verum sit dicere ea quae fiunt ex metu, esse involuntaria secundum quid, oportet 1° affectum erga oppositum illius quod fit ex metu, aliunde adesse, et oportet insuper 2° exclusionem illius affectus non esse necessariam ad declinandum malum quod timetur. Sic v. g. si aliquis terrore incusso adigatur ad bibendum vinum, quod licet amet, tamen alioquin non bibisset, actio potandi vinum non est ei involuntaria secundum quid, quia nullo antecedente affectu voluntatis inclinatur in abstinentiam a vino. Itidem si leges humanae possent punire ipsos affectus interiores voluntatis, fur efficaciter timens patibulum non solum abstineret a furto et occisione re et effectu perpetrandis, sed etiam intus a voluntate excluderet omnem affectum furandi et occidendi.

Jam vero, quando aliquis efficaci metu gehennae adactus dolet de suis peccatis, neque verificatur una neque altera ex duabus condicionibus quas adesse oportet ut ejus dolor sit involuntarius secundum quid. Nempe, a) uti capite proxime praecedente demonstravimus, etiam quando dolor ex metu gehennae conceptus est inefficax, contingere potest ut habens talem dolorem nullo actuali affectu erga peccatum afficiatur. Hoc tamen omittimus ; quia ad hoc ut dolor de peccatis sit efficax, non sufficit exclusio negativa voluntatis peccandi, sed requiritur exclusio ejusdem positiva. Verum insuper b), nequit decli-

(1) Soli haeretici ex eo quod ea quae fiunt ex metu, sunt mixta ex voluntario et involuntario, inferunt in attritione pure formidulosa contineri — tum a) odium legis divinae ac justitiae — tum b) amorem peccati secundum se considerati. Adversarii vero catholici ex involuntareitate quacum conjungitur actio quae fit ex metu, inferunt tantummodo ab attritione pure formidulosa non posse abesse voluntatem condicionatam peccandi, quae tamen voluntas sit latitans, vel implicita, vel virtualis, vel habitualis, uti supra declaratum est.

nari poena gehennae quam vindicta divina minitatur, nisi positive excludatur omnis affectus deliberatus peccandi. Et propterea, uti ex prima probatione pro thesi facta luculenter effulsit, is qui timore gehennae efficaciter concutitur, concipit vi talis doloris attritionem quae omnem affectum peccandi positive excludat.

666. — **Objiciunt** 2° : Suppositio quod infernus non esset, non tollit a peccato rationem peccati. Qui igitur habet hanc voluntatem condicionatam : *peccarem, si infernus non esset,* ille habet voluntatem peccandi. Oportet autem detestatione peccatorum quae sit efficax, positive excludi omnem voluntatem peccandi. Quare etiam praedictam voluntatem condicionatam oportet detestatione peccatorum quae sit efficax, positive excludi. Sed impossibile est eam voluntatem excludi attritione pure formidulosa. Quippe attritio pure formidulosa, eo ipso quod est pure formidulosa, non detestatur peccatum nisi sub ratione alicujus inducentis poenas gehennae. Sed haec ratio formalis tollitur ab objecto peccaminoso per appositam ei condicionem quod infernus non esset. Impossibile est ergo attritione pure formidulosa positive excludi omnem voluntatem peccandi.

667. — **Respondetur** *concedendo Majorem,* nempe oportere ut detestatione peccatorum quae sit efficax, excludatur ea voluntas condicionata peccandi quae in objectione memoratur. Itidem conceditur valere probationem quae principio argumenti facti adducta est ad concludendum hanc propositionem majorem. *Sed negatur Minor,* nempe praedictam voluntatem non positive excludi attritione pure formidulosa. — *Ad probationem Minoris conceditur Major, sed distinguitur Minor hoc modo :* Ratio causae adductivae poenarum gehennae tolleretur a peccato, si suppositio infernum non esse, verificaretur in rerum natura, *Conc. Min.* Praedicta ratio tollitur a peccato propter hoc quod condicio infernum non esse objective apponitur peccato, prouti est objectum tendentiae voluntatis, *Subdist. Min.:* Tollitur ea ratio a peccato secundum rei veritatem, *Neg. Min.* Secundum mentis praecisionem quam concipiens voluntatem condicionatam peccandi probe novit nihil conferre ad hoc ut propter talem voluntatem ipse non plectatur poena gehennae, *Conc. Min. et sub datis distinctionibus nego Consequens et consequentiam.*

Quia attritio ex efficaci timore gehennae concepta positive excludit id omne quod est inductivum poenae gehennae, poena autem gehennae inducitur omni omnino voluntate peccandi, sive sit absoluta, sive sit condicionata, idcirco attritio ex efficaci timore gehennae oborta posi-

tive etiam excludit omnem voluntatem affective tendentem in peccatum sub hac condicione quod infernus non esset.

668. — **Instant** 1° : Ut attritione pure formidulosa positive excludatur haec voluntas condicionata : *vellem peccare, si infernus non esset,* oporteret in ea attritione virtualiter includi hanc voluntatem condicionatam oppositam : *nollem peccare, etiamsi infernus non esset.* Sed impossibile est in attritione pure formidulosa talem voluntatem condicionatam includi. Et hoc patet ; qui enim habet talem voluntatem condicionatam, *is vi motivi quo ducitur ad detestandum peccatum,* ita animo est comparatus ut si revera poneretur in ordine rerum in quo non esset infernus, nihilominus nollet peccare. Jam vero absurdum est dicere aliquem qui constitueretur in ordine rerum in quo non esset infernus, posse motivo timoris gehennae impelli ad non peccandum. Concludendum est ergo attritione pure formidulosa non posse positive excludi voluntatem condicionatam peccandi et per consequens talem attritionem non esse revera efficacem.

669. — **Respondetur** *negando Majorem ; quare, concessa Minore cum ejus probatione, neg. Consequens.* Ut attritio pure formidulosa positive excludat voluntatem hanc condicionatam : *peccarem, si infernus non esset,* sufficit ut vi talis attritionis aliquis nolit habere illam voluntatem condicionatam ; neutiquam vero necesse est ut vi talis attritionis ipse concipiat voluntatem condicionatam oppositam. Nempe inter actum volendi et positivum actum nolendi, prouti uterque exercetur circa peccatum hypothesi non exsistentiae inferni objective condicionatum, cadit aliquid medium, nempe circa peccatum praedicto modo spectatum neque habere actum volendi neque etiam habere actum nolendi. Tale porro medium inducitur vi attritionis pure formidulosae. Nam ex una parte vi attritionis pure formidulosae aliquis arcet et respuit hanc voluntatem condicionatam : *peccarem, si infernus non esset.* Et hoc propterea, quia talis voluntas condicionata repugnat objecto formali attritionis, inducendo poenam gehennae a qua refugit timor e cujus motivo concipitur attritio. Ex alia tamen parte ex formali motivo attritionis pure formidulosae nequit aliquis habere hanc voluntatem condicionatam : *non peccarem, etiamsi infernus non esset.* Et hoc propterea, quia uti recte arguebatur ab objicientibus, si verificaretur hypothesis quod infernus non esset, aliquis timore gehennae moveri non posset ad abstinendum a peccatis.

670. — **Instant** 2° dicendo, ergo ex concessis jam patere eum qui non atteritur nisi attritione pure formidulosa, non modo non positive

a se excludere voluntatem peccandi, sed talem voluntatem positive retinere. Fateri enim nos, uti necessario fatendum est, eum qui tali attritione atteritur, si contingeret infernum non esse, jam non abductum iri a peccato motivo timoris gehennae, quo tamen solo motivo impellitur ad abstinendum a peccato. Jam vero hoc idem esse atque fateri eum qui non atteritur nisi attritione pure formidulosa, ita esse animo comparatum ut, si infernus non esset, peccaret, eumdemque per consequens retinere affectum peccandi, non quidem apertum et explicitum, sed latitantem vel implicitum vel habitualem.

671. — **Respondetur** *negando consequentiam. Ad probationem consequentiae distinguitur Major hunc in modum :* Qui non atteritur nisi attritione pure formidulosa, is ex una parte non impellitur ad abstinendum a peccato nisi motivo propter quod impossibile esset ipsum abstinere a peccato, si infernus non esset, ex alia tamen parte is vi attritionis pure formidulosae non excludit a se influxum motivorum a motivo timoris differentium quibus pro hypothesi quod infernus non esset, opus esset ipsum efficaciter impelli ad hoc ut abstineret a peccato, *Conc. Maj.* Qui non atteritur nisi attritione pure formidulosa, is ex una parte non impellitur ad abstinendum a peccato nisi motivo propter quod impossibile esset ipsum abstinere a peccato, si infernus non esset, et ex alia parte is vi attritionis pure formidulosae excludit a se influxum motivorum a motivo timoris differentium quibus pro hypothesi quod infernus non esset, opus esset ipsum efficaciter impelli ad hoc ut abstineret a peccato, *Neg. Maj.* — *Contradistinguitur Minor :* Dicere aliquem non moveri actu ad abstinendum a peccato nisi uno motivo timoris gehennae, idem est atque fateri eum ita animo comparatum esse ut pro verificata hypothesi non-exsistentiae gehennae jam vellet peccare, si vi attritionis pure formidulosae aliquis non excludat influxum motivorum a motivo timoris differentium quibus, deficiente motivo timoris, opus esset ipsum moveri ad hoc ut abstineret a peccato, *Neg. Min.* Si vi attritionis pure formidulosae aliquis excludat influxum horum motivorum a motivo timoris differentium, *Conc. Min. et sub data distinctione neg. Consequens et consequentiam.*

In praesenti providentiae ordine plura sunt motiva quorum unoquoque seorsum a ceteris accepto potest aliquis efficaciter moveri ad non peccandum. Non autem unum horum motivorum est per se exclusivum ceterorum motivorum, uti nimis patet ex eo quod aliquis uno eodemque tempore potest pluribus horum motivorum vel omnibus simul moveri ad non peccandum. Non ergo in attritione pure formidulosa continetur

implicita voluntas renuendi subire influxum motivorum a motivo timoris differentium et per consequens falsum est dicere aliquem vi attritionis pure formidulosae ita esse animo comparatum ut, si propter verificatam hypothesin non-exsistentiae gehennae deficeret motivum timoris, jam vellet peccare. Sed, contra, vi attritionis pure formidulosae ipse ita est animo comparatus ut, licet actu non se determinet ad vitandum peccatum nisi motivo timoris, possit tamen in sensu composito attritionis pure formidulosae etiam aliis motivis se determinare ad non peccandum.

672. — **Instant** 3° dicendo saltem ex data responsione elucescere attritione pure formidulosa non positive excludi peccatum quod aliquis committere posset pro verificata hypothesi quod infernus non esset. Jam vero hoc sufficere ut merito asseratur attritione pure formidulosa non contineri detestationem efficacem peccati. Ut enim detestatio peccatorum sit efficax, oportere ut vi ipsius positive excludatur peccatum etiam pro verificata hypothesi quod infernus non esset. Oportere enim ut vi talis detestationis peccatum positive excludatur simpliciter et omnimodis ; non autem peccatum positive excludi simpliciter et omnimodis, si ipsum non positive excludatur pro aliqua hypothesi non auferente a peccato rationem peccati.

673. — **Respondetur** *concedendo consequentiam quae asseritur in Majore.* Et ratio concedendi hanc consequentiam est, quod, uti jam dictum est, impossibile est sub praeciso motivo timoris gehennae aliquem habere sive explicite sive implicite hanc voluntatem positivam : *nollem peccare, etiam si infernus non esset.* — *Sed negatur propositio minor.* Et ad probationem Minoris negatur ad hoc ut detestatio peccatorum sit efficax, requiri ut vi ipsius excludatur peccatum pro quocumque providentiae ordine non modo possibili, sed etiam chimaerico. Et ratio hoc negandi est quod ad efficaciam actus peccatorum detestativi sufficit vi ipsius positive excludi omne peccatum quod ab homine revera committi possit ; peccata autem quae ab homine revera committi possint, non sunt alia quam ea quae committi possunt in eo providentiae ordine in quo homo invenitur revera positus esse.

674. — **Objiciunt** 3° : Ut detestatio peccatorum sit efficax, necesse est in ipsa virtualiter includi propositum omnia mandata Dei servandi. Et hoc propterea, quia ad efficaciam actus peccatorum detestativi saltem requiritur vi ipsius positive excludi omne peccatum quod in praesenti providentiae ordine committi possit ; non autem vi ipsius positive excluditur omne tale peccatum, nisi in ea virtualiter includa-

tur praedictum propositum, quia transgressio cujuscumque mandati divini est peccatum pertinens ad praesentem providentiae ordinem. Jam vero impossibile est in attritione pure formidulosa includi virtuale propositum omnia mandata Dei servandi. Et hoc patet; aliquod enim mandatum Dei est praeceptum dilectionis Dei super omnia; impossibile est autem in attritione pure formidulosa includi propositum implendi mandatum praecipiens dilectionem Dei super omnia. Quippe in dilectione Dei super omnia non solum includitur hic actus : *non peccarem, etiamsi peccando poenam inferni non incurrerem,* sed, quod amplius est, in ea includitur hic alius actus : *non peccarem, etiamsi peccatum necessarium esset ad vitandum malum gehennae.* Jam vero impossibile est formali motivo timoris gehennae aliquem determinari ad ponendum actum vi cujus paratus sit potius subire malum gehennae quam peccare. Talis quippe actus est destructivus motivi cujus efficacia aliquis supponitur impelli ad eum eliciendum.

675. — **Respondetur** *concedendo Majorem cum ejus probatione. Sed negatur Minor. Et ad probationem Minoris conceditur Major, sed rursum negatur Minor. Ad probationem hujus secundae Minoris conceditur Major,* adnotato tamen actus ab objiciente recensitos non contineri in dilectione Dei super omnia formaliter, sed virtualiter dumtaxat. *Contradistinguitur vero Minor hunc in modum :* Impossibile est ex formali motivo timoris gehennae aliquem imperare actum dilectionis Dei super omnia, consideratum sub praecisa ratione actus vi cujus aliquis paratus sit potius subire ignes gehennae quam peccare, *Conc. Min.* Impossibile est ex formali motivo timoris gehennae aliquem imperare hunc actum dilectionis Dei super omnia consideratum sub ratione actus necessarii ad vitandam gehennam, *Neg. Min. vel potius subdist. :* Si diligens Deum super omnia revera aeternaliter arsurus esset in gehenna ad re et effectu testandum suam Dei dilectionem super omnia, *Conc.* Si, eliciendo actum dilectionis Dei super omnia, aliquis indicat solummodo comparationem sui animi talem ut potius vellet aeternaliter ardere in gehenna quam peccare, *Neg. Ratio addita pro ultima Minore distinguitur eumdem in modum :* Actus dilectionis Dei super omnia esset destructivus motivi cujus efficacia ipse supponitur poni, si is actus *eliciendus esset* ex motivo timoris gehennae, *Conc.* Si is actus imperandus sit ex motivo timoris gehennae, *Subdist.:* Si is actus non haberet rationem medii necessarii ad vitandam gehennam, *Conc.* Si secus sit, *Neg. et sub datis distinctionibus negatur Conseq. et consequentia.*

Ratio responsionis datae facile patescet consideranti aliud esse obje-

ctum actus caritatis, aliud vero esse ipsummet hunc actum. Objectum actus caritatis est Deus omnibus rebus creatis praeferendus, et tale objectum repugnat formaliter attingi sub motivo timoris. Ipsemet vero actus caritatis est actus qui versatur circa Deum supra omnia diligendum et talis actus, sicuti alius quilibet actus a Deo praeceptus, potest formaliter attingi sub motivo timoris. Possunt enim sub hoc motivo attingi quaecumque sunt media necessaria ad vitandam gehennam ; inter haec autem media numerandi sunt omnes actus qui sub gravi a Deo praecipiuntur.

Jam vero ad hoc ut in attritione pure formidulosa includatur efficax propositum servandi mandatum dilectionis Dei, oportet ut sub formali motivo timoris possit attingi actus dilectionis Dei, non vero oportet ut sub formali eo motivo possit attingi objectum circa quod versatur idem actus dilectionis. Et hoc patet ; objectum enim circa quod versatur propositum, sunt *actus boni ponendi et actus mali vitandi,* non vero illud objectum sunt ea quae veluti objecta attinguntur actibus bonis ponendis vel actibus malis vitandis.

Patet etiam ex dictis, in argumento adversariorum committi vitium aequivocationis. Nam verum est quidem motivum timoris non posse esse motivum *propter quod eliciatur actus caritatis ;* quia sub tali motivo oportet attingi non ipsum actum caritatis, sed objectum circa quod versatur hic actus. At falsum est motivum timoris non posse esse motivum propter quod imperetur actus caritatis ; quia sub tali motivo oportet unice attingi actum caritatis, non vero objectum circa quod versatur hic actus. Jam vero ut detestatio peccatorum sit efficax, requiritur tantummodo ut tam efficaciter aliquis moveatur motivo ex quo oritur detestatio, ut propter illud motivum paratus sit imperare actus variarum virtutum, quando horum actuum ponendorum praeceptum urgebit. Non vero possibile est ex motivo movente ad peccatorum detestationem elici actus variarum virtutum ; quia actus uniuscujusque virtutis nequit elici nisi ex motivo proprio illius virtutis.

CAPUT XVIII.

De sententia sancti Augustini circa honestatem et efficacitatem attritionis pure formidulosae.

676. — Praecipuum argumentum quo impugnatur vis attritionis pure formidulosae, sumitur ex auctoritate s. Augustini. Et quidem qui inter catholicos propugnant necessitatem amoris initialis, contenti sunt ex testimoniis s. doctoris arguere solo timore gehennae vel aliarum poenarum a Deo infligendarum non posse efficaciter excludi omnem affectum in peccatum. Lutherus vero et janseniani, iisdem s. doctoris testimoniis confisi, progrediuntur ulterius ; contendunt videlicet esse de mente sancti Augustini iis docere omnem timorem servilem esse malum, quia in omni tali timore ipse sentiat includi voluntatem peccandi.

677. — Porro inter multa testimonia quae huc coacervantur ab adversariis, haec sunt notabiliora.

1° *S. Augustinus,* Serm. 25 in Ps. 118, n. 7 : « Quid sibi vult quod cum dixisset : *confige clavis a timore tuo carnes meas,* addidit : *a judiciis enim tuis timui ?* Quid est, *confige a timore tuo ; timui enim.* Si enim jam timuerat vel timebat ; cur adhuc ut a timore suo Deus crucifigeret carnes ejus, orabat ? An addi sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est, concupiscentiis affectibusque carnalibus ? Tamquam dicens : perfice in me timorem meum ; timui enim a judiciis tuis. Sed est hic alius altior sensus, quantum Deus donat, scrutato sinu scripturae hujus, eruendus. *Confige,* inquit, *clavis a timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui :* hoc est, *a timore tuo casto,* qui permanet in saeculum saeculi, carnalia mea desideria comprimantur ; a judiciis enim tuis timui, cum mihi lex minaretur poenam, quae mihi non poterat dare justitiam. Sed hunc timorem quo poena metuitur, consummata caritas foras mittit, quae non timore poenae, sed delectatione justitiae liberos reddit. Timor namque iste quo non amatur justitia, sed timetur poena, servilis est, quia carnalis est ; et ideo non crucifigit carnem. *Vivit enim peccandi voluntas,* quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero poena creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere et dolet non licere quod lex vetat ; quia non spiritualiter delectatur ejus

bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem casto... carnes crucifiguntur ; quoniam carnales delectationes, quae legis littera vetantur potius quam vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur. »

2° S. Augustinus, in Serm. 11 in ps. 118, n. 1, in haec verba : *legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum :* « Ecce quomodo vult iste legem sibi poni a Domino ; non sicut injustis et non subditis ad vetus testamentum pertinentibus posita est, in tabulis lapideis ; sed sicut sanctis filiis liberae, h. e. supernae Jerusalem, filiis promissionis, filiis haereditatis aeternae, sancto spiritu tamquam digito Dei in mente datur et in cordibus scribitur : non quam memoria teneant et vita neglegant ; sed quam sciant intellegendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Nam qui timore poenae, non amore justitiae opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi. Ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus ; nec mundatur opere, qui immundus est voluntate. »

3° S. Augustinus, Epist. 145, nn. 4 et 5 : « Inaniter autem putat victorem se esse peccati, qui poenae timore non peccat ; quia etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur ? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam, quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam, si posset, auferret ? Ac per hoc quomodo justus est justitiae talis inimicus, ut eam, si potestas detur, praecipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat ? Inimicus ergo justitiae est, qui poenae timore non peccat : amicus autem erit, si ejus amore non peccet ; tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennas, odit. Ipse est timor Domini castus permanens in sacculum saeculi. Nam ille timor poenae tormentum habet, et non est in caritate, eumque perfecta caritas foras mittit. »

« Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit ; quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam. Tunc fit quod apostolus admonet : *humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae ; sicut enim exhibuistis membra vestra deservire*

immunditiae et iniquitati ad iniquitatem ; sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiae in sanctificationem (Rom. VI, 19). Quid enim est : sicut illud, ita et hoc : nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati ; sic ad juste vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio caritasque justitiae? Et haec quidem, quantum mihi videtur, nondum est perfecta, sed quodammodo adulta justitia... Plus quippe servitutis debetur justitiae quam peccato solent homines exhibere. Nam poena corporis, etsi non a voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quisquam est qui palam committat, quo illicitam et immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictae certum est continuo secuturos. Justitia vero sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam poenae corporis nos cohibere non debeant atque inter manus etiam crudelium inimicorum luceant opera nostra coram hominibus. »

4° S. Augustinus, libro De natura et gratia, c. 57 : « Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut libere faciat quod occulte desiderat ».

5° S. Augustinus, in libro III, Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, c. 4 : « Illi etiam quicumque ibi [h. e. in veteri testamento] erant, sola quae ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, et quid pro novo testamento ea ipsa significent ignorantes, *eorum adipiscendorum amore et amittendorum timore Dei praecepta servabant;* imo non servabant, sed sibi servare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionen operabatur, sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem praecepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit : magis vult enim omnino non facere, si secundum ea quae cupit et metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui praecipit, inspicit Deus. »

6° S. Augustinus, libro XXI De civit. Dei, c. 16 : « Si vincere [vitia] atque imperare consueverunt, laboriosa difficultate superantur. Neque id fit veraciter atque sinceriter nisi verae delectatione justitiae ; haec est autem in fide Christi. Nam si lex jubens adsit et spiritus juvans desit, per ipsam prohibitionem desiderio crescente atque vincente peccati, etiam reatus praevaricationis accedit. Nonnunquam sane apertissima vitia aliis vitiis vincuntur occultis, quae putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia et quaedam sibi placendi altitudo ruinosa. Tunc itaque victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur. »

7° S. Augustinus, lib. II Contra adversar. legis, c. 7 : « Prohibitio enim peccati, quod est lex, auget profecto desiderium peccandi : quod non exstinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi *fides per dilectionem operatur*. Hoc autem non praestat littera jubens, sed spiritus juvans ; non lex ergo, sed gratia ; non vetus testamentum *in servitutem generans, quod est Agar ;* sed novum, in quo non sunt *ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit...* Numquid malum est non concupiscere ? Immo maxime bonum. Bona est ergo lex, quae hoc dicit ; sed ubi non adest vivificans spiritus, haec ipsa lex quae bonum dicit, occidit : quia peccati virtus est, cum per illam operatur omnem concupiscentiam, inflammando prohibitionem ; quod non exstinguitur per jubentem litteram timore poenae, sed per juvantem Spiritum dilectione justitiae.

8° S. Augustinus, Serm. 169, c. 6. Ibi exponens haec apostoli verba in ep. ad Philipp. III, 6 : *secundum justitiam quae ex lege est, conversatus sine querela :* « Lege Dei proposita, quisquis timuerit, inquit, et suis viribus eam implere se posse putaverit et fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo poenam ; fuit quidem secundum justitiam quae ex lege est, homo sine querela : non furatur, non adulterat, non dicit falsum testimonium, non facit homicidium, non concupiscit rem proximi sui : potest hoc, potest fortassis ; unde ? Timore poenae. Quamquam qui timore poenae non concupiscit, puto quia concupiscit. Terrore ingenti armorum atque telorum et circumdantis forsitan multitudinis vel obviam euntis, etiam leo revocatur a praeda : et tamen leo venit, leo redit ; praedam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia tua est, qua justitia tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est, poenam timere. Quis eam non timet ? quis latro, quis sceleratus, quis nefarius ? Sed hoc interest inter timorem tuum timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, et ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum : tu autem leges ejus times, ejus poenam times quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non feciesses ? Ergo et concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus ; latratu canum et clamore pastorum ab ovili reversus est lupus : ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur. Facit enim et hoc Dominus : sed ipsa est justitia ejus, non tua. Nam quamdiu habes tuam, potes timere poenam, non amare justitiam.

9° S. Augustinus, Serm. 178, c. 9 : « Quid est magnum, timere malum ? Magnum est, non facere malum : magnum est, amare bonum.

Nam et latro timet malum : et ubi non potest, non facit : et tamen latro est. Deus enim cor interrogat, non manum. Lupus venit ad ovile ovium, quaerit invadere, quaerit jugulare, quaerit devorare : vigilant pastores, latrant canes : nihil potest, non aufert, non occidit ; sed tamen lupus venit, lupus redit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis redit ? Lupus venit fremens, lupus redit tremens : lupus est tamen et fremens et tremens. Interroga ergo te, quisquis vis judicare ; et vide si tunc non facis male quando potes facere et ab homine non puniri : tunc times Deum. Nemo est ibi, nisi tu et ille cui facis malum, et Deus qui ambos videt : vide, ibi time. Parum est quod dico : vide, ibi time malum : ibi ama bonum. Nam etiamsi timore gehennae non facis malum, nondum es perfectus. Audeo dicere, si timore gehennae non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum esse Dei judicium : gaudeo fidei tuae, sed adhuc timeo malitiae tuae. Quid est quod dixi ? Quia si timore gehennae non facis malum, non amore justitiae facis bonum. »

« Aliud est, timere poenam ; aliud est, amare justitiam. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non caelum et terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresque gemmarum : sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum ; quia dictum est : dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus, scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I Jo. III, 2). Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras : ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi : ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta ; non hinc te punio, non te in gehennam mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti ; si hoc quod dictum est, faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam poenam putasti ; gratis amasti. »

10° S. Augustinus, Enarrat. in Ps. 77, n. 10, ubi ad haec verba : *et in lege ejus noluerunt ambulare*, ita scribit : « Poterat putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea quae praecipuntur, forinsecus fiunt ab iis hominibus qui mallent non praecipi quae non ex corde faciunt, et tamen faciunt ; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare ; non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit poenae, non dilectione justi-

tiae. Nam, quantum attinet ad facta quae forinsecus aguntur, et qui timent poenam et qui amant justitiam, non furantur, et ideo pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate. »

11° S. Augustinus, libro De spiritu et littera, c. 8 : « Quia et quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiae, timore poenae faciebant, non amore justitiae ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere, potiusque ex illo rei tenebantur, quod eos noverat Deus malle, si fieri posset impune, committere. Circumcisionem autem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quod non fit littera docente et minante, sed spiritu adjuvante atque sanante. »

12° S. Augustinus, libro II Contra duas epistulas pelagianorum ad Bonifacium, cap. 9 : « Quando timore poenae, non amore justitiae fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impune. »

13° S. Augustinus, in Enchir., c. 120 : « Quod ita fit vel timore poenae, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur. »

678. — Ex his tale instauratur argumentum : Ille sentit motivo timoris servilis non posse excludi e corde voluntatem peccandi, qui docet eum qui nonnisi timore poenae legem observat, a) agere invitum, non agere ex animo et sinceriter, b) in omni qui sit ejusmodi, latenter vivere voluntatem peccandi malamque cupiditatem in ejus corde intus esse hostem, c) eum qui nonnisi timore poenae abstinet a peccato, esse inimicum justitiae et amare peccatum, eumdemque d) intus in voluntate sua concupiscere, scelus committere in corde suo et esse reum coram Deo, e) eum qui gehennam metuit, non peccare metuere, sed ardere, f) omnem qui timore poenae non peccat, habere hanc duplicem voluntatem condicionatam : *vellem non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem, vellem committere peccatum, si illud impune admittere possem.* Atqui haec sunt totidem doctrinae capita quae locis supra adductis conceptis verbis a s. Augustino asseruntur. Ergo.

679. — *Nec vero dici potest* 1° haec atque alia s. doctoris de timore servili effata non esse ex ejus mente intellegenda de omni timore servili, sed — vel a) de timore poenarum temporalium ab hominibus infligendarum, — vel b) de timore qui ita accidentaliter sibi habeat adjunctam servilitatem ut sine accessu caritatis possit ab eo sejungi. — *Haec non possunt dici*, inquiunt ; nam a) s. doctor universaliter et sine

ulla restrictione loquitur de omni timore poenarum tam temporalium quam aeternarum, uti patet legenti integra testimonia e quibus deprompta sunt capita doctrinae modo citata. Quod vero apertissime omnes attritionistarum evasiones praecludit, b) s. doctor ita perpetuo opponit timorem servilem et timorem castum, timorem poenae et amorem justitiae, verbo motivum timoris servilis et motivum caritatis ut asserat hominem necessario alterutro ex hisce motivis niti, quando conatur legem observare et vitare peccatum. Atque hinc est quod de omni qui non moveatur ad non peccandum amore justitiae, s. doctor eadem prorsus asserat atque de eo qui moveatur ad non peccandum solo poenae timore. Sic in Serm. 25 in Ps. 118, n. 7 : « Timor, inquit, *quo non amatur justitia*, servilis est, et ideo non crucifigit carnem, » h. e. tali timore non excluditur affectus peccandi. Et in Epistula 145, n. 5 : « Tantum, inquit, quisque peccatum odit, *quantum justitiam diligit.* » Et in loco adducto ex lib. De nat. et gratia : « Sub lege est,... inquit, qui non amore justitiae se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, *non alienus a voluntate peccandi.* » Tum in l. II Contra adversar. legis, c. 7 : « Desiderium peccati, inquit, non exstinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, *ubi fides per dilectionem operatur.* » Adde c) quod secundum s. Augustinum, loco citato ex Serm. 178, exinde patet aliquem non agi timore illo servili quem s. doctor excludere intendit, quod, etiamsi infernus non esset, nihilominus vi motivi quo agitur, abstineret a peccando.

680. — *Nec dici potest* 2° s. doctorem nomine amoris justitiae non intellegere solum amorem caritatis, sed amorem cujuscumque boni honesti, proindeque significatione hujus nominis, prouti ab ipso usurpatur, contineri etiam timorem servilem qui procedat ex honesto amore sui. — *Neque hoc dici potest,* inquiunt ; nam a) manifestum est in citatis testimoniis a s. doctore pro uno eodemque promiscue usurpari amorem justitiae, timorem castum, fidem per dilectionem operantem, caritatem Dei, et caritatem a sancto Spiritu diffusam in cordibus nostris. Ceterum pro uno eodemque a se accipi amorem justitiae et amorem caritatis diserte docet s. doctor in Epist. 144. Statim enim post verba hujus epistulae supra recitata, sic pergit dicere : « *Justitia* sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam poenae corporis nos cohibere non debeant. Hinc est quod ille fortissimus *justitiae dilector* exclamat (ad Rom. VIII) : *quis nos separabit a caritate Christi?* tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? etc. Vide quemadmodum non utcumque ait : quis nos separabit

a Christo, sed ostendens unde cohaereamus Christo : *quis nos,* inquit, *separabit a caritate Christi ?* Caritate igitur Christo, non poenae timore cohaeremus. Deinde, commemoratis eis quae videntur habere violentiam, nec tamen habent valentiam separandi, ita conclusit, ut eamdem diceret caritatem Dei, quam dixerat Christi. Et quid est *a caritate Christi,* nisi a caritate justitiae *?* »

681. — Hoc argumentum pro patrocinio sententiae adversae ex auctoritate divi Augustini petitum videri posset esse insuperabilis difficultatis. Quodque auget difficultatem, attritionistae in suis ad illud responsionibus magis videntur fugam tentare quam ei serio occurrere. Vel saltem, si quae eorum solutiones qualitercumque quadrent in testimonia objecta, eae videntur habere apertam redargutionem ex aliis s. Augustini testimoniis. Cujusmodi est v. g. solutio dicentium s. Augustinum nomine timoris servilis non designasse nisi timorem serviliter servilem ; timorem vero quem nos vocamus simpliciter servilem, esse ei speciem aliquam timoris casti. Non enim videtur componi posse haec sancti doctoris mentis interpretatio cum iis ipsius testimoniis quae capite superiore pro nostra causa allegavimus. Etenim a) de timore servili falsum est dicere eum permanere in saeculum saeculi, jam vero hoc de omni timore casto asseritur a s. Augustino. Itidem b) s. Augustinus, loquens de eo timore gehennae qui est bonus et utilis quemque patet esse timorem simpliciter servilem, aperte affirmat eum nondum esse amorem castum. « Ille timor, inquit in ps. 127, *nondum castus* praesentiam [Domini] et poenas timet ; timore facit, quidquid boni facit. Bonus est iste timor, utilis est, sed nondum est iste castus permanens in saeculum saeculi. »

Ejusdem videtur esse falsitatis id quod dicit Faure in Enchiridio, cap. 121, nempe ex mente s. Augustini ad amorem justitiae pertinere timorem servilem. Etenim a) haec responsio videtur apertae falsitatis argui ex eo quod ex una parte secundum s. Augustinum nullus timor servilis est castus quodque ex alia parte ipse frequentissime asserit omnem qui vitat peccatum ex amore justitiae, illud vitare ex timore casto. Ad quod accedit b) quod, uti patet ex testimoniis quae numero 651 adducta sunt, s. doctor exhortatur ad timorem servilem eos qui nondum eo pervenerunt ut vitarent peccatum ex amore justitiae.

Utraque tamen solutio est aliquo modo vera atque accipienda, uti patebit ex jam deinceps dicendis.

Propositio.

Quando sanctus Augustinus improbat timorem servilem tamquam talem qui necessario cohaereat cum voluntate peccandi, ipse non intendit loqui de omni timore servili, sed de eo tantummodo quem recentiores vocant timorem serviliter servilem.

682. — Ad hujus propositionis demonstrationem duobus utimur argumentis, uno indirecto et ad hominem, altero directo.

Primum argumentum non valet nisi contra adversarios catholicos ; proponi autem potest in hunc modum : Ex testimoniis s. Augustini supra adductis atque ex aliis consimilibus quae a propugnatoribus necessitatis amoris initialis afferuntur, Quesnellius ad litteram exscripsit ferme omnes propositiones quae inter damnatas in bulla *Unigenitus* sunt 60ª et sequentes usque ad 68ªᵐ. Quamobrem, si in hisce testimoniis augustinianis, haut secus atque in propositionibus quesnellianis, sermo fiat de omni omnino timore servili, necesse est dicere doctrinam s. Augustini de timore servili fuisse a sancta sede reprobatam. Consequens nonnisi manifesta evidentia coactus admittet scriptor catholicus, ipsumque omnium minime recipient adversarii propter singularem quam profitentur in sanctum Augustinum reverentiam. Ergo neque antecedens adversarii recipere possunt, etiam si forte afferri non posset satis manifesta ratio directe ostendens laudata testimonia non esse intellegenda de omni omnino timore servili.

683. — **Secundum argumentum** continet directam solutionem argumenti ex auctoritate sancti Augustini contra nos adducti valetque idcirco tam contra lutheranos et jansenianos quam contra propugnatores catholicos necessitatis amoris initialis. Est porro hujusmodi :

Non omni timori servili, sed solummodo alicui speciei timoris servilis conveniunt haec tria, nempe a) eum non esse ex gratia, sed ex nuda possibilitate liberi arbitrii, b) eum esse unicum motivum cui aliquis nitatur in actuali adimpletione totius legis divinae et c) ex intentione habentis talem timorem positive excludi omne aliud motivum legem divinam observandi. Atqui haec tria conveniunt timori servili de quo sanctus Augustinus verba facit in testimoniis pro sententia adversariorum adductis. Ergo.

Major satis est manifesta per se magisque adhuc ejus veritas elucescet ex iis quae notare necesse erit pro probatione Minoris.

Minor vero probatur tum ex scopo quem spectabat sanctus Augusti-

nus in locis in objectione adductis tum ex ponderatione verborum quibus in iisdem sanctus doctor utitur. Et quidem, si habeatur ratio finis a sancto doctore intenti, oportet omnia testimonia ab adversariis objecta ordinari in tres classes diversas. In quibusdam videlicet testimoniis sanctus doctor agit contra haeresin pelagianorum, in aliis ipse ad confutandos manichaeos explicat quaenam sit distantia veteris testamenti a novo; in reliquis denique ipse concionando vel catechizando informat mores catholicorum.

684. — A. Et primum quidem in plurimis ex iis locis quae contra nos urgent adversarii, s. Augustinus aut disputat contra pelagianos aut suos auditores contra eorum haeresin praemunire satagit. Huc pertinent testimonia adducta ex libro De natura et gratia, c. 57, libro XXI De civit. Dei, c. 16, libro De Spir. et litt., c. 8, libro II Contra duas epist. pelag. ad Bonif., c. 9. Ponebant autem pelagiani gratiam internam proprie dictam, h. e. adjutorium aliquod internum quod superaddatur viribus liberii arbitrii, non esse homini necessarium ad bene operandum. Et principio quidem dixerunt gratiam quam depraedicant scripturae, non esse aliam a dono liberi arbitrii quod in creatione homo a Deo accepit. Cum vero manifestissimis scripturarum eloquiis coacti essent fateri in sacris paginis inculcari necessitatem alicujus gratiae a naturali vi liberi arbitrii distinctam, dixerunt hanc gratiam non esse homini internam, sed externam, eam videlicet consistere in lege positiva a Deo data, ad quam legem reductionem etiam habeant doctrina et exempla Christi. In hunc porro errorem tela suorum argumentorum intorquet Augustinus. Porro ut ratio ejus argumentationis percipiatur, praenotandum est, pro ipso subjecto controversiae, quae erat de vi legis externae per se et nude consideratae, considerari a sancto Augustino legem, prouti ab ea supponitur excludi gratia interna, quae sola ejus adimpletionem reddit possibilem. Tum per legem sic consideratam advertit s. doctor duobus tantummodo modis posse subveniri impotentiae recte operandi qua genus humanum laborat. Primum videlicet legis officium esse ostendere quaenam agenda vel vitanda sint ad recte agendum ; quantum autem est per tale officium, auxilio externo legis non subveniri nisi infirmitati intellectus. Secundum vero legis officium esse *terrere*, minitando poenas ; quantum porro est per tale officium, auxilio externo legis subveniri infirmitati voluntatis. Ex quo deducit s. doctor non aliter legem externam auxiliari voluntati ad recte agendum, nisi quatenus lex subministrat motivum timoris. His praesuppositis, sic pelagianos adoritur.

1° Qui ex una parte cogitur fateri liberum arbitrium sine ullo gratiae auxilio non sibi sufficere ad recte vivendum et qui ex alia parte non aliud agnoscit gratiae auxilium libero arbitrio superadditum quam doctrinam et minas legis externae, is consequenter debet ponere uno timoris motivo niti voluntatem in mandatis divinis adimplendis. Nam si ex aliis motivis posset voluntas mandata divina adimplere, cum haec alia motiva lege non subministrentur, jam falsum foret voluntati ad recte vivendum opus esse auxilio externo legis Dei positivae. Jam vero impossibile est ex solo motivo timoris adimpleri mandata divina. Ad observationem enim mandatorum divinorum non sufficit peragi opera externa quae lege praecipiuntur, sed oportet exerceri actus interiores variarum virtutum, puta misericordiae, justitiae, religionis, caritatis Dei et proximi et aliarum. Immo opera exteriora misericordiae, caritatis et aliarum virtutum non sunt, sed falso videntur esse actus virtutum, nisi procedant ex actibus interioribus virtutum. Sed a voluntate quae in adimplenda lege non moveatur nisi solo motivo timoris, impossibile est exerceri actus interiores virtutum ; quandoquidem hi actus pro diversitate virtutum ex diversis motivis sunt eliciendi. Qui ergo suis viribus confisus non nititur in adimplenda lege nisi externo adjutorio legis et qui per consequens solo timore poenae adimplet legem, ille ad summum consequitur justitiam externam, quae est justitia falsa et apparens, non vero ille consequitur justitiam internam, h. e. justitiam voluntatis, quae sola est justitia vera. Omnis proinde talis est immundus in voluntate, etiamsi forinsecus videatur esse mundus et justus.

Et si dicatur tali ratione solummodo ostendi eum qui nonnisi ex motivo timoris actu legem adimplet, peccare intus in voluntate peccato omissionis ; in testimoniis vero quae objecta sunt, supponi eum qui timore poenae non peccat, peccare intus in voluntate peccato commissionis ; non ergo in praedictis testimoniis s. Augustinum loqui tantummodo de timore poenae, prouti contenditur esse motivum sufficiens ad actu adimplendum legem, sed de eo ipsum loqui absolute et universaliter ; si ita dicatur, inquam, at vero

2° uti ex deductione quae praesenti argumentationi praemissa est, evidenter affulsit utque jam ulterius argumentatur sanctus Augustinus, ipsimet pelagiani, si sibi constare velint, fateri debent opus esse interioris gratiae adjutorio ut homo motivis a motivo timoris differentibus efficaciter moveatur ad servandam legem divinam vel longo tempore vel in gravioribus tentationibus. Qui proinde dogmati pela-

gianorum in ipsa vitae suae praxi consequenter insistit, is, sicuti propter repudiatum interioris gratiae adjutorium solo motivo timoris in actualiter adimplenda lege divina ducitur, ita etiam propter repudiatum interioris gratiae adjutorium positive excludit omnia motiva a motivo timoris differentia quibus efficaciter impelli posset ad custodienda mandata legis divinae. Sed qui positive excludit omnia motiva a motivo timoris differentia quibus ad servanda mandata legis divinae impelli posset, is, saltem latenter et implicite, habet hanc duplicem voluntatem condicionatam: *vellem non esse legem divinam justitiamque divinam auferrem, si potestas daretur; vellem peccare, si id impune facere possem.* Sive, quod idem est, omnis qui, positive excludendo vim aliorum motivorum, solo motivo timoris ducitur in actu adimplenda lege divina, et odit justitiam divinam et amat peccatum.

3° Tertium argumentum ad confodiendos pelagianos sumit Augustinus ex doctrina quam tradit apostolus, Rom. III-XII, et Gal. II-V (cf. II Cor. III). Sciendum est autem controversiam quae fuit apostolo cum judaeis et judaizantibus, fuisse simillimam controversiae quae Augustinum inter et pelagianos intercessit. Judaei videlicet quos locis citatis confutat apostolus, gloriabantur in lege mosaica ac si ejus ope veram justitiam consequi possent. Ut hanc igitur eorum gloriationem inanitatis argueret utque ostenderet falso contendi a judaizantibus observationem legis mosaicae esse hominibus ad fidem Christi conversis necessariam, considerat apostolus totam hanc legem praecepta etiam decalogi continentem, secundum eam praecise vim quae ei competebat vi oeconomiae mosaicae. Unde eam considerat in praecisione ab omni adjutorio gratiae interioris, quia, licet cultoribus legis mosaicae concederentur auxilia gratiae interioris ad praestanda ea quae lege hac praescribebantur, non tamen ea auxilia ipsis concedebantur vi pacti mosaici in monte Sinai initi, sed vi pacti aliquando a Christo cum populo redemptionis iciendi. Porro de lege mosaica spectata cum generatim quoad omnia praecepta quae complectebatur tum speciatim quoad hoc decalogi praeceptum : *non concupisces,* affirmat apostolus eam iis judaeis qui solis auxiliis ab oeconomia mosaica in ea servanda nitebantur, fuisse occasionem praevaricationis, litteram occidentem et legem irae. Nempe, quantum attinet speciatim ad hoc praeceptum : *non concupisces*, legem mosaicam non exstinxisse concupiscentiam, sed eam prohibitione inflammasse. Quia ergo eadem revera erat causa pelagianorum atque causa eorum judaeorum quos redarguebat apostolus, ex doctrina apostoli efficaciter concludit s. Augustinus eos qui, excluso auxilio

gratiae divinae interioris, solo timore poenae nituntur in actuali legis divinae adimpletione, illicitis concupiscentiis intus in corde diffluere, etiamsi exterius faciant opera legis.

Ex hactenus dictis apparet quomodo omnia Augustini de timore carnali asserta quae ab adversariis objecta sunt, verificentur de timore servili *qui ad exclusionem interioris adjutorii gratiae ponatur esse unicum motivum actu adimplendi totam legem divinam.* Est autem notandum non modo in quattuor iis locis quos speciatim signavimus, sed in omnibus ferme aliis testimoniis quae ab adversariis adduci solent, sanctum Augustinum haut obscure respicere ad errorem pelagianorum.

685. — B. In aliis locis s. Augustinus agit de eo timore poenae quo ducebantur judaei carnales veteris testamenti ad observandam legem mosaicam. Huc apertissime pertinent loci supra adducti ex lib. II Contra adversarium legis, c. 7, Serm. 25 in ps. 118, Serm. 11 in ps. 118 et libro III Contra duas epistulas pelagianorum ad Bonif., c. 4. Porro, uti in ultimo loco modo citato ipse Augustinus diserte notat, judaei illi carnales ad vetus testamentum, in quantum hujusmodi, pertinentes, non servabant Dei praecepta nisi timore poenarum temporalium ab hominibus infligendarum quos Moyses in Deuteronomio in praevaricatores legis constituerat. De quo timore manifestissimum est eum cohibuisse manum, non cor, eos qui eo agebantur, invitos egisse eosdemque in voluntate intus fuisse reos, tandem eos maluisse non facere praecepta, si secundum ea quae cupiebant et metuebant, impune agere permissi fuissent.

686. — C. Est denique tertia testimoniorum classis in quibus sanctus Augustinus ad meliora cohortatur eos christianos qui, licet non negarent cum Pelagio necessitatem gratiae interioris, tamen a) unico metu gehennae ducebantur in actuali totius legis christianae adimpletione, quique insuper b) habebant explicite hanc voluntatem condicionatam : *peccarem, si non esset infernus,* quique adeo c) propter metum gehennae abstinebant quidem ab omni turpi externo peccato, at interim illicitas concupiscentias in corde fovebant, sperantes fore ut propter concupiscentiam intra repagula cordis cohibitam Deus iis foret misericors et sic poenas gehennae effugerent (1). Huc pertinent testimonia adducta

(1) Ne videamur gratis supponere s. Augustinum, cum a timore gehennae excludit amorem justitiae, saepenumero agere de timore gehennae propter quem quidam abstinebant quidem ab opere turpi externo, non tamen ab illicita concupiscentia interna, damus duo alia testimonia *ab adversariis adduci solita,* e quibus id quod dicimus, fit manifestissimum.

ex Epist. 145, Serm. 169, c. 7, Serm. 178, c. 9 et Enchiridio, cap. ult.

687. — Concludendum est omnia Augustini testimonia quae ingenti mole adversarii coacervant, esse ad rem de qua agitur, impertinentia.

Nam dato etiam, quod tamen falsum est, in omnibus hisce testimoniis agi de metu gehennae vel poenarum a Deo infligendarum, attamen 1° nihil commune est inter eam timoris gehennae efficaciam quam ibidem negat s. Augustinus, et eam timoris gehennae efficaciam quam nos in adstruenda vi et efficacia attritionis pure formidulosae defendere intendimus. Quippe s. Augustinus, quando negat timore gehennae excludi voluntatem peccandi, intendit loqui de timore gehennae quo aliquis eligat moveri *tamquam proximo et totali motivo in omni adimpletione legis divinae;* nos vero, quando affirmamus timore gehennae posse efficaciter excludi voluntatem peccandi, intendimus loqui de timore gehennae qui sit unicum motivum propter quod aliquis *proponat abstinere a peccato et adimplere legem divinam.* In quo sane proposito includitur voluntas adimplendi legem divinam etiam ex motivis caritatis et aliarum virtutum, quando praecepta ad excercendos actus harum virtutum obligantia jam actu urgebunt.

Adde 2° quod in plerisque saltem ex iis testimoniis quibus confidunt adversarii, s. Augustinus loquitur de timore qui non sit supernaturalis; nos vero in defendenda honestate atque efficacia attritionis pure formidulosae, ponimus eam inniti timori cujus objectum apprehendatur per fidem quique sit intrinsece supernaturalis.

688. — Restat diluendum argumentum quod adversarii sumunt ex oppositione quae testimoniis supra allatis inducitur ab Augustino inter

---

1° S. August., Serm. 145, n. 3 : « Prohibet Deus adulterium, *concupisti uxorem alienam,* non accedis, non facis, occasio data est, habes tempus, patet locus, deest conscius, tu tamen non facis. Unde? Quia times poenam. Sed nullus sciet. Numquid non Deus? Ita plane, quia scit Deus quod facturus es, non facis : sed et ipsum Deum minitantem tremis, non praecipientem diligis. Quare non facis? Quia, si feceris, in gehennam mitteris... O si castitatem amares, non faceres, etsi omni modo impunitus esse deberes. »

2° S. Augustinus, Serm. 161, n. 8: « *Libidine cum victus habes consentientem,* quare non committis adulterium? Et respondebis: quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis aeterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli ne puniar ab illo, et cum illo ardeam. Quid dicturus sum?... Male times? Vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus, ablato timore, subjecit timorem, et ait : Nolite timere eos qui corpus occidunt,... sed eum timete etc. Cum ergo Dominus timorem incusserit et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationis geminaverit, dicturus ego sum : male times? Ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est quod magis timere debeas. Sed interrogo te. Si te non videret Deus, quando facis, nec quisquam te convinceret in judicio illius, faceres? Tu te vide... Si faceres, ergo poenam times, castitatem nondum habes, caritatem nondum habes, serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. »

timorem poenae et amorem justitiae. Quod ut fiat, prius animadvertendum est nomine *amoris justitiae* sanctum Augustinum complecti omnem amorem boni honesti omnemque actionem in tali amore radicatam. Quod manifestum evadet consideranti sanctum Augustinum perpetuo sumere pro uno eodemque haec duo, nempe a) aliquid non fieri ex timore poenae, sed ex amore justitiae et b) aliquid non fieri per litteram minantem, sed per spiritum adjuvantem. Hinc videlicet proxime deducitur omnem actionem quae procedat ex libero arbitrio per interiorem gratiam adjuto, procedere secundum phrasin Augustini ex amore justitiae. Et sic ultimato concludendum est secundum mentem sancti Augustini omnem amorem boni honesti per praeeuntem actum fidei apprehensi itemque omnem actionem voluntatis ex tali amore oriundam proficisci ex amore justitiae; quandoquidem omnes tales actiones procedunt ex libero arbitrio adjuto auxilio interioris gratiae.

689. — Hoc igitur praenotato, dicendum est, quando sanctus Augustinus opponit inter se timorem poenae et amorem justitiae, eum accipere unumquodque istorum duorum relate ad hunc effectum immediatum qui est actualis adimpletio totius legis divinae. Sive, quod idem est, praedicta oppositio, quatenus a sancto Augustino inducitur, stat in hoc quod vel timor poenae vel amor justitiae ponitur esse proximum et totale motivum actu adimplendi totam legem divinam. Et secundum talem modum intellegentiae verissimum est motivum timoris poenae esse exclusivum amoris justitiae. Uti enim liquet ex supra ostensis, timor poenae praedicto modo consideratus, est exclusivus motivorum ad diversas virtutes pertinentium quibus necesse est aliquem actu moveri ad actu implendam totam legem. Consequiturque inde, uti similiter jam ostensum est, ut timor poenae secundum talem modum considerationis includat voluntatem peccandi, nedum eam excludat.

At vero 1° attritio pure formidulosa non oritur ex timore poenae praedicto modo considerato. Non enim qui atteritur attritione pure formidulosa, habet propositum totam legem adimplendi ex motivo timoris tanquam ex proximo et totali motivo omnium actionum ad impletionem legis pertinentium. Sed, contra, ipse vi attrionis pure formidulosae serio paratus est agere ex motivis caritatis aliarumque virtutum, quando obligatio exercendi actus harum virtutum jam actu urgebit.

Immo 2° timor poenae, prouti est principium attritionis pure formidulosae, continetur sub amplitudine motivi quod intenditur significari a sancto Augustino nomine amoris justitiae. Uti enim supra ostensum

est, designat hoc nomine sanctus Augustinus omnem amorem boni honesti omnemque voluntatis actum in tali amore radicatum. Jam vero timor poenae, prouti est principium attritionis pure formidulosae, radicatur in amore boni honesti ; radicatur enim in amore boni propriae incolumitatis, non exclusa ordinabilitate hujus boni in finem bonitatis divinae ; bonum autem propriae incolumitatis hoc modo amatum est bonum honestum ([1]).

([1]) In declaranda antithesi a sancto Augustino instituta inter timorem poenae et amorem justitiae licet uti expositione adhuc compendiosiore, quae tamen revera continetur in ea quae jam data est. Quando videlicet sanctus Augustinus asserit non ex timore poenae, sed ex amore justitiae nos debere vitare opera peccati et facere opera legis, ipse intendit tantummodo dicere *exteriorem nostram justitiam* consistentem in fuga operum exteriorum peccati et in adimpletione operum exteriorum legis, debere *dimanare ex interiore justitia*. Sive aliter, quando praedicta antithesi utitur sanctus Augustinus, ipse revera intendit comparare actus exteriores tamquam effectus ad actus interiores tamquam ad causas a quibus dimanant ; non vero ipse comparat actus interiores singillatim spectatos ad motiva propter quae eliciuntur. Sed solummodo actus interiores complexive sumptos ipse comparat ad motiva e quibus procedunt, quatenus videlicet impossibile est exteriorem justitiam complexive sumptam procedere ex interiore justitia, nisi actus interiores voluntatis non concipiantur ex solo motivo timoris, sed etiam ex aliis motivis.

Secundum mentem igitur sancti doctoris qui a peccatis abstinent non amore justitiae, sed timore poenae, sunt *omnes et soli ii* qui abstinent quidem a peccatis foras in actus exteriores erumpentibus, at omnino sese dedunt peccatis intra voluntatis claustra sese continentibus, nutriendo sensus malevolentiae, invidentiae, odii, inimicitiae, vindictae, superbiae vel aliorum vitiorum. Et quidem in eum sensum esse interpretanda omnia quae de conjunctione abstinentiae a peccatis cum interiore voluntate peccandi tradit sanctus Doctor, manifeste apparet ex iis ejusdem operum locis quae sub numeris 11° et 12° supra a nobis recitata sunt.

Quod vero impulit sanctum doctorem ut in sensu praedicto insisteret antithesi inter abstinentiam a peccato ex timore poenae et abstinentiam a peccato ex amore justitiae, id praeter practicas necessitates sui temporis et haereses quas impugnandas habuit, fuit doctrina sancti Pauli de discrimine intercedente inter testamentum vetus et testamentum novum. Secundum apostolum videlicet discrimen utriusque testamenti consistit in hoc quod lex veteris testamenti, quae erat *lex servitutis*, non operabatur nisi exteriorem justitiam, lex vero novi testamenti, quae est *lex libertatis*, operatur interiorem justitiam.

Qui igitur vi attritionis pure formidulosae a peccatis abstinet, is secundum sanctum Augustinum abstinet a peccatis ex amore justitiae ; quia *ex proposito excludente voluntatem interiorem peccandi* abstinet a peccatis opere exteriore consummandis. Nam, attento usu loquendi s. Augustini, amor justitiae non sunt nisi partim quidem *firmum propositum excludens voluntatem interiorem peccandi*, partim vero actus interiores virtutum ex tali proposito dimanentes.

Et si contra hoc dicatur ipsam attritionem formidulosam et propositum non peccandi in ea inclusum non procedere ex amore justitiae, nec proinde veraciter dici posse abstinentiam ab operibus exterioribus peccatorum ex tali attritione procedentem, ex amore justitiae causari ; si ita dicatur, inquam, *respondetur* 1° a sic objicientibus omnino deviari a sensu quo loquitur sanctus Augustinus de abstinentia a peccatis ex amore justitiae. Uti enim dictum est, sanctus Augustinus tali modo loquendi utens intendit comparare abstinentiam a peccatis exterioribus ad voluntatem interiorem a qua procedit talis a peccatis abstinentia ; non vero ipse intendit comparare ipsammet hanc voluntatem interiorem *singillatim sumptam* ad motivum aliquod speciale e quo concipiatur haec voluntas. Nempe secundum modum loquendi s. Augustini amor justitiae *primo constituitur per interiorem voluntatem non peccandi*, non ergo quaerendum est ut ipsamet haec interior voluntas procedat ex amore justitiae.

Si tamen objicientes intendant loqui de motivo ex quo concipitur amor justitiae,

690. — **Nec juvat dicere** s. Augustinum id quod vocat amorem justitiae, vocare etiam amorem caritatis, sic significando omnem actum qui procedat ex amore justitiae, vel elicitive vel imperative procedere ex amore caritatis. Impossibile autem esse dicere timorem poenae, prouti est principium attritionis pure formidulosae, imperari ex amore caritatis. Non ergo secundum s. Augustinum timorem poenae qui sit principium attritionis pure formidulosae, procedere ex amore justitiae. Quia igitur secundum s. Augustinum omnis qui non agit ex amore justitiae, habet voluntatem peccandi, recte conclusum esse attritione pure formidulosa non excludi ab habente eam attritionem voluntatem peccandi.

Non juvat, inquam, sic in oppositum arguere : nam 1° quod attinet ad adversarios catholicos, hi nequeunt uti tali argumentandi ratione quin et ipsi incidant in damnatum systema baianorum ac jansenianorum et illud systema sancto Augustino imponant. Quippe, si efficax sit talis argumentandi ratio, ergo omnis actus qui non elicitive vel imperative procedat ex motivo caritatis, est actus malus atque inhonestus, quam baianorum ac jansenianorum propositionem ecclesia proscripsit.

Verum ut difficultatem motam etiam directe solvamus, **respondetur** 2° quando s. Augustinus videtur identificare amorem justitiae cum amore caritatis, ab ipso nomen caritatis non accipi proprie, sed vel per synecdochen vel per figuram metonymiae. Ad cujus responsionis evidentiam recordandum est id quod jam saepe inculcavimus, nempe

---

respondetur 2° secundum s. Augustinum tale motivum esse omne bonum honestum movens aliquem ad excludendam voluntatem peccandi et ad implendam legem interiorem justitiae. Nempe accipiendo hoc nomen *amoris justitiae* secundum sensum a s. Augustino intentum, possumus de motivo hujus amoris loqui tripliciter. *Primo* ita ut motivum amoris justitiae intellegatur esse motivum *proximum et totale* vi cujus adimpletur tota lex interior justitiae. Et secundum talem modum intellegentiae motivum amoris justitiae complectitur omnia motiva variarum virtutum, maxime tamen motivum caritatis ; quia finis legis interioris justitiae est dilectio. *Secundo* possumus loqui de motivo amoris justitiae ita ut hoc motivum intellegatur esse motivum intrinsecum alicujus actus interioris pertinentis ad impletionem legis interioris justitiae. Et secundum talem modum intellegentiae motivum amoris justitiae est secundum s. Augustinum quodlibet bonum honestum. *Tertio* possumus loqui de motivo amoris justitiae ita ut hoc motivum intellegatur esse motivum intrinsecum actus efficaciter excludentis voluntatem interiorem peccandi. Et secundum talem modum intellegentiae motivum amoris justitiae est quodlibet motivum ex quo concipi possit efficax detestatio peccatorum.

Si accipiatur motivum amoris justitiae primo et secundo ex tribus modis assignatis, timor poenae in quo fundatur attritio pure formidulosa, est secundum s. Augustinum vere ac proprie motivum amoris justitiae. Si vero accipiatur motivum amoris justitiae tertio modo, idem timor poenae pertinet ad motivum amoris justitiae initialiter, non tamen completive.

quando sanctus doctor inter se opponit timorem poenae et amorem justitiae, ipsum de utroque loqui, prouti unumquodque eorum supponitur esse proximum et completum principium adimplendi legem divinam. Jam vero a) amor justitiae, prouti est proximum et completum principium adimplendi legem divinam, complectitur quidem motiva omnium virtutum, maxime tamen motivum caritatis. Et propter hoc sanctus Augustinus amorem justitiae praedicto modo consideratum nominare solet a parte ejus praecipua, quae est amor caritatis. Ulterius b) amor justitiae, quae est impletio legis interioris justitiae, ita complectitur omnes actus interiores virtutum ut tamen ad amorem caritatis tamquam ad terminum ordinentur ceteri actus interiores virtutum. Uti enim docet apostolus, finis legis est caritas. Porro illud Augustino solemne est ut quando plures actus per modum mediorum vel dispositionum ordinantur ad alium actum tamquam ad finem, ipse totam seriem horum actuum appellet nomine non significante proprie nisi terminum seriei. Et haec est altera ratio propter quam amorem justitiae, prouti est principium vere adimplendi legem exteriorem justitiae, sanctus doctor designare soleat nomine caritatis.

691. — Nec juvat ulterius instare dicendo juxta doctrinam quam tradit s. Augustinus in Serm. 169 et 178 tunc solummodo aliquem vere odisse peccatum, si nollet peccare, etiamsi Deus eum peccantem impune abire permitteret. Non autem esse possibile aliquem qui non atteratur nisi ex timore gehennae, habere vi talis attritionis propositum non peccandi, etiamsi infernus non esset. Esse igitur manifestum juxta sanctum Augustinum attritione pure formidulosa non contineri verum et efficax odium peccati.

Neque juvat sic instare, inquam; nam sanctus Augustinus locis citatis exhortatur quidem suos auditores ad odiendum sua peccata ex motivo adeo perfecto ut vi ipsius efficaciter fugeretur peccatum, etiamsi infernus non esset; ceterum neutiquam ibi dicit odium peccati ex solo timore gehennae conceptum non posse esse verum aut efficax. Contra, hujus oppositum ibi satis aperte innuit.

692. — Objicitur etiam sanctus Thomas, qui in 2ª IIae, q. 19, a. 4, generaliter loquens de timore servili, asserit eum quoad suam speciem esse bonam, sed ejus servilitatem esse malam. Et licet addat vitium servilitatis a timore servili sejungi posse, quia accidat ei hoc vitium ex parte timentis; significat tamen id non aliter contingere posse, nisi quatenus bonum proprium, ex cujus amore oritur timor servilis, ordinatur per actum caritatis in finem bonitatis divinae. Unde etiam

expresse asserit in non habente caritatem timorem servilem conjungi cum servilitate et tantummodo in habente caritatem eum a servilitate separari. En verba sancti doctoris : « Objectum timoris servilis est poena, cui accidit quod bonum cui contrariatur poena, ametur tamquam finis ultimus, et per consequens poena timeatur tamquam principale malum, *quod contingit in non habente caritatem;* vel quod ordinetur in Deum, sicut in finem, et per consequens poena non timeatur tamquam principale malum, *quod contingit in habente caritatem.* »

693. — **Respondetur** aliud esse dicere, contingere in non habente caritatem ut bonum cui contrariatur poena, ametur tamquam finis ultimus, quae est propositio sancti Thomae; aliud vero esse dicere, contingere *in omni non habente caritatem* ut bonum cui contrariatur caritas, ametur tamquam finis ultimus, quae est propositio adversariorum.

CAPUT XIX.

De sufficientia attritionis pure formidulosae.

694. — Jam ostendendum est attritionem pure formidulosam esse se sola dispositionem proxime sufficientem ad recipiendam gratiam justificationis in sacramento paenitentiae. Quibusnam cum adversariis nobis in tali doctrina defendenda conflictandum sit et quisnam cum ipsis sit status controversiae, satis superque declaratum est capite XV. Adversantur videlicet doctrinae modo asserendae et vindicandae omnes propugnatores necessitatis amoris initialis, contendentes attritionem pure formidulosam non esse nisi dispositionem remotam ad sacramentum paenitentiae fructuose recipiendum.

Est autem *dispositio ad formam aliquam* id quod subjecto alicui inexsistens, illud aptum reddit ad formam illam recipiendam. Est vel remota vel proxima.

Remota est ea quae immediate et per se subjectum dumtaxat aptum reddit ad recipiendam in se dispositionem proximam vel minus remotam ad formam. Sive aliter dispositio remota est ea quae non immediate et per se, sed dumtaxat mediante dispositione proximiore ad quam immediate disponit, subjectum aptum reddit ad suscipiendam formam.

Dispositio proxima est ea quae immediate et per se, h. e. sine hoc quod opus sit aliquid ulterius ad subjectum accedere, illud aptum reddit ad suscipiendum in se formam.

Dicitur etiam *dispositio proxime sufficiens*, *dispositio ultima*, *dispositio necessitans ad introductionem formae.*

Et quidem dispositio proxime sufficiens dicitur *dispositio necessitans* eo sensu quod, quando subjecto vestito dispositione proxima sufficienter applicata est causa efficiens valens virtute sua activa inducere formam, de necessitate ac statim sequitur introductio formae in subjectum.

695. — Patet autem ex antea disputatis nullam attritionem esse extra sacramentum dispositionem proxime sufficientem ad recipiendam gratiam justificationis. Nam extra sacramentum peccator non disponitur per proprium suum actum ad gratiam justificationis, nisi quatenus hic ipsius actus est de congruo meritorius gratiae, h. e. prouti est *opus operantis* ; sola autem caritas vel contritio perfecta est tali modo dispositio ad gratiam.

At vero contendimus attritionem, etiamsi sit infimae speciei, h. e. etiam si sit pure formidulosa, esse dispositionem proxime sufficientem sive necessitantem ad infusionem gratiae justificantis, quatenus haec ex opere operato est causabilis et causanda per sacramentum paenitentiae. Sive, quod idem est, contendimus, quotiens homini qui attritione pure formidulosa vere et efficaciter atteratur, applicatur haec causa instrumentalis gratiae, quae est sacramentum paenitentiae, statim de necessitate introduci in animam talis hominis formam gratiae justificantis.

696. — Ut tamen ea assertio sit vera, duae condiciones attritionem pure formidulosam comitari debent, nempe a) efficax propositum non peccandi de cetero et b) spes veniae sive spes reconciliationis impetrandae a Deo.

Et quidem quod attinet ad efficax propositum positive excludens voluntatem peccandi, jam olim explicatum est non esse absolute necessarium illud semper explicite adesse, quandoquidem implicite includitur in ipsamet attritione pure formidulosa, modo haec peccatorum antehac commissorum sit vere et efficaciter detestativa. Quod vero attinet ad spem veniae, vix fieri potest ut ea non comitetur attritionem pure formidulosam hominis ad sacramentum paenitentiae accedentis. Quippe a) non alia de causa peccator qui vere atteratur, ad sacramentum paenitentiae accedit, nisi ut accipiat gratiam cum reconciliantem cum Deo, h. e. gratiam justificationis. Itidem b) qui efficaciter concu-

titur timore gehennae, is ex intentione effugiendi poenam gehennae primum proponit procurare sui reconciliationem cum Deo ; cumque sciat nonnisi peccatores vere paenitentes recipi in gratiam a Deo, idcirco ex intentione sese reconciliandi cum Deo jam ulterius elicit actum detestationis suorum peccatorum. Ex quo patet attritionem pure formidulosam ordinarie praecedi a spe veniae. Quippe intentio finis praecedit usum mediorum volitorum propter finem ; jam vero, uti patet ex modo dictis, attritionem pure formidulosam peccator ordinat ad sui reconciliationem cum Deo tamquam ad finem.

Propositio.

Attritio vel ex solo metu gehennae concepta, si excludat voluntatem peccandi, cum spe veniae, est dispositio proxime sufficiens ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam.

Propositio est *conclusio theologice certa,* eo quod certo deducitur ex doctrina fidei quam tradit concilium tridentinum in sessione sua XIV, capite 4.

697. — **Primum argumentum** ducitur *ex scriptura et traditione patrum.* Aiunt adversarii attritionistas ipsa sua probandi methodo tacite fateri suam doctrinam nullum habere fulcimentum in scriptura ac patribus. Neglectis quippe testimoniis scripturae ac patrum, eos munimentum suae sententiae unice collocare in doctrina tradita a concilio tridentino, sess. XIV, cap. 4. Quae profecto est falsissima assertio. Nam verum quidem est nos, non sicuti contritionistas, in ingentem molem coacervare ea scripturae ac patrum testimonia quae nihil ad rem qua de quaeritur, faciunt, eo quod in iis non agitur de justificatione per sacramentum consequenda. At, quod attinet ad ea scripturae et patrum testimonia in quibus agitur de vi et efficacia sacramenti paenitentiae, omnes nostri auctores ostendunt iis nostram sententiam efficaciter stabiliri, sententiam vero adversariorum iisdem funditus everti. Est autem eorum argumentum ejusmodi.

Docent scriptura Jo. xx, 23, et patres in suis operibus passim proprium sacramenti paenitentiae effectum consistere in remissione peccatorum quoad culpam. Uti autem in disputationibus prius habitis ostensum est, attentis iis quae aliis scripturae locis traduntur de vi justificativa caritatis, nequit cum hac scripturae et patrum doctrina conciliari sententia asserens peccatorem non disponi ad sacramentum

paenitentiae recipiendum nisi detestatione peccatorum ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae concepta. Ut igitur stet doctrina scripturae ac patrum de propria sacramenti paenitentiae efficacia, necesse est dicere peccatorem ad suscipiendum sacramentum paenitentiae sufficienter disponi detestatione peccatorum quae concipiatur ex motivo distincto a motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Uti autem itidem in disputationibus prius habitis ostensum est, quotienscumque peccator movetur ad sua peccata detestanda motivo distincto a motivo bonitatis divinae propter se dilectae, ipse ultimato movetur motivo aliquo infra Deum posito. Proindeque ad salvandam doctrinam scripturae ac patrum de sacramenti paenitentiae efficacia, oportet dicere esse aliquam saltem peccatorum detestationem ex motivo infra Deum posito conceptam quae sit dispositio proxime sufficiens ad justificationem in sacramento paenitentiae consequendam. Sed hoc ipsum consequenter defendi nequit, nisi generaliter asseratur omnem omnino detestationem peccatorum efficacem, dummodo concipiatur ex motivo supernaturali involvente aliqualem ad Deum respectum, esse dispositionem proxime sufficientem ad justificationem in sacramento paenitentiae recipiendam. Quo modo autem teneat haec consequentia, sic facile considerari potest.

Detestatio peccatorum non aliunde habet quod sit qualiterumque ad justificationem dispositio nisi ex eo quod peccatorem avertit a peccato et convertit ad Deum. Et quia modus quo fit aversio ab uno termino, sequitur ad modum quo fit conversio ad terminum oppositum, idcirco brevius adhuc dici potest detestationi peccatorum non aliunde competere eam esse qualitercumque ad justificationem dispositionem, nisi ex eo quod per eam peccator ad Deum, quem offenderat, convertitur. Potest autem detestatione peccatorum peccator ad Deum converti vel a) ita ut Deus sit simul et terminus ad quem fit conversio et motivum sive ratio formalis sub qua fit conversio ad ipsum, vel b) ita ut Deus sit quidem terminus ad quem fit conversio, non tamen ipse sit ratio formalis sub qua fit conversio ad ipsum. Nequit porro dici ad hoc ut detestatio peccatorum sit dispositio proxime sufficiens ad justificationis gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam, necesse esse ea detestatione peccatorem converti ad Deum ita ut Deus sit simul et terminus ad quem fit conversio et motivum sive ratio formalis sub qua fit conversio ad ipsum. Hoc quippe exclusum relinquitur argumentatione supra facta; quia ex hoc consequens foret nunquam peccatorem posse efficaci suorum peccatorum detestatione converti ad Deum nisi

ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae. Ad hoc ergo ut efficax peccatorum detestatio sit dispositio proxime sufficiens ad gratiam justificationis in sacramento paenitentiae recipiendam, satis est tali detestatione peccatorem converti ad Deum ita ut Deus sit tantummodo terminus ad quem fit conversio. Sed hoc modo peccator convertitur ad Deum omni omnino detestatione suorum peccatorum efficaci quae eliciatur ex motivo supernaturali aliqualem ad Deum respectum involvente. Et nominatim ipse hoc modo convertitur ad Deum attritione pure formidulosa, h. e. efficaci peccatorum detestatione ex nudo timore gehennae excitata. Tali quippe attritione ipse convertitur ad Deum tamquam ad justum peccatorum vindicem. Nam, uti capite XVI, numero 630 ostensum est, Deus, ut est justus vindex, est terminus timoris quo timetur malum gehennae. Eo ipso videlicet quod timemus supplicium gehennae, timemus etiam causam a qua impendet hoc supplicium, nempe vindictam divinam cruciatus gehennae minitantem. Concludendum est ergo ex doctrina quam de propria sacramenti paenitentiae efficacia tradunt scriptura et patres, necessario esse consequens cum generatim omnem detestationem peccatorum efficacem ex motivo supernaturali Deum aliquo modo respiciente elicitam, tum speciatim attritionem pure formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad justificationis gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam.

698. — **Secundum argumentum** ducitur *ex doctrina tradita a concilio Tridentino in sess. XIV, cap. 4.* Est illud argumentum prorsus decretorium, habeturque a nostris auctoribus uti palmare in tota hac contra amoris initialis propugnatores disputatione. Trifarium porro instituitur.

A. **Prima probatio** sumitur *ex eo quod secundum doctrinam traditam loco citato a patribus tridentinis contritio generice sumpta est pars vel quasi pars sacramenti paenitentiae.* Docuerant patres capite tertio immediate praecedente partes sacramenti paenitentiae quae sint quasi materia hujus sacramenti, esse tres ipsius paenitentis actus, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem. Tum caput quartum, in quo traditur doctrina catholica de contritione, exordiuntur in haec verba : « Contritio, *quae primum locum inter dictos paenitentis actus habet,* animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. » Ex his verbis eorumdemque cum antecedentibus et consequentibus nexu argumenti assumptio multipliciter eolligitur.

Etenim a) concilium ipso capitis IV exordio profitetur se, posteaquam generatim docuisset quaenam sint sacramenti paenitentiae partes,

jam singillatim de unaquaque ex his partibus ordine acturum esse. Proindeque toto hoc capite concilium non tractat nisi de contritione quae sit pars sacramenti. Tractat autem hoc capite concilium tum de contritione perfecta, tum de contritione imperfecta; hujus porro duplex ibi motivum distinguit, nempe a) turpidinis peccati considerationem et b) gehennae et poenarum metum. Ergo secundum patres tridentinos cum generatim omnis attritio ex motivo supernaturali concepta voluntatemque peccandi excludens, tum speciatim attritio ex timore gehennae et poenarum concepta, h. e. attritio pure formidulosa, est pars sacramenti paenitentiae.

b) Patres perspicue significant eam contritionem quam vocant sacramenti partem, esse *contritionem generice sumptam,* quae sub se tanquam species comprehendat contritionem perfectam et contritionem imperfectam sive attritionem. Postquam enim definierunt, explicaverunt et e scripturis sacris vindicaverunt genuinam notionem *illius contritionis quae est sacramenti paenitentiae pars,* pergunt dicendo : « Etsi contritionem hanc *aliquando caritate perfectam esse contingat* hominemque Deo reconciliare. » Quibus suis verbis aperte edicunt contritionem quae sit sacramenti paenitentiae pars, non esse semper perfectam, eamdemque proinde praeter contritionem perfectam comprehendere sub se contritionem imperfectam. Quando itaque patres, postquam declaraverunt naturam et efficaciam contritionis perfectae, jam verba faciunt de contritione imperfecta, quam et attritionem vocant, ipsi intendunt loqui de altera specie illius contritionis quae est pars sacramenti paenitentiae. Et per consequens attritio pure formidulosa potest esse secundum mentem patrum tridentinorum pars sacramenti paenitentiae : hanc quippe attritionem ipsi comprehendunt sub generalitate illius attritionis de qua tractant tanquam de specie illius contritionis quae est pars sacramenti paenitentiae.

c) Omne cui convenit definitio, continetur sub universalitate definiti; sed cum generatim omni attritioni, modo sit efficax, tum speciatim attritioni pure formidulosae convenit definitio qua definitur a patribus tridentinis ea contritio quae est pars sacramenti paenitentiae. Ergo secundum patres tridentinos cum generatim omnis attritio efficax, tum speciatim attritio pure formidulosa continetur sub universalitate illius contritionis quae est pars sacramenti paenitentiae.

Minor patet tum per se tum ex ipsamet doctrina patrum tridentinorum. Nam a) cum generatim de omni attritione efficaci tum specialissime de attritione pure formidulosa patres tridentini definiunt eam

esse *verum et utilem dolorem* de peccatis (sess. XIV, can. 5. cf. sess. VI, can. 8). Ideoque etiam supponunt praedictam attritionem esse *veram detestationem peccatorum;* quandoquidem verus dolor de peccatis nequit oriri nisi ex vera detestatione peccatorum. Itidem b) patres tridentini supponunt tamquam rem manifestam omnem eam attritionem de qua sess. XIV, cap. 4, verba faciunt, et per consequens etiam attritionem pure formidulosam posse « *excludere voluntatem peccandi,* » hoc autem idem est atque supponere ut manifestum omnem eam attritionem posse includere *propositum non peccandi de cetero.* Quia ergo per haec duo quae sunt esse dolorem ac detestationem de peccatis et habere sibi adjunctum propositum non peccandi de cetero, patres tridentini definiunt eam contritionem quae est pars sacramenti, manifestum est juxta ipsos tum generatim de omni attritione tum speciatim de attritione pure formidulosa verificari definitionem illius contritionis quae est pars sacramenti paenitentiae.

Patres tridentini tum in sess. XIV, cap. 4, in fine, tum ibid., can. 5, attritionem pure formidulosam vocant simpliciter contritionem. Ex quo manifestum redditur nomen contritionis simpliciter dictae accipi a patribus tridentinis non veluti nomen proprium contritionis perfectae, sed veluti nomen generis sub se continentis tum contritionem perfectam tum attritionem quae concipiatur sive ex turpitudinis peccati consideratione sive ex gehennae et poenarum metu. Quia ergo contritionem simpliciter dictam patres tridentini ponunt esse partem sacramenti paenitentiae, necessario concludendum est secundum doctrinam patrum tridentinorum, attritionem, haut excepta ea quae est pure formidulosa, contineri intra latitudinem illius contritionis quae est pars sacramenti paenitentiae.

699. — Sic stabilito primo probationis medio, enascitur hoc ineluctabile argumentum : Quod in genere contritionis est sufficiens pars sacramenti paenitentiae, id est etiam dispositio proxime sufficiens ad gratiam sanctificationis in sacramento paenitentiae recipiendam. Sed secundum doctrinam traditam a patribus tridentinis in sess. XIV, cap. 4, attritio pure formidulosa est in genere contritionis sufficiens pars sacramenti paenitentiae. Ergo attritio pure formidulosa est secundum doctrinam patrum tridentinorum dispositio proxime sufficiens ad justificationis gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam.

Minor relinquitur probata ex praemissis; Major vero, praeterquam quod per se satis est manifesta, sic facile probari potest. Ea attritio est in sacramento dispositio proxime sufficiens ad recipiendam justifi-

cationis gratiam, ad quam in sacramento de necessitate sequitur justificationis gratia. Sed ad attritionem pure formidulosam in sacramento de necessitate sequitur justificationis gratia; cum enim ea attritio sit in genere contritionis pars sufficiens sacramenti, illico atque cum ipsa conjunguntur aliae sacramenti partes, de necessitate conficitur sacramentum, ad confectionem autem sacramenti de necessitate sequitur effectus sacramenti, quae est justificationis gratia.

700. — **Secunda probatio** eademque omnium potissima sumitur *ex doctrina quam in eadem illa sessione XIV, cap. 4, concilium tridentinum tradit de efficacia attritionis.* Postquam eo loci patres concilii notificassent attritionem ex motivis unde oritur docuissentque contra Lutherum eam non modo non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, sed etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, ita dicere pergunt : « Et quamvis sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit. » Qua in phrasi fit oppositio inter attritionem spectatam extra sacramentum et attritionem spectatam intra sacramentum; quapropter, cum in omni oppositione oporteat membra oppositionis inter se contendi respectu unius ejusdemque termini, *justificatio* de qua in protasi phraseos dicitur ad eam peccatorem sine sacramento per attritionem perduci non posse, est ipsissima illa *gratia* de qua in apodosi phraseos dicitur ad eam impetrandam peccatorem in sacramento per attritionem disponi. Inde porro jam multifariam colligitur intentum.

701. — Etenim 1° tum generatim de omni attritione efficaci tum speciatim de attritione pure formidulosa asserunt patres tridentini eam ad justificationem aliter se habere extra sacramentum, aliter vero in sacramento. Constituuntque differentiam in hoc quod extra sacramentum attritio ad justificationem perducere non potest, in sacramento vero eadem ad justificationem disponit. Sed haec differentia falso ab eis assignata esset, si dicendo in sacramento attritionem ad gratiam [justificationis] impetrandam disponere, intendissent solummodo docere attritionem esse in sacramento dispositionem remotam ad justificationem. Sic enim secundum rei veritatem nullo pacto discriminassent habitudinem quam in sacramento habet attritio ad justificationem ab habitudine quam extra sacramentum habet eadem attritio ad justificationem, quandoquidem attritio est extra sacramentum dispositio remota ad justificationem. Ut ergo subsistere possit differentia quam patres tridentini constituunt inter attritionem conjunctam cum sacra-

mento paenitentiae et attritionem sejunctam a sacramento, paenitentiae, necesse est dicere, quando ipsi asserunt « attritionem ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponere, » de mente eorum esse docere attritionem esse in sacramento paenitentiae dispositionem proximam ad justificationem.

702. — Nec infringitur vis hujus argumenti dicendo diversam habitudinem quam respectu justificationis consequendae patres tridentini assignant attritioni consideratae extra sacramentum paenitentiae et attritioni consideratae intra sacramentum paenitentiae, sufficienter salvari, si ponatur attritionem consideratam in sacramento paenitentiae esse *dispositionem minus remotam* ad justificationem quam eadem attritio considerata extra sacramentum paenitentiae. — Non infringitur, inquam, tali replica vis argumenti facti ; non enim in phrasi patrum tridentinorum differentia inter attritionem spectatam extra sacramentum et attritionem spectatam in sacramento constituitur in hoc quod extra sacramentum attritio ad justificationem disponit remotius, in sacramento vero eadem ad justificationem disponit minus remote, sed haec differentia unice ibi constituitur in hoc quod extra sacramentum attritio ad justificationem *non perducit,* in sacramento vero eadem ad justificationem *disponit*. Inde videlicet sic arguitur : Quando patres tridentini dicunt attritionem in sacramento paenitentiae ad justificationem impetrandam disponere, — aut verbum *disponere* accipiunt quasi specifice pro eo quod est *proxime disponere*, et tunc manifestum est ab eis doceri attritionem esse in sacramento paenitentiae dispositionem proximam ad justificationem consequendam, — aut accipiunt hoc verbum *disponere* generice, praescindendo videlicet ab hisce differentiis quae sunt *proxime disponere* et *remote disponere*, et tunc falso asserunt attritionem in sacramento paenitentiae eo discriminari ab attritione extra sacramentum paenitentiae quod in sacramento paenitentiae ad justificationem disponit : sensu quippe praedicto attritio etiam extra sacramentum ad justificationem disponit. Firmum ergo manet id quod argumento supra facto conclusum est, falsam videlicet evadere differentiam a patribus tridentinis assignatam inter habitudinem quam habet attritio ad justificationem intra sacramentum paenitentiae et habitudinem quam habet attritio ad justificationem extra sacramentum paenitentiae, nisi dicatur patres asserendo attritionem ad gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponere, docere voluisse attritionem esse in sacramento paenitentiae dispositionem proxime sufficientem ad justificationem consequendam.

703. — Ceterum ex verbis patrum tridentinorum propius inspectis enascuntur argumenta adhuc validiora, quibus evasio adversariorum plenissime excluditur.

Scilicet 2°, uti antea dictum est, dispositio ad formam proprie est id quod inexsistens subjecto, illud reddit aptum ad suscipiendum in se formam. Sed solummodo per id quod est dispositio proxima, subjectum redditur aptum ad suscipiendum in se formam. Quamdiu enim non adest nisi dispositio remota, subjectum nondum est aptum ad suscipiendum in se formam, sed est solummodo aptum ad suscipiendum in se aliquid aliud, quo adveniente jam evadet aptum ad suscipiendum in se formam. Atque inde est quod solummodo id quod est dispositio proxima, potest vocari simpliciter *dispositio* et dici simpliciter *disponere*. Quando vero agitur de eo quod non est nisi dispositio remota, oportet per aliquid additum diserte significari illud esse dispositionem remotam, ut intellegatur non agi de eo quod est proprie dispositio ad formam, sed de eo tantum quod sui inexsistentia in subjecto parat viam ad id quod est vere dispositio ad formam. Jam vero in hac patrum tridentinorum propositione : « attritio peccatorem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponit, » verbum *disponere* ponitur simpliciter, h. e. ipsi non additur aliquid per quod propria ejus vis significatioque minuatur. Censent ergo patres tridentini attritionem pure formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad gratiam justificationis in sacramento paenitentiae impetrandam.

704. — 3° Quod ad justificationem non ducit tantummodo, sed *perducit*, id nequit esse nisi dispositio omnino proxima et necessitans. Quando ergo patres tridentini affirmant attritionem sine sacramento paenitentiae per se ad justificationem perducere non posse, perinde est ac si dicerent attritionem extra sacramentum non posse esse per se dispositionem proximam ad justificationem. Ceterum, etiam si patres tridentini non essent usi verbo *perducere*, sed verbo *ducere*, adhuc manifestum esset propositione illa negativa quae constituit protasin sententiae ab ipsis enuntiatae, non posse significari nisi hoc, attritionem videlicet extra sacramentum non posse per modum dispositionis proximae ad justificationem conducere. Et hoc propterea, quia patet attritionem extra sacramentum esse ad justificationem dispositionem remotam. Hoc supposito, jam ita arguitur :

Ineptissima esset oppositio quae in phrasi supra citata inducitur a patribus tridentinis inter protasin et apodosin, nisi in apodosi patres de attritione considerata intra sacramentum affirmarent idipsum quod

in protasi de attritione considerata extra sacramentum negant. Sed in protasi de attritione considerata extra sacramentum ipsi negant eam esse dispositionem proximam ad justificationem. Ergo in apodosi de attritione considerata intra sacramentum ipsi idipsum affirmant.

Et sic jam in plenissima luce splendescit quam inanis sit evasio quae supra exclusa est. Nempe si vera esset interpretatio adversariorum, sententia patrum tridentinorum hunc funderet sensum: Quamvis attritio non possit esse sine sacramento dispositio proxima ad justificationem, ipsa tamen in sacramento est ad justificationem dispositio remota. Qua certe enuntiatione nihil potest fingi ineptius. Proponuntur enim per eam tamquam inter se opposita ea inter quae nulla est oppositio.

705. — Tertia probatio sumitur ex eo quod in sacramento paenitentiae non conferri gratiam absque bono motu peccatoris illud sacramentum suscipientis arguunt patres tridentini *ex eo quod secundum documenta scripturarum attritio pure formidulosa est honesta et utilis.* Statim nempe post verba supra citata sic pergunt dicere patres: « *Hoc* enim *timore* utiliter concussi ninivitae ad Jonae praedicationem plenam terroribus paenitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. *Quamobrem,* falso quidam calumniantur catholicos scriptores, *quasi tradiderint sacramentum paenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre,* quod nunquam ecclesia Dei docuit nec sensit, sed et falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam. »

Ut intellegatur quanam ratione haec verba connectantur cum praecedentibus, sciendum est concilio tridentino in iis quae sessione XIV, cap. 4, de attritione tradidit, propositum fuisse damnare errores Lutheri. Docuerat autem Lutherus de attritione duo, nempe a) attritionem ex metu conceptam facere hominem hypocritam et magis peccatorem et b) talem attritionem non sufficere ad sacramentum paenitentiae recipiendum, theologosque catholicos qui hujus oppositum docent, revera docere sacramentum absque bono motu suscipientium gratiam conferre. In oppositione ad duos hosce Lutheri errores concilium tridentinum de attritione duo asserit principaliter, nempe a) attritionem, cujus naturam definit ex iisdem motivis quae a Luthero assignata fuerant, non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, sed, contra, donum Dei esse et impulsum Spiritus sancti, et b) hanc attritionem disponere ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae recipiendam. Tum posteaquam sic asseruisset contra Lutherum veram

de attritione doctrinam, eam pro suo more ex scripturis confirmat. Et primum quidem assertum probat ex eo quod Deus attritionem formidulosam ninivitarum probavit ut bonam et utilem, ninivitis misericorditer parcendo. Secundum vero assertum, in quantum dirigitur contra Lutherum, concilium probat ex eo quod propter hoc ipsum quod attritio pure formidulosa est bona et utilis, apparet falsum esse dicere paenitentes qui cum tali attritione ad sacramentum paenitentiae accedunt, illud sine bono animi motu suscipere.

706. — His praemissis, trifariam ex verbis concilii arguitur pro conclusione hic intenta.

1° *Ex nexu verborum modo citatorum cum praecedentibus.* Hisce videlicet verbis, uti in explicando processu quem tenet concilium, supposuimus et modo jam probandum est, continetur probatio totius doctrinae de attritione a concilio praemissae, h. e. non tantum probatio primi hujus doctrinae capitis, sed etiam secundi. Quod quidem patet dupliciter. *Primo* ex eo quod in instituenda probatione doctrinae eumdem tenet processum concilium quem tenuerat in tradenda doctrina. Nam in tradenda doctrina primum egerat concilium de attritione secundum se et deinde de attritione per comparationem ad sacramentum paenitentiae. Jam vero in tradenda probatione doctrinae concilium similiter primum considerat attritionem secundum se et deinde eam considerat in ordine ad sacramentum paenitentiae. *Secundo* patet in probatione quae doctrinae adjicitur, defendi non modo primum, sed etiam secundum ex duobus assertis quibus doctrina de attritione explicata fuerat ; *secundo id patet,* inquam, ex eo quod, si secus dicatur, processus patrum tridentinorum apparet esse inordinatus. Inter doctrinam enim probandam et ejus probationem inseruisset concilium alia quaedam non pertinentia ad doctrinam probandam, et sic probatio a doctrina quae per eam probanda est, divulsa jaceret, quod apparet esse contra rectam docendi ac probandi methodum.

Hoc praejacto fundamento, tale enascitur argumentum : Probatio alicujus propositionis non dirigitur nisi contra eum qui tenet oppositum illius quod asseritur propositione. Sed haec concilii verba : « Quamobrem falso quidam calumniantur, » etc., diriguntur contra Lutherum ; iis autem intenditur defendi propositio asserens « attritionem ad gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponere. » Ergo haec propositio ponitur in oppositione ad doctrinam Lutheri. Sed non aliter ipsa ponitur in oppositione ad doctrinam Lutheri, nisi quatenus per ipsam intenditur asseri attritionem pure formidulosam esse dispo-

sitionem proxime sufficientem ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam. Ergo talis doctrina intenditur asseri per praedictam propositionem.

Minor quae sub prima conclusione hujus argumenti subsumpta est, facile probatur ex manifestatione doctrinae Lutheri. Lutherus enim docebat attritionem ex timore conceptam non sufficere ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam ; et quia scriptores catholici ipsius aetatis passim hujus oppositum tenebant, propterea eos calumniabatur ac si docerent sacramentum paenitentiae sine ullo bono motu suscipientium gratiam conferre.

707. — Verum quidquid sit de vi hujus primi argumenti, 2° illud certum est, concilium hisce suis verbis : « quamobrem falso quidam calumniantur » etc., agere contra eum Lutheri errorem qui modo assignatus est. Oportet autem in eo errore duo distingui, nempe a) suppositum cui nitebatur Lutherus, et b) propositionem quam tali supposito innixus, docebat. *Suppositum* erat Lutheri catholicos docere attritionem pure formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam. *Propositio* quam tali supposito innixus docebat Lutherus, erat catholicos praefata sua doctrina asserere sacramentum paenitentiae absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Jam vero concilium neutiquam falsitatis incusat suppositum Lutheri, neque illud qualitercumque improbat, sed tantummodo damnat propositionem quam supposito illi innixus docebat Lutherus. Ex quo rursum patet concilium sensisse attritionem pure formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad gratiam in sacramento paenitentiae consequendam. Nam si concilium sensisset cum propugnatoribus amoris initialis solam contritionem quae ex benevolo Dei amore concipiatur, esse dispositionem sufficientem ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam, ante omnia ipsum Lutheri suppositum negare debuisset ; sic enim nullo negotio calumniam quam haeresiarcha in catholicos jaculabatur, retudisset.

708. — 3° Concilium hisce suis verbis: « quamobrem falso quidam calumniantur », etc. non negat, sed verum esse supponit attritionem pure formidulosam esse in sacramento paenitentiae dispositionem proxime sufficientem ad gratiam justificationis. Propositio quippe quae continetur praedictis verbis, causalis est ita ut hunc reddat sensum: *quia attritio pure formidulosa bona est et laudabilis, idcirco falsum est dicere catholicos docere in sacramento paenitentiae conferri gratiam absque bono motu suscipientium.* Jam vero ratio assignata in tali propositione

est impertinens, proindeque ipsa etiam haec propositio, in quantum est causalis, est falsa, nisi supponatur attritionem pure formidulosam esse per se dispositionem proxime sufficientem ad suscipiendam gratiam in sacramento paenitentiae. Nam si attritio pure formidulosa non sit dispositio proxime sufficiens, ergo non quia ipsa est bonus motus, sed tantummodo quia amor Dei initialis est bonus motus, verum erit dicere in sacramento paenitentiae non conferri gratiam absque bono motu suscipientium. Sive, quod idem est, si attritio pure formidulosa non sit dispositio proxime sufficiens, ea attritio poterit quidem esse bonus motus receptionem sacramenti paenitentiae praecedens, non tamen ipsa erit bonus ille motus cum quo recipitur illud sacramentum. Ille quippe bonus motus est dispositio habilitans peccatorem ad recipiendam gratiam sacramentalem, et de tali solummodo bono motu erat quaestio cum Luthero.

709. — **Dices** concilium hisce verbis : « quamobrem » etc., agere quidem vindicias eorum scriptorum catholicorum quos Lutherus suis calumniis impetiverat ; non tamen eam propterea suam facere horum scriptorum doctrinam. Solummodo proinde ex verbis concilii concludi posse scriptores illos catholicos supposuisse attritionem esse in sacramento dispositionem proxime sufficientem ad gratiam, non vero concludi posse hanc esse suppositionem ipsius concilii.

Respondetur 1) non esse consuetudinem conciliorum agere vindicias doctrinae quae non sit undequaque vera. — 2) Concilium satis aperte significat doctrinam scriptorum illorum catholicorum quorum vindicias agit, non modo fuisse communem inter theologos catholicos qui aetate concilii scribebant, sed eorum doctrinam fuisse ab ecclesia approbatam. Significat enim concilium Lutherum, calumniando scriptores catholicos, doctrinam ipsius ecclesiae impetiisse. Nam, si existimassent patres tridentini non agi nisi de doctrina theologorum quorumdam, non dixissent post memoratam calumniam Lutheri : *quod nunquam ecclesia Dei docuit nec sensit,* verum ita locuti essent : *quod nunquam scriptores illi docuerunt nec senserunt.*

710. — **Tertium argumentum** sumitur *ex consensu theologorum qui sub tempora concilii tridentini vel temporibus quae proxime insecuta sunt, scripserunt.* Argumentum est hujusmodi : 1° Quorsum spectet doctrina de attritione quam tradunt patres tridentini in sess. XIV, cap. 4, nulli profecto melius cognoscere potuerunt quam ii theologi qui proxime post habitam sessionem XIV scripserunt. Quidam enim eorum, uti Melchior Canus, Andreas Vega et Antonius Corduba, concilio inter-

fuerant, plures cum iis qui concilio interfuerant, vel praesentes vel absentes agebant; ad omnes denique notitia de iis quae in concilio acta fuerant, facillime deferri potuerat. Jam vero omnes ferme ii theologi defendunt sufficere attritionem pure formidulosam ad fructuose recipiendum sacramentum paenitentiae. Quodque caput est, hanc sententiam eo praecipue nomine asserunt quod haec sit doctrina tradita a concilio tridentino in sessione XIV, cap. 4. Et quidem nonnulli eorum, uti Bartholomaeus Medina, asserunt hanc doctrinam esse in praedicta sessione definitam a concilio; alii asserunt eam esse ita certam ut sine errore vel temeritate negari non possit. Eademque ratione innixi tenuerunt eamdem sententiam omnes insigniores theologi qui saeculo XVI floruerunt, ac nominatim Bellarminus, Vasquez, de Valentia, Suarez, et, quidquid Morinus in oppositum asserat, etiam Toletus.

Illud certum est, magis de mente concilii esse credendum theologis saeculi XVI quam contritionistis iis academiarum parisiensis et lovaniensis qui saeculo post habitum concilium scripserunt.

2° Lutherus testis est reprobatam a se sententiam de sufficientia attritionis pure formidulosae fuisse sua aetate inter scriptores catholicos communem. Exprobrat enim scriptoribus catholicis quod finxerint quamdam attritionem ex timore conceptam amorisque expertem quae virtute clavium fieret contritio. Nec Lutherum, quantum attinet ad quaestionem facti, esse in hac re mentitum, patet — tum a) ex eo quod Sylvester Prieras, Joannes Fischerus episcopus Roffensis et martyr, et Ruardus Tapperus, qui omnium primi ad defendendam fidem catholicam in aciem contra Lutherum descenderunt, hanc de sufficientia attritionis pure formidulosae sententiam ab ejus calumniis vindicaverunt, — tum b) vel maxime ex ipso adeo testimonio concilii tridentini in fine capitis 4 sessionis XIV. Nam asserens ibi concilium Lutherum calumniatum esse scriptores catholicos, videtur hoc nomine scriptorum catholicorum significare in universum omnes hujus temporis theologos, ac si videlicet omnibus sese probasset sententia de sufficientia attritionis pure formidulosae quam damnabat Lutherus. Hinc porro non levis suppeditatur conjectura, patrum tridentinorum de attritione pure formidulosa sententiam non fuisse aliam quam eam quae tempore concilii erat inter theologos communissima.

3° Sententia asserens amorem Dei super omnia propter se dilecti esse necessarium ad recipiendum sacramentum paenitentiae, non est quidem ut haeretica dammanda, praejudicio tamen falsitatis videtur

laborare propter haec quattuor, quae sunt totidem facta historica. a) Ejus fundamentum posuit Baius eamdemque diserte docuit Jansenius, qui omnia ferme argumenta protulit quibus deinde auctores hujus sententiae pro ea pugnaverunt. b) Ea primum iis in locis constitit ubi baianismus et jansenismus nati fuerant vel invaluerant maxime, nempe in academiis parisiensi et lovaniensi, eademque c) simul cum jansenismo propagari et dilatari coepit. Ea sese d) probavit omnibus qui jansenismo favebant interque praecipuos ejus propugnatores numerantur Joannes Neercassel episcopus castoriensis, Joannes Opstraet et Macarius Havermans, qui janseniana labe non immunes fuerunt. (Cf. Palmieri, Tract. de paenit. pp. 351-352).

Solvuntur difficultates.

711. — Pugnant necessitatis amoris initialis assertores pro sua sententia auctoritate concilii tridentini, scripturae, patrum et veterum theologorum. Et quidem a patribus tridentinis tria autumant sibi suppeditari argumenta seu potius summa argumentorum capita, quorum primum desumitur e verbis capitis 4 sessionis XIV^{ae}, secundum ex praeviis consultationibus a patribus habitis ad formandum decretum quod capite eo 4 sessionis XIV^{ae} expressum est, ac tertium denique ex sessionis VI^{ae} capite 6, ubi agitur de dispositionibus ad justificationem requisitis. Estque hoc postremum argumentum eorum Achilles. Haec partis adversae fundamenta jam ordine proponenda ac dispicienda sunt.

712. — Quod itaque attinet ad argumentationem quam adversarii instituunt ex verbis capitis 4 sessionis XIV^{ae}, haec tota quanta eo collineat ut ostendatur contritionem imperfectam quam et attritionem patres tridentini appellant, ex mente horum patrum essentialiter includere amorem Dei benevolum super omnia. Ad hoc igitur efficiendum

713. — Arguunt I°, duce Jansenio (in Augustino, tom. III, de gratia Christi, lib. V, cap. 26), *ex natura illius contritionis quam patres tridentini in principio capitis 4 sessionis XIV ponunt esse partem sacramenti paenitentiae.* Argumentum est hujusmodi : a) Ad significandam eam contritionem quae est pars sacramenti, patres utuntur simpliciter nomine contritionis ; sed contritio simpliciter usurpata non nominat nisi dolorem conceptum ex motivo bonitatis divinae super omnia propter se dilectae ; ergo. b) Patres hanc contritionem definientes, dicunt eam esse detestationem, peccati ; censent ergo eam non posse oriri nisi ex benevolo

Dei amore super omnia. Peccatum enim, in quantum hujusmodi, est offensa Dei; unde non odit peccatum nisi qui illud odit, ut est offensa Dei; non autem odit aliquis peccatum, ut est offensa Dei, nisi quatenus illud odit ex motivo bonitatis divinae propter se dilectae: ex sui quippe oppositione ad bonitatem divinam habet peccatum rationem offensae Deo irrogatae. — c) Contritio quae sit pars sacramenti, includit secundum definitionem patrum tridentinorum propositum non peccandi de cetero; nequit ergo secundum ipsos oriri nisi ex dilectione benevola Dei, eo quod quamdiu aliquis non dolet de peccatis nisi ex timore, ipse adhaeret peccato habetque voluntatem peccandi. — d) Contrionem quae sit pars sacramenti, aiunt patres quovis tempore fuisse necessariam ad impetrandam remissionem peccatorum; sed tempore antiquae legis peccata non remittebantur nisi propter contritionem conceptam ex motivo caritatis. — e) Testimonia ad quae provocant patres veluti exhibentia conceptum illius contritionis quae est pars sacramenti, non exhibent nisi contritionem ex motivo caritatis profectam.

714. — Respondetur ad 1^m^ *distinguendo assumptum hoc modo*: Contritio sumpliciter usurpata non nominat nisi dolorem de peccatis ex motivo caritatis conceptum, si fiat sermo de usu hujus vocis apud veteres quosdam scholasticos, qui illud nomen exclusive proprium faciebant ei contritioni quam nos appellamus contritionem perfectam, quique idcirco contritionem simpliciter sumptam semper accipiebant in oppotione ad attritionem, *Conc.* Si fiat sermo de usu hujus vocis apud patres tridentinos, qui illud nomen accipiunt ut genus sub se continens tum contritionem perfectam tum etiam attritionem, *Neg.*

Argumentum adversariorum esse misere sophisticum patet tripliciter. *Primo* ex eo quod vim hujus vocis contritionis metitur ex usu veterum quorumdam scholasticorum, cum tamen, uti nimis est manifestum, ea magis metienda esset ex usu theologorum qui tempore concilii tridentini floruerunt. *Secundo* idem patet ex eo quod, dum imponit patribus tridentinis usum loquendi veterum quorumdam scholasticorum, quantum ad significationem quae subjicienda sit nomini contritionis, simul supponit a patribus tridentinis accipi nomen attritionis in sensu contrariante usui omnium omnino theologorum qui usque ad tempora concilii tridentini floruerunt. Nunquam enim sive a veteribus scholasticis sive a theologis qui tempore concilii tridentini scribebant, adhibitum est nomen attritionis ad significandum dolorem de peccatis ex motivo caritatis oriundum. *Tertio* denique idem patet ex eo quod cum patres tridentini contritionem quae sit pars sacramenti, dividunt in

contritionem perfectam et contritionem imperfectam sive attritionem, ipsi unam contritionis speciem distinguunt ab altera non penes gradum doloris magis vel minus intensum, sed penes motiva omnino diversa.

715. — **Respondetur ad 2m** *negando consequentiam. Ad probationem consequentiae sic distinguitur:* Non odit peccatum, ut est offensa Dei, qui in peccato, *prouti est objectum detestationis,* non attingit materialiter rationem offensae Dei, *Conc.* Qui peccatum non attingit sub formali ratione offensae Dei, *Neg.* vel *subdist.*: Si hac propositione reduplicante : *ut est offensa Dei,* intendatur designari *ratio motiva detestationis*, *Conc.* Si ea propositione intendatur designari ratio unde habet peccatum ut nectatur cum motivo sub quo illud peccator detestatur, *Neg.*

Adversarii, praedicto modo objicientes ludunt in aequivoco. Potest enim hoc incisum : *ut est offensa Dei*, vel significare *rationem se tenentem ex parte objecti materialis unde habet peccatum ut connectatur cum motivo illud detestandi*, vel potest significare ipsam *rationem motivam detestationis.* Sufficit autem peccatum, ut est offensa Dei, attingi priore modo, ad hoc ut vere dici possit ipsum, ut est peccatum, esse objectum detestationis et odii. Sic v. g. aliquis vere ac proprie dicitur odisse ac detestari aliquem hominem, licet ipsum non detestetur sub formali ratione hominis, sed sub formali ratione alicujus sibi malum inferentis.

716. — **Respondetur ad 3m** falsitatem Minoris patere ex disputatione habita capitibus superioribus.

717. — **Respondetur ad 4m** de contritione generice sumpta, h. e. de contritione, prouti praescindit a differentiis contritionis *perfectae* et contritionis *imperfectae* affirmari a concilio eam quovis tempore fuisse necessariam. Non vero doceri a concilio speciem aliquam contritionis quae aliquo tempore fuerit necessaria, fuisse omni tempore necessariam.

718. — **Respondetur ad 5m** in loco capitis 4 quem respicit Jansenius, testimonia scripturae eum tantummodo in finem adduci a concilio ut ostendat contra Lutherum contritionem eam quae quovis tempore fuit necessaria, debere non solum continere cessationem a peccato et novae vitae propositum, sed etiam vitae anteactae detestationem. Hunc esse unum concilii scopum patet a) ex doctrina immediate ante a concilio praemissa, cum qua doctrina hisce verbis: *juxta illud*, concilium connectit testimonia scripturae tanquam continentia probationem dictorum. Idem patet b) ex conclusione quam ex allegatis scripturae testimoniis concilium elicit: haec nempe conclusio nihil aliud continet quam doctrinam quae allegationi testimoniorum immediate ante prae-

missa fuerat. Jam vero 1° talis concilii scopus nihil nostrae sententiae officit; totum quippe illud quod ex testimoniis allegatis concluditur a concilio, verificatur de attritione peraeque atque de contritione perfecta. Aliunde 2° licet concilium non adducat nisi testimonia scripturae contritionem perfectam exhibentia, ejus probatio contra Lutherum directa est efficax; quandoquidem Lutherus, negando detestationem peccatorum esse necessariam ad paenitentiam, generatim de omni paenitentia salutari loquebatur. Immo 3° ad confutandum errorem Lutheri expediebat non afferre nisi testimonia exhibentia contritionem perfectam ; quia Lutherus non aliam paenitentiam salutarem admittebat nisi eam quae innitatur motivo caritatis.

719. — **Arguunt II°** contendendo concilium significare se loqui de attritione quae remote dumtaxat procedat ex timore gehennae, proxime vero eliciatur ex motivo initialis amoris Dei super omnia. Ex quo concludunt, quando concilium affirmat attritionem disponere ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam, hoc non posse intellegi nisi de attritione quae proxime et elicitive oriatur ex amore caritatis.

Probant autem Antecedens dupliciter. *Primo* ex eo quod concilium non loquatur nisi de attritione quae *excludat voluntatem peccandi;* talem autem attritionem necesse sit proxime et elicitive oriri ex motivo caritatis. *Secundo* probant idem Antecedens ex eo quod ad indicandum ortum attritionis ex motivo timoris, concilium utatur verbo *concipere;* hoc porro verbum significet respectum ad motiva extrinseca excitantia ad actum, non vero ad motiva intrinseca specificantia actum. Et propterea, uti pergunt arguere, concilium, quando in sessione XIV, cap. 4, loquitur de motivis attritionis, nihil aliud indicat nisi id quod fusius declaraverat in sessione VI, cap. 6, praeparationem videlicet ad justitiam incipere a timore servili, deinde procedere per spem et dilectionem Dei initialem et inde devenire ad odium et detestationem peccatorum. In quo processu aiunt timorem gehennae esse quidem primum motivum excitans ad odium peccati, solum tamen motivum intrinsece specificans illud odium esse initialem Dei dilectionem super omnia.

Respondetur *negando Antecedens. Ad primam probationem Antecedentis dicitur* concilium aperte significare attritionem ex metu gehennae conceptam posse excludere per se solam voluntatem peccandi; subjectum quippe hujus incisi: *si voluntatem peccandi excludat,* esse illam attritionem per se sumptam, non vero illam attritionem sumptam in suo complexu cum amore aliquo initiali. Adde quod, quando dicunt adversarii solo timore gehennae non posse excludi voluntatem peccandi,

eos jam non arguere ex verbis concilii, sed aliunde, immo eos potius contradicere verbis concilii.

Ad secundam probationem Antecedentis dicitur significationem quam adversarii tribuunt verbo *concipere,* esse ad arbitrium confictam neque ullum habere fundamentum in communi usu loquendi.

Ceterum Antecedens cum utraque ejus probatione aperte excluditur scopo patrum tridentinorum, qui erat damnare errorem Lutheri dicentis attritionem facere hominem hypocritam et magis peccatorem. Hunc enim scopum non attigisset concilium, si de alia attritione locutum fuisset atque de ea de qua loquebatur Lutherus. Jam vero Lutherus loquebatur de attritione ex solo timore gehennae concepta omnisque amoris Dei experte. Loquebatur enim de « contritione extra caritatem, non meritoria, » quae sunt propria ejus verba. Exprobrabatque catholicis quod cum attritione quae non ex amore, sed ex timore procederet, ponerent peccatorem posse justificari in sacramento.

720. Arguunt III° ex eo quod de attritione ex metu gehennae concepta non asserat concilium per eam impetrari gratiam in sacramento, sed tantummodo per eam disponi peccatorem ad impetrandam tempore adhuc futuro gratiam. Ex quo inferunt juxta concilium non impetrari gratiam de praesenti in sacramento, nisi ad attritionem ex metu gehennae conceptam accedat amor Dei initialis sive contritio minus intensa ; proindeque secundum concilium non solum extra sacramentum, sed etiam intra sacramentum attritionem ex metu gehennae conceptam non esse nisi dispositionem remotam ad gratiam.

721. — Respondetur 1° hoc argumentum non cohaerere cum reliqua adversariorum argumentatione. Reliquis enim eorum argumentis intenditur probari attritionem de qua loquitur concilium, includere amorem Dei initialem ; modo vero supponitur hanc attritionem non includere amorem Dei initialem.

Respondetur 2° argumentum adversariorum esse inanem cavillationem. Sive enim de dispositione remota sive de dispositione proxima sit sermo, verbum *disponere,* quando ad talem dispositionem significandam adhibetur, nequit construi nisi cum verbo participii passivi futuri.

722. — Arguunt IV° ex eo quod post haec verba : [attritio] « ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponit, » patres tridentini jam rationem reddituri hujus sui asserti, sic pergunt dicere : « *Hoc enim timore* utiliter concussi ninivitae, ad Jonae praedicationem *plenam terroribus* paenitentiam egerunt et misericordiam a Domino impetrarunt. » Unde ita : Secundum patres tridentinos attritio ex

timore concepta, est in sacramento paenitentiae dispositio ad impetrandam gratiam eum ad modum quo attritio ninivitarum ex timore concepta eos disposuit ad impetrandam misericordiam Dei. Sed timor ninivitarum non fuit nisi dispositio remota ad impetrandam misericordiam Dei, uti patet ex eo quod in vetere testamento nemo justificabatur nisi per contritionem perfectam. Ergo etiam in sacramento paenitentiae attritio ex timore concepta, non est nisi dispositio remota ad impetrandam gratiam, solus vero dolor ex amore Dei conceptus, est ad gratiam in sacramento recipiendam dispositio proxima. Ita Pallavicini et post eum contritionistae omnes.

723. — **Respondetur** *negando suppositum in quo nititur argumentum,* nempe exemplum paenitentiae ninivitarum adduci a concilio ad reddendam rationem eorum quae immediate ante docuerat. Connectitur enim hoc exemplum causaliter non cum contextu immediato, sed cum contextu mediato. Uti nimirum antea ostensum est, concilium, postquam doctrinam de attritione duobus assertis complexum erat, jam ordine probat utrumque assertum. Proindeque exemplo paenitentiae ninivitarum in hoc utitur ut probet attritionem pure formidulosam esse bonam et honestam ; hoc enim fuerat primum ejus assertum. Est autem haec probatio efficax, — tum quia timorem ninivitarum Deus ipse praedicatione Jonae minarum plena incusserat, — tum quia ratione suae paenitentiae formidulosae ninivitae impetrarunt a Deo praeservationem a ruina suae civitatis.

Est et alterum suppositum adversariorum sine quo non concludit eorum argumentum, etiamsi concederetur primum suppositum. Supponunt videlicet misericordiam illam a ninivitis impetratam de qua loquuntur patres tridentini, non constitisse in praeservatione a malis temporalibus quae Deus minabatur, sed in gratia justificationis. Indeque concludunt paenitentiam formidulosam ninivitarum non fuisse nisi dispositionem remotam ad misericordiam impetrandam. Jam vero hoc alterum suppositum, licet non sit certo falsum, est tamen incertum. Verum quidquid sit de hoc, sufficit prima responsio.

724. — **Arguunt V°** ex scopo quem in tradenda doctrina de attritione spectavit concilium. Argumentum sic concipi potest : Quid patres tridentini in sess. XIV, cap. 4, de attritione doceant, non aliunde melius judicari potest quam ex fine quem spectabant in hac doctrina tradenda, qui finis erat refellere et damnare errorem Lutheri. Sed ad hunc finem satis erat definiri attritionem servilem esse bonum et utilem dolorem, nihil vero ad hoc attinebat ferre sententiam de scholastica quaestione an hujus-

modi timor, absque eo quod ullus excitetur amor Dei imperfectus, sufficiat ad remissionem peccatorum in sacramento paenitentiae. Ergo prius tantum horum, non vero posterius patres tridentini in suo de contritione decreto definierunt vel docuerunt. Ita rursum Pallavicini, in Historia concili tridentini, libro XII, cap. 10, cujus verba avide exscribunt omnes necessitatis amoris initialis patroni.

725. — **Respondetur** 1° Majorem simpliciter negari posse, si quaestio moveatur non modo de eo quod patres diserte definierunt, sed de eo etiam quod ipsi mediate saltem docuerunt. Nihil enim obstat quominus patres concilii occasione alicujus veritatis fidei quam definiunt, doceant alia quaedam quae qualitercumque cum veritate quam definire intendunt, connectantur. Et propterea ex ipsis verbis decreti capite 4 sessionis XIV comprehensi determinandum est quidnam patres de vi attritionis servilis in sacramento senserint.

At vero nihil nobis opus est hac responsione. Nihil enim magis sententiam adversariorum oppugnat quam principium in quo nititur eorum argumentum.

Quare **respondetur** 2° *transmittendo Majorem, sed simpliciter negando Minorem.* Est enim factum historicum de quo luculentissime constat tum ex Lutheri Sermone 2° de paenitentia et disputatione lipsiaca — tum ex scriptis eorum theologorum catholicorum qui, uti Roffensis martyr, Tapperus et Sylvester Prieras cum Luthero primo congressi sunt, docuisse Lutherum de attritione servili haec duo, nempe a) eam vitiosam esse et continere genus quoddam hypocrisis, et b) scriptores catholicos, eo quod asserant attritionem servilem in sacramento sufficere, sentire virtute sacramenti posse peccatores sine ullo bono eorum motu justos effici. Proindeque ad plene confutandum Lutherum conferebat etiam assertio doctrinae de sufficientia attritionis servilis in sacramento paenitentiae. Et licet hanc doctrinam concilium noluerit conceptis verbis definire, intellegitur tamen ex dictis quomodo in agendo contra Lutherum concilium ea asseruerit quibus haec doctrina mediate continetur.

726. — **Arguunt VI°** ex canone quinto sess. XIV hunc in modum : Si animus concilio fuisset quaestionem de sufficientia attritionis servilis decidere, id praestitisset in canone 5° sessionis XIV, ubi naturam et vim hujus attritionis exponit. Atqui eo loci id unum statuit concilium contra Lutherum, attritionem non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, sed esse verum et utilem dolorem atque ad gratiam praeparare ; an vero absque dilectione Dei ad sacramentum paenitentiae

fructuose recipiendum sufficiat, de eo ne unum quidem verbum toto eo canone habetur. Ergo.

727. — **Respondetur** 1° *negando simpliciter Majorem.* Etenim a) quod uno loco non docet concilium, potest alio loco docere ; sic porro nos contendimus sufficientiam attritionis servilis ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam asseri a concilio in sessione XIV, cap. 4, ubi fusius et enucleatius traditur doctrina de attritione quam in canone 5 ejusdem sessionis.

Quod si adversarii intendant dicere in solis canonibus, non vero etiam in capitibus contineri doctrinam fidei, id falsum esse apparet ex verbis quibus concilium concludit doctrinam quam de sacramentis paenitentiae et extremae unctionis in solis capitibus hactenus tradiderat. Sic videlicet in fine horum capitulorum pronuntiant patres : « Haec sunt quae de paenitentiae et extremae unctionis sacramentis haec sancta oecumenica synodus profitetur et docet *atque omnibus Christi fidelibus credenda et tenenda proponit.* »

Respondetur 2° *transmittendo Majorem et negando Minorem.* Falsitas quippe Minoris apparet dupliciter *Primo* ex eo quod in canonibus compendio traditur doctrina quae uberius in capitibus fuerat exposita. Hinc videlicet fit ut haec verba canonis 5 citati: *et praeparare ad gratiam,* intellegenda sint de praeparatione ad gratiam in sacramento. Compendiatur quippe hisce verbis haec explicatior enuntiatio capitis 4 : « Quamvis sine sacramento paenitentiae [attritio] per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, *tamen eum ad Dei gratiam in sacramento paenitentiae impetrandam disponit.* » *Secundo* patet falsitas Minoris ex eo quod canon ille quintus est tantum continuatio et fusior explicatio canonis quarti superioris. In canone quippe quarto generaliter et sine ulla restrictione de contritione definiverat concilium eam esse *partem et materiam sacramenti.* Tum canonem quintum incipit dicendo : « Si quis negaverit *eam contritionem,* » etc. Ubi sane — tum ipso nomine contritionis quo utitur — tum dicendo: « eam contritionem,» significat se loqui de specie aliqua illius contritionis quam canone quarto definiverat esse partem sacramenti. Contritio ergo de qua agitur in canone 5° est contritio sacramentalis, proindeque gratia ad quam in eo canone dicitur ea contritio praeparare, nequit intellegi alia quam gratia sacramentalis.

728. — **Secundum argumentum principale** *partis adversae* sumitur ex actis a concilio tridentino in sessione XIV ab eminentissimo cardinali Pallavicino enarratis. Ad quattuor autem potissimum adversarii provocant.

A. In consultatione quae sessioni XIV praemissa est, quidam ex minoribus theologis censuerunt actibus qui ad justificationem in sacramento disponunt, dilectionem Dei esse adnumerandam. Erant autem hi theologi omnino quinque, Jacobus Lainius summi pontificis theologus, postmodum societatis Jesu praepositus generalis, Jacobus Ferrusius et Melchior Avosmedianus, doctores hispani, Bernardus Colloredus dominicanus, et Franciscus Contreia ex ordine minorum observantium. (Cf. card. Pallavicini, Historia Conc. trid., libro XII, cap. 10.)

Unde ita arguitur: Incredibile est patres tridentinos voluisse suo decreto de contritione proscribere sententiam quae in consessibus praeviis in ordine ad consultandum de hoc decreto habitis, a pluribus insignibus theologis asserta atque defensa fuerat. Atqui in consessibus hisce praeviis sententia asserens necessariam esse dilectionem Dei ad gratiam in sacramento recipiendam a theologis pluribus iisdemque insignibus asserta ac defensa erat. Ergo incredibile est hanc sententiam de necessitate dilectionis patres in suo decreto de contritione proscripsisse. Sive, quod idem est, mens patrum in eo decreto condendo non eo potuit ferri ut stabiliretur sententia opposita docens sufficere attritionem pure servilem ad gratiam in sacramento consequendam.

B. An in sacramento sufficiat attritio sine Dei amore necne, non est quaestio quae data opera tractata est a patribus concilii in congregationibus quae formando decreto de contritione praemissae fuerunt. Ita enim perhibet cardinalis Pallavicini ibidem : « In patrum conventu id pauci attingerunt. Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris in eis quae Granatensis disputavit. At vero Joannes Aemilianus hispanensis, tudetanus antistes, extremum oppositae sententiae tenuit, hoc est, opus esse contritione perfecta, nec tamen hinc argui per sacramentum peccata non remitti, quippe quae sacramentum jam invenit remissa praeeuntis contritionis efficacitate. Si quidem, aiebat, ipsa contritio id praestat virtute sacramenti, cujus votum in ea continetur. »

Inde ita arguitur: Non solet definiri vel decidi a conciliis aliqua quaestio quae in congregationibus praeviis patrum non diu multumque in utramque partem data opera disputata sit. Sed teste cardinali Pallavicino quaestio an in sacramento sufficiat attritio amoris vacua, non est data opera disputata in congregationibus praeviis patrum tridentinorum ; immo hanc quaestionem vix unus alterve ex patribus attigit. Ergo haec quaestio non est decisa a patribus tridentinis in suo decreto

de contritione ; proindeque falso contenditur eo decreto doceri attritionem pure servilem sufficere in sacramento ad recipiendam gratiam.

C. Narrat Pallavicinus prius conceptum fuisse aliud decretum de contritione, sed illud reformatum fuisse a patribus in eam decreti formam quam exhibet caput 4 sessionis XIV. « Praeterea oportet scire, inquit historicus, postea decretis doctrinam complexis verba haec fuisse adjecta : Illam contritionem quam theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit et solum vel ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit haec sancta synodus et declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur), verum etiam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo paenitens adjutus, cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam munit, et per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. Sed laudatus episcopus (Tudetanus) monuit, falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse : quod autem haec attritio satis esset sacramento constituendo, ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare auctorum sententias, adeoque id esse tollendum: quamobrem decretum, sicut nunc exstat, reformatum est et prout a nobis referetur. » (loco supra citato)

729. — **Ex his ita arguunt:** Patres tridentini non eam doctrinam de attritione sanciverunt quam diserte attestati sunt se nolle sancire. Sed ipsi diserte attestati sunt se nolle sancire sententiam asserentem attritionem servilem sufficere in sacramento ad gratiam impetrandam ; quia enim talis sententia docebatur in decreto prius concepto, idcirco jusserunt emendari hoc decretum ; nec solum jusserunt tolli haec verba : *attritionem sufficere ad sacramenti constitutionem,* verum etiam jusserunt expungi particulum *solum* et vocem *timor servilis,* ne videlicet aliquis credere posset attritionem de qua fit sermo in decreto, proficisci ex solis motivis metus et considerationis foeditatis peccati, quae sola ibi aperte assignantur. Nullo ergo pacto in decreto quod capite 4 sessionis XIV expressum est, continetur doctrina de sufficientia atfritionis pure servilis in sacramento.

730. — D. Teste historico, rejectus est a patribus canon definiens omnem caritatem Dei esse per se justificativam. « Canon quoque para-

tus fuerat, inquit, ubi damnabatur quisquis negaret, contritione, qua paenitens divina gratia per Christum cooperante dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi et satisfaciendi remitti peccata. Sed Balthasar Eredia calaritanus archiepiscopus admonuit, cum ea esset Cajetani et Hadriani sententia, damnandam non esse. » (loco supra citato)

731. — **Unde ita arguitur:** Patroni attritionis pure formidulosae haut modicum praesidium suae sententiae in eo collocant quod secundum doctrinam contentam capite 4 sess. XIV omnis contritio ex caritate profecta reconciliet cum Deo antequam sacramentum actu suscipiatur. Sed falsum est talem doctrinam eo capite contineri ; patres quippe diserte attestati sunt se nolle definire illud caput doctrinae : propterea enim rejecerunt canonem qui talem doctrinam continebat.

732. — Priusquam haec argumenta diluantur, quaedam in antecessum adnotanda sunt.

1° Suspecta est nobis in re praesenti narratio cardinalis Pallavicini. Non quod malam fraudem aut dolum in historico suspicemur, sed quod haut obscure apparet eum studio defendendi suam de necessitate dilectionis sententiam scripsisse ea quae refert de dictis et gestis in sessione XIV concilii tridentini. Praefabatur illo capite 10 libri XII primae suae historiae partis grande volumen nasciturum, si referre vellet omnes quae dictae essent sententiae, quae productae auctoritates a majoribus minoribusque theologis. Et quid tandem profert ex ingenti hac sententiarum mole ? Quinque minorum theologorum sententias, *concordes omnes*, ut videbatur, in asserenda necessitate dilectionis Dei, tum duas patrum sententias, unam Granatensis, qui necessitatem dilectionis visus est repudiare, alteram Tudetani, qui affirmavit necessitatem contritionis perfectae in sacramento. Et tamen promiserat se singularia quaedam adnotaturum, *ex quibus palam fieret seu sententiarum discrepantia in consiliis ante sessionem habitis, seu patrum mens in aliquo decreto.* Praetervolat omnia alia capita sessionis XIV, in uno moratur capite IV, cumque texit decreti eo capite contenti historiam, non modo studiose conquirit omnia facta quae suae sententiae qualitercumque faveant, sed aperte suscipit hujus suae sententiae patrocinium, conjecturis et argumentis pro ea pugnans. Suscipimus ergo facta quae narrat historicus, sed alia facta desideramus. Conjecturas vero ipsius veluti inanes spernimus : nulla enim affert facta quae iis probabilitatem aliquam concilient.

2° Vel ex solis factis quae refert cardinalis Pallavicini manifestissi-

mum redditur patres plerosque tridentinos in ea fuisse sententia, attritionem pure formidulosam esse dispositionem proxime sufficientem ad gratiam in sacramento recipiendam. Quomodo enim, si secus esset, conceptum fuisset *in praevio patrum conventu* prius decretum in quo ea sententia diserte affirmabatur ? His praemissis,

733. — **Respondetur ad** 1m *distinguendo Maj. :* Incredibile est patres diserte et conceptis verbis damnasse sententiam quae quibusdam theologis quorum consiliis utebantur, arridebat, *Trans. Maj.* Incredibile est patres talem sententiam virtualiter sive mediate docuisse, *Neg. Maj. et, contradistincta Min., neg. Conseq.*

De mente concilii judicandum est ex sententia quae in praeviis consultationibus praevaluit et in sessionibus conciliaribus tandem sancita est, non vero ex unius alteriusve theologi in consilium adhibiti privata sententia. Sane, adversariis haut diffitentibus, sententiam Tudetani asserentis necessitatem contritionis perfectae satis aperte exclusit concilium in principio capitis 4, et tamen Tudetanus sedebat in consessu patrum concilii.

734. — **Respondetur ad** 2m *concedendo Majorem, sed distinguendo hoc modo Minorem :* Quaestionem de sufficientia attritionis pure servilis in sacramento patres in praeviis consultationibus data opera non agitasse, est nuda conjectura Pallavicini, cui refragantur facta quae ab ipso Pallavicino narrantur, *Conc. Min.* Est factum de quo historice constet ex narratione historici, *Neg. Min. et sub data distinctione neg. Consequens.*

Uti narrat Pallavicinus capite 10 supra citato, n. 28, paulo post conceptum decretum illud quod postea reformatum est, pontificis legatus in quadam congregatione generali habita die 5 Novembris, cum hortaretur patres ut vellent breves esse modumque brevitatis hunc proponeret, *ut ex censuris et adnotationibus minorum theologorum conciperentur canones et decreta offerenda ac subjicienda judicio patrum,* fortiter contradixit Granatensis, affirmans plura quandoque melius animadverti a patribus quam ab inferioribus theologis, tandemque praevaluit ejus sententia, ut *sicuti prius factum erat, nullius decreti forma seu idea conciperetur nisi praevia consultatione patrum.* Ergo decretum illud prius in quo expressis verbis affirmabatur *sufficientia attritionis pure formidulosae,* non fuit conceptum nisi ex consultatione patrum. Tractata est ergo inter patres ex professo quaestio de sufficientia attritionis pure formidulosae.

735. — **Respondetur ad** 3m *distinguendo Maj. :* Patres non diserte inculcant caput 4 sessionis XIV doctrinam quam attestati sunt se

nolle definire, *Conc. Maj.* Non mediate et virtualiter potuerunt tradere talem doctrinam, *Neg. Maj.* et, *contradistincta Minore, nego Conseq.*

Nihil nostrae causae nocet reformatio decreti prius concepti. Ratio enim reformandi decreti fuit potissimum ne aperte damnaretur sententia Magistri asserentis necessitatem contritionis perfectae in sacramento. Huic quippe sententiae adhaerebat Tudetanus qui decreto intercessit. Jam vero, ipsis adversariis haut dissentientibus, sententia Magistri excluditur in capite 4 sessione XIV non quidem disserta definitione, sed satis manifesta collectione ex iis quae capitibus 3 et 4 docent patres tridentini. Sicuti ergo, non obstante hoc quod patres noluerunt aperte damnare sententiam Magistri, ipsi potuerunt hanc sententiam excludere doctrina sua mediata et virtuali, ita et sententiam de sufficientia attritionis quam noluerunt definire ea etiam de causa ne aperte damnaretur sententia Magistri, ipsi nihilominus potuerunt tradere doctrina sua mediata et virtuali. Et ita revera factum esse patet tum ex ipsis verbis decreti reformati tum ex collatione hujus decreti cum decreto prius concepto. In decreto enim prius concepto accipiebantur pro synonimis haec duo : nempe a) attritionem pure formidulosam ad constitutionem sacramenti sufficere, et b) hanc attritionem ad Dei gratiam facilius impetrandam disponere. Jam vero hoc posterius assertum in decreto reformato retentum est, additis hisce verbis : *in sacramento,* quae in decreto prius concepto supplenda erant ex contextu.

Nec nobis nocet expunctio vocum *solum* et *timoris servilis ;* vis enim earum vocum retenta est in decreto reformato, uti satis manifestum est.

736. — **Respondetur ad** 4^{m} idem quod jam responsum est ad 3^{m}. Nempe canon ille quo definiebatur omnem caritatem Dei esse per se justificativam, rejectus est quidem a patribus, quia noluerunt aperte damnare sententiam Magistri ; idipsum tamen quod diserta definitione in eo canone tradebatur, mediata et virtuali sua doctrina tradiderunt patres in capite 4 sessionis XIV. Adde quod ex eo canone per se sumpto, utut finali approbatione caruit, sumitur efficax argumentum pro nostra sententia ; nam et ipse paratus fuerat in praevia aliqua consultatione patrum. Inde videlicet deducitur patres tridentinos non favisse sententiae asserenti solam caritatem valde intensam esse per se justificativam, quae tamen est sententia omnium contritionistarum.

737. — **Tertium argumentum** principale partis adversae accipitur *ex doctrina quam de dispositionibus ad justificationem baptismalem necessariis tradit concilium tridentinum in sess. VI, cap. 6,* hisce verbis :

« Disponuntur autem (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quae est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intellegentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, *illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt:* AC PROPTEREA moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam paenitentiam quam ante baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. »

Notant autem adversarii lucis plurimum affundi huic loco ex iis quae refert cardinalis Pallavinici in libro VIII Historiae concilii tridentini, cap. 13. Quibusnam rationibus moti inseruerint patres decreto modo citato mentionem actus dilectionis Dei ita narrat eminentissimus cardinalis : « Quod attinet ad id quod dicitur de dilectione Dei, advertendum est per tenorem decreti prius delineati nullam fieri dilectionis mentionem, sed Salvatorem Alepium archiepiscopum turritanum, Claudium Jaium societatis Jesu, Lipomanum Veronensis adjutorem, et Pium franciscanorum praesidem, admonuisse ut aliquis caritatis actus insereretur: cumque id ad omnium patrum judicium relatum fuerat cum aliis praecipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipsis diserte illud comprobasse, adeoque insertum decreto,sed postea aliis haut probatum, verum a theologis strenue propugnatum, et per haec verba retentum : « *Non est sermo eo loco de habitu caritatis ; sed cum in particula quae loquitur de paenitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide et spe jungere aliquem dilectionis actum ; quia si paenitentia tota esset ex timore sine amore justitiae, et dolor esset propter poenam tantum, non propter Dei offensam, infructuosa esset.* » Tum, facto gressu ad ejusdem sessionis VI^ae^ caput 7, ubi dicitur peccator justificari infusione gratiae et caritatis, notat concilii historicus loco citato, cap. 14, quod, quibusdam pariter animadvertentibus caritatem superiore capite (sexto) memoratam recenseri sub illius initium inter ea quae praeparant animum ad justitiam suscipiendam, postea vero tamquam ipsius justitiae formam poni : responderunt decreti formatores, in primo loco [id est, cap. 6] *sermonem esse de quodam actu caritatis, cum insit aliqua dilectio in homine non quidem obtinente, sed exoptante justitiam,* at in secundo (hoc est capite 7) significari habitum caritatis ».

Ut autem viam sibi sternant ad principale suum intentum concludendum, duo asserta in antecessum stabiliunt adversarii.

738. — **Aiunt** 1°: Dilectio Dei quae in memorato decreto inter dispositiones ad justificationem numeratur, neque est amor concupiscentiae, neque est amor Dei benevolus quidem, sed inefficax consistensque in simplici affectu complacentiae, sed est amor caritatis sive amor Dei benevolus super omnia.

A. *Dilectio illa Dei non est amor concupiscentiae.* Rationes eorum sunt — tum a) quod dilectio Dei de qua agitur in memorato decreto, recensetur ibi inter actus disponentes ad justificationem tamquam natura posterior spe, non autem amor concupiscentiae est natura posterior spe, sed aut natura est prior spe, uti tenet sententia s. Thomae, aut includitur in spe, uti habet sententia ceterorum, — tum b) quod theologi quorum rogatu insertus est actus dilectionis inter dispositiones ad justificationem requisitas petierunt *ut aliquis actus caritatis decreto insereretur*, — quodque iidem contra patres postulantes ut decretum denuo reformaretur, defenderunt emendationem factam ea ratione quod dolor oporteat esse *propter offensam Dei*, — quodque cum contra decretum capite 7 contentum objiceretur caritatem esse capite 6 numeratam inter dispositiones ad justitiam, modo vero eam poni uti justitiae formam, responderunt formatores decreti in capite 6 non esse sermonem de habitu caritatis, *sed de quodam caritatis actu.*

B. *Eadem illa Dei dilectio non est amor Dei benevolus quidem, sed consistens in simplici atque inefficaci complacentiae affectu.* Ratio quam afferunt, est quod, uti aiunt patere tum ex verbis ipsius decreti tum ex verbis theologorum insertionem suo rogatu factam defendentium, ex dilectione Dei de qua agitur in decreto, oporteat proficisci odium ac detestationem peccatorum, h. e. eam paenitentiam quam ante baptismum agi oportet, talem autem detestationem peccatorum impossibile sit proficisci ex dilectione Dei quae consistat in affectu complacentiae inefficaci, quia detestatio peccatorum quam ante baptismum concipi oporteat, debeat esse efficax, nequeat autem detestatio peccatorum efficax oriri ex dilectione Dei inefficaci.

C. *Dilectio illa Dei est amor caritatis sive amor Dei benevolus super omnia.* Ratio quam afferunt, est quod haec tertia pars asserti necessario sequitur ex duabus prioribus.

739. — **Aiunt** 2°: Dilectio Dei de qua capite 6 sessionis VI loquitur concilium tridentinum, debet esse causa et motivum paenitentiae quae ad realem susceptionem sacramenti paenitentiae praerequiritur.

Probatio qua utuntur, est hujusmodi. Ratio propter quam dilectio de qua agitur capite 6 sessionis VI, non requireretur ad realem baptismi susceptionem, esset — vel quod a) patres toto hoc capite 6 non tractant nisi de praeparatione ad justificationem contingentem per baptismum non re, sed voto tantummodo susceptum, — vel quod b) licet patres tractent eo capite non modo de paenitentia requisita ad justificationem contingentem per solum votum baptismi, sed etiam de paenitentia requisita ad justificationem contingentem per realem susceptionem baptismi, constituunt tamen differentiam inter utramque paenitentiam ex parte motivorum ex quibus oporteat eam concipi, ideoque ex eorum mente particula causalis *propterea* refertur indeterminate sive disjunctive ad omnia motiva antehac ab ipsis recensita, ita ut si paenitentia sit reconciliativa in et cum sacramento baptismi, sufficiat eam esse ex motivo timoris, si vero paenitentia sit reconciliativa per se et extra sacramentum, oporteat eam esse ex motivo dilectionis. Jam vero utraque haec ratio est manifesto falsa.

Scilicet 1° *falsum est dicere non agi capite 6 sessionis VI nisi de praeparatione ad justificationem contingentem per baptismum in voto susceptum.* Rationes ita dicendi sunt, tum a) quod si vera esset suppositio quae asserto excludi intenditur, oporteret dicere patres tridentinos docuisse dumtaxat modum inconsuetum et extraordinarium quo adulti nondum baptizati ad justificationem perveniunt, nuspiam vero eos tradidisse modum consuetum et communem quo hi adulti justificantur, quod profecto nemo cordatus admittet ; tum b) quod patres capite 6 citato generatim loquuntur de paenitentia quam ante baptismum *agi oportet*, talis autem paenitentia, uti per se patet, est imprimis ea quae requiritur ad realem susceptionem baptismi, cum haec sola sit per se necessaria ; — tum c) quod principio capitis immediate sequentis, h. e. capitis 7, patres ponunt baptismum esse causam instrumentalem illius justificationis de cujus praeparatione capite 6 locuti fuerant.

Itidem 2° *falsum est dicere in capite 6 sessionis VI particulam* PROPTEREA *indeterminate sive disjunctive referri ad tres actus timoris, spei et caritatis prius recensitos, ita ut prouti modo agitur de paenitentia reconciliante in baptismo, modo vero de paenitentia reconciliante ante baptismum, ea particula referatur ad alium et alium ex his actibus tamquam ad motivum necessarium paenitentiae.* Rationes quas adducunt adversarii pro hac secunda parte Minoris probandae, sunt sequentes : a) Vagus ille respectus particulae *propterea* non modo gratis fingitur, sed pugnat cum consuetudine loquendi exigente eam particulam referri ad id quod proxime antecedit,

h. e. ad solam dilectionem Dei. Insuper b) particulam *propterea* referri determinate ad solam dilectionem, non autem indeterminate vel ad timorem vel ad dilectionem, colligitur ex ratione propter quam visum est concilio « jungere cum fide et spe aliquem dilectionis actum. » Ratio enim fuit quod « si paenitentia tota esset ex timore *sine amore justitiae,* et dolor esset propter poenam tantum, *et non propter Dei offensam, infructuosa esset.* » Praeterea c) ex explicatione illa attritionistarum consequens est nomine dilectionis Dei in capite 6 sessionis VI usurpato significari dilectionem per se reconciliativam ; dicunt enim voculam illam *propterea* referri ad actum dilectionis, quando agitur de justificatione consequenda cum solo voto baptismi. Jam vero tale consequens est falsum: ex actis quippe concilii compertissimum est nomine dilectionis Dei in capite illo 6 non significari dilectionem per se reconciliantem, sed dilectionem quae inest in homine *nondum obtinente*, sed ante susceptionem sacramenti *adhuc exoptante justitiam.* Exorto enim dubio circa acceptionem caritatis capitibus 6 et 7 recensitae, responderunt decreti formatores « in primo loco sermonem esse de quodam actu caritatis, cum insit aliqua dilectio in homine non quidem habente, sed exoptante justitiam. » Denique d) vagum illum respectum particulae causalis *propterea* ab attritionistis assertum omnino evertit id quod testatur cardinalis Pallavicini in lib. VIII Historiae concilii tridentini, cap. 13, nempe « legi in actis legitimis servatis in aelia arce sancti angeli quod in quodam coetu patrum theologorum synodi post rem exactissime expensam conclusum fuerit « quantumvis aliqua peccatorum detestatio spem praecedat, tamen illam detestationem quae ad justificationem disponit, de qua in sexto decreti capite dicitur, non posse fieri sine aliqua spe et dilectione. » Firmum igitur manet id quod secundo loco assertum est, scilicet ex mente concilii tridentini ad fructuosam susceptionem sacramenti baptismi necessariam esse detestationem peccatorum ex motivo caritatis conceptam.

740. — Sic igitur firmatis duobus suis assertis praeviis, tali argumento adversarii concludunt principale suum intentum : Non minus perfecta, sed potius magis perfecta peccatorum detestatio requiritur ad fructuosam susceptionem sacramenti paenitentiae quam ad fructuosam susceptionem sacramenti baptismi, uti patet — tum a) ex eo quod secundum concilium tridentinum in sessione XIV, cap. 2, sacramentum paenitentiae est *quidam laboriosus baptismus.* — tum b) ex eo quod qui post baptismum peccavit, magis exsistit ingratus beneficiis Dei minusque potest suis delictis praetendere excusationem ignorantiae quam is

qui ante baptismum peccavit. Sed secundum doctrinam traditam a concilio tridentino in sessione VI, capite 6, ad fructuosam susceptionem sacramenti baptismi requiritur detestatio peccatorum ex motivo caritatis elicita. Ergo secundum doctrinam concilii tridentini etiam ad fructuosam susceptionem sacramenti paenitentiae requiritur detestatio peccatorum ex motivo caritatis elicita.

741. — Est hoc argumentum, uti antea monuimus, argumentum princeps partis adversae. Illudque mire torsit nostros auctores, qui ad illud solvendum quattuor diversas vias inierunt. Quidam dicunt in capite 6 sessionis VI non agi nisi de dispositionibus requisitis ad baptismum non re, sed voto suscipiendum. Fundaturque haec solutio in eo quod inter dispositiones ad justificationem requisitas concilium numerat votum baptismi hisce verbis : *denique dum proponunt suscipere baptismum.*

Hic tamen modus solutionis repudiandus est — tum propter rationes quae assignatae sunt inter argumentandum pro parte adversa, — tum quia capite 4 ejusdem sessionis VI concilium tridentinum diserte significat se loqui tum de justificatione quae contingit cum solo voto baptismi tum de justificatione quae confertur in ipso baptismo. Nec ratio qua pugnant auctores primum hunc solutionis modum tenentes, prae se fert speciem aliquam probabilitatis. Manifestum est quippe etiam in adulto qui non justificetur nisi in baptismo, requiri propositum suscipiendi illud sacramentum, antequam illud actu recipiat.

742. — Alii auctores fatentur in capite 6 sessionis VI^ae^ agi de utroque justificationis modo, nempe tum de eo qui contingit ante baptismum in re susceptum, tum etiam de eo qui non contingit nisi per realem baptismi susceptionem. Fatentur etiam *actum dilectionis* qui in praedicto capite dispositionibus ad justificationem adnumeratur, pertinere ad utrumque modum justificationis. Verum negant hi auctores nomine dilectionis Dei patres tridentinos significare amorem caritatis, sed aiunt illud nomen sumi ab iis generice, prouti videlicet indifferenter aptari potest ad significandum vel a) amorem caritatis, vel b) amorem Dei benevolum quidem, sed consistentem in inefficari affectu complacentiae, vel c) amorem concupiscentiae. Ideo autem patres tridentinos generali atque indefinita significatione nomen dilectionis usurpasse aiunt, quia docere intendebant pro diverso modo quo contingit justificatio adulti nondum baptizati, diversum in eo requiri Dei amorem. Ut videlicet ipse justificatur extra sacramentum, requiri in eo detestationem peccatorum ex motivo caritatis obortam ; ut vero justificetur in sacra-

mento, requiri dumtaxat in eo detestationem ex timore conceptam cum adjuncto sive efficaci amore concupiscentiae sive inefficaci quodam affectu amoris benevoli in Deum.

Haec etiam solutio aegre defenditur ; ei enim obstat — tum a) quod nullo pacto explicari potest quomodo amore concupiscentiae Deus diligatur tanquam omnis justitiae fons, — tum b) quod rationes propter quas in consultationibus praeviis theologorum ac patrum postulata est et approbata insertio dilectionis Dei inter actus ad justificationem disponentes, videntur procedere de solo amore caritatis.

743. Alii auctores confitentur, sicuti auctores praecedentis mod solutionis, concilium in capite 6 sessionis VI^ae^ agere de utroque modo quo adultus nondum baptizatus justificari potest. Fatentur itidem ad utrumque hunc justificationis modum requiri actum eum dilectionis qui in eodem illo capite 6 accensetur dispositionibus ad justificationem praeviis. Verum notant hi auctores dilectionem Dei quam veluti disponentem ad justificationem concilium requirit, esse amorem Dei initialem, uti manifestant haec verba quibus utitur concilium : *eum veluti omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* Porro quemlibet actum virtutis supernaturalem aiunt posse apte vocari amorem Dei initialem, eo quod omnis talis actus sit medium et via ad formalem amorem caritatis atque adeo illius initium. Nempe, sicuti medium dicitur participare aliquid de fine, ita quemcumque actum virtuosum participare aliquid de caritate.

Etiam hic modus solutionis rejiciendus est — tum quia a) si verus esset, deesset ratio cur actus dilectionis additus esset actui spei qui est procul dubio actus virtutis, — tum quia b) ei obstant rationes quibus moti sunt ii theologi ac patres qui postulaverunt insertionem actus dilectionis inter actus ad justificationem disponentes, — tum quia c) sicuti qui incipit videre, vere et proprie videt, ita et qui incipit diligere Deum, vere et proprie diligit Deum, et non tantummodo dispositive, uti supponit praedictus modus solutionis.

744. — Restat **quartus modus solutionis,** qui videtur ceteris esse probabilior et qui hunc in modum exponi potest :

1° In capite 6 sessionis VI^ae^ agitur tum de praeparatione ad justificationem contingentem cum solo voto baptismi tum de praeparatione ad justificationem contingentem in reali baptismi susceptione. Ratio est quod, uti supra dictum est, concilium in fine capitis 4 ejusdem sessionis, cum jam transitum parat ad tractandum de praeparatione ad justificationem, significat se loqui de utroque modo quo contingere potest justificatio adulti nondum baptizati.

2° Non tamen omnes dispositiones ad justificationem a concilio capite 6 recensitae, necessariae sunt ad justificationem utrovis modo consequendam. Et hoc significat concilium, quando eodem illo capite 6 post recensitos actus timoris, spei et dilectionis, jam loquitur de ea paenitentia *quam ante baptismum agi oportet.* Non enim alia paenitentia antebaptismalis necessaria est, quantum est per se, nisi ea quae requiritur ad realem baptismi susceptionem. Jam vero haec paenitentia consistit secundum concilium *in odio aliquo ac detestatione peccatorum antehac commissorum.* Quia ergo etiam odium ac detestatio peccatorum quae ex timore concipitur, est vere ac proprie odium aliquod ac detestatio peccatorum; necessario dicendum est secundum mentem patrum tridentinorum ad justificationem in baptismo consequendam non requiri detestationem peccatorum quae ex motivo caritatis oriatur, sed sufficere detestationem eorumdem peccatorum quae concipiatur ex motivo timoris. Hinc porro jam ulterius concludendum est secundum mentem patrum tridentinorum particulam causalem *propterea* non determinate referri *ad actum dilectionis immediate ante recensitum,* sed indeterminate et disjunctive vel ad actum timoris vel ad actum illum dilectionis.

Ceterum alienum fuisse a mente patrum tridentinorum docere ad fructuosam susceptionem sacramenti baptismi necessariam esse detestationem peccatorum ex motivo caritatis conceptam, patet non modo 1° ex discussione verborum concilii modo instituta, sed insuper 2° via auctoritatis. Etenim a) Dominicus Soto, theologus concilii, qui sessioni VI^ae^ interfuit, suum opus de natura et gratia post peractam illam sessionem patribus concilii dedicavit, in eo autem, libro II, cap. 15, defendit attritionem ex timore conceptam et cognitam qua talem esse sufficientem dispositionem ad baptismum recipiendum suamque sententiam probat ex ipsis verbis capitis 6 sessionis VI, inquiens: « unde sancta synodus tridentina, sessione VI, capite 6, ante baptismum solum requirit motum adversus peccata: per odium, inquit, aliquod et detestationem, h. e. per eam paenitentiam quam ante baptismum agi oportet. » Eamdem sententiam defendit Melchior Canus, in Relectione de paenit., parte 3, qui et ipse tamquam theologus interfuit sessioni VI^ae^ et paulo post suam relectionem edidit. b) Theologi saeculi XVI^i^ sessione sexta posteriores verba concilii interpretati sunt de dilectione per se reconciliativa, solo Vasquez excepto. Itidemque omnes ii theologi, exceptis Navarro et Petro Soto, docuerunt ad baptismum rite suscipiendum non requiri contritionem, at sufficere attritionem eamdemque

cognitam. Quis autem credat theologos qui sessioni concilii interfuerunt aut proxime post habitam sessionem VI^{am} scripserunt, mentem concilii non rite compertam habuisse ?

745. — His praemissis, **respondetur ad argumentum,** *concedendo Majorem, sed negando Minorem. Ad probationem Minoris* conceditur nomine dilectionis Dei concilium intellexisse amorem caritatis, sed negatur particulam *propterea* determinate referri ad solum actum dilectionis quocum immediate connectitur. Et quod attinet ad rationes quae ad hoc probandum inducuntur,

746. — **Dicitur ad 1^{m}**, respectum illum indeterminatum particulae *propterea* non fingi a nobis gratis, sed accepto fundamento ex ipsis verbis concilii. Et propterea per inductum illum respectum indeterminatum non peccari contra consuetudinem loquendi : quia lex loquendi solummodo exigit ut particula causalis referatur ad immediate antecedentia, si ex contextu nulla suppeditetur ratio ostendens eam sive determinate sive indeterminate esse referendam ad mediate antecedentia.

747. — **Dicitur ad 2^{m}**, a) verba illa theologorum intellegenda esse de paenitentia requisita ad justificationem cum solo baptismi voto recipiendam. Ceterum b) falsus est Pallavicinus, quando asserit propter verba haec inferiorum theologorum retentam esse actus dilectionis insertionem in decreto ; apparet enim ex actis concilii a Theinero editis post animadversionem illam theologorum actum dilectionis ex decreto tertio reformato expunctum esse et nonnisi propter postulationem duorum triumve patrum concilii eum esse denuo insertum in decreto quarto reformato.

748. — **Dicitur ad 3^{m}**, sensum verborum allegatorum esse actum caritatis de quo agitur in capite 6, esse dispositionem ad justitiam, et non ipsam justitiam. Sane etiam de actu ad justitiam proxime disponente merito dicitur hominem per eum non obtinere, sed exoptare justitiam. Idcirco enim homo elicit illum actum ut obtineat justitiam.

749. — **Dicitur ad 4^{m}**, nos in actis concilii a Theinero editis jam posse legere verba dicta a patribus in illo consessu. Nihil autem aliud ibi legi conclusum esse a patribus nisi hoc, dilectionis videlicet actum, qui decreto denuo insertus fuerat, esse in eo retinendum.

750. — **Quartum argumentum principale** sumunt adversarii ex omnibus iis scripturae locis quibus dicitur nullius virtutis actus ad salutem prodesse sine caritate, ut I Cor. XIII, 3 : « si... caritatem... non habuero, nihil mihi prodest, » et I Jo. III, 14 : « qui non diligit, manet in morte, » item Rom. VIII, 14, etc.

751. — Respondetur 1° locis his scripturae ostendi nullum opus bonum esse de condigno meritorium vitae aeternae, nisi fiat ab habente caritatem habitualem. In quaestione autem de dispositione proxime sufficiente ad gratiam in sacramento paenitentiae recipiendam non agi de ejusmodi operibus.

Respondetur 2° ad summum agi in his locis de actu qui sit dispositio ad justificationem se solo et sine sacramento, non autem de actu qui sit dispositio sufficiens virtute sacramenti reipsa suscepti; quia cum tali actu sacramentum aequivalet caritati et ejus defectum supplet.

752. — Arguunt quinto principaliter ex auctoritate cum sancti Augustini tum aliorum etiam patrum. Quorum testimoniis adducendis hic supersedemus; eadem enim est ad ea responsio atque ad testimonia quae e sacra scriptura adducta sunt.

753. — Arguunt sexto principaliter ex auctoritate veterum scholasticorum qui omnes ad unum, si eos audias, docuissent peccatorem non posse reconciliari cum Deo nisi contritione ex caritate profecta.

Ad quod **respondetur** et assumptionem esse falsam et conclusionem non tenere. Etenim a) uti a nobis cap. XV ostensum est, multum abest ut scholastici medii aevi in asserenda sententia Magistri concordes fuerint. Aperte enim ei refragati sunt scholae proceres Alexander alensis, Henricus gandavensis et Scotus. Princeps etiam scholae s. Thomas, aperte ab ea descivit, uti apparet — tum ex eo quod in Summa, p. III, q. 34, a. 3, ad 5^{m}, absolutioni sacramentali tribuit vim primam gratiam causandi, sententiam Magistri hujus oppositum asserentis ibi impugans, — tum b) ex eo quod in Sent. IV, d. 17, q. 3, a. 5, ql. 1; d. 18, q. 1, a. 3, ql. 1, et in opusculo XXII, cap. 2, omnimodam agnoscit inter baptismum et sacramentum paenitentiae, paritatem, quantum ad vim primam gratiam causandi. Quod posterius argumentum quam manifestum faciat doctorem angelicum in nostram sententiam propensum fuisse elucescet attendenti perpetuo s. doctorem tenuisse attritionem cognitam qua talem sufficere ad baptismum fructuose recipiendum. — Qui vero scholastici medii aevi doctrinae ab adversariis objectae revera adhaeserunt, a) maxime ad eam defendendam impulsi sunt auctoritate Magistri, in cujus opus sententiarum commentaria scribebant. Interque eos ipsos vix est citare aliquem qui eam ut omnino certam defenderit aut aliquale temperamentum ei non adhibuerit. Insuper b) sententia eorum scholasticorum qui Magistrum secuti sunt, est impertinens ad rem de qua quaeritur inter nos et adversarios.

De eo enim disceptatur inter nos et contritionistas utrum detestatio peccatorum *quae nonnisi in sacramento reconciliet cum Deo,* debeat concipi ex motivo caritatis. Jam vero de tali peccatorum detestatione non intendebant loqui antiquiores illi scholastici. Contritio enim quam ipsi requirebant ad susceptionem sacramenti paenitentiae, reconciliabat secundum ipsos peccatorem cum Deo ante sacramentum actu susceptum. Nec ullum ipsi agnoscebant discrimen inter caritatem intensam et caritatem remissam, quantum ad vim justificandi peccatorem. Quamobrem c) ii ipsi Petri lombardi discipuli magis favent nostrae sententiae quam sententiae adversariorum. Nam, si post tempora concilii tridentini scripsissent et si per consequens agnovissent esse aliquam peccatorum detestationem quae nonnisi in sacramento paenitentiae sufficiat ad gratiam impetrandam, ipsi, sicuti nos, docuissent sufficere ad sacramentum paenitentiae recipiendum attritionem pure formidulosam.

754. — **Arguunt** denique **septimo** rationibus theologicis, idque tripliciter, contendendo videlicet 1° attritione pure formidulosa non excludi voluntatem peccandi, 2° non detestari peccatum eum qui illud non detestatur, ut est formaliter offensa Dei, et 3° detestatione peccatorum quae non oriatur ex motivo caritatis, impossibile esse peccatorem converti ad Deum. Primum et secundum ex his argumentis jam in superioribus soluta sunt, tertium modo dissolvendum est.

Arguunt itaque hunc in modum : Detestatio peccatorum ne in sacramento quidem est sufficiens ad justificationem dispositio, nisi per eam peccator convertatur ad Deum. Sed sola detestatione peccatorum quae ex motivo caritatis concipiatur, possibile est peccatorem converti ad Deum. Et ratio hujus in promptu est ; sicut enim peccator avertitur a Deo eo quod inhaeret creaturae tamquam fini ultimo, ita ipse non convertitur ad Deum nisi eo quod jam incipit inhaerere Deo tanquam fini ultimo. In tantum autem peccator inhaeret Deo tamquam fini ultimo, in quantum Deum amat propter se, cetera vero propter Deum ; et per consequens in tantum peccatorum detestatio est conversiva ad Deum, in quantum vi ipsius Deus jam propter se amatur, h, e. in quantum ea detestatio oritur ex motivo caritatis.

755. — **Respondetur** *concedendo Majorem et negando Minorem. Ad probationem Minoris sic distinguitur Major :* Peccator non convertitur ad Deum nisi Deus finis ultimus sit terminus cui inhaereat, *Conc. Maj.* Nisi Deus finis ultimus sit formalis ratio propter quam inhaereat Deo, *Neg. Maj. et, contradistincta Minore, neg. Consequens.*

Qui efficaciter atteritur attritione pure formidulosa, is efficaciter convertitur ad Deum tamquam ad justum vindicem et propter hoc is jam inhaeret Deo fini ultimo, non quidem ita ut Deus finis ultimus sit ratio inhaesionis, sed ita ut Deus finis ultimus sit terminus in quem tendit actus peccatorum detestativus.

CAPUT XX.

De necessitate confessionis auricularis.

756. — Jam de altero paenitentis actu ad materiam vel quasi materiam sacramenti paenitentiae pertinente dicendum est, nempe de confessione sacramentali, quam graeci vocant *exomologesin*.

Est autem *confessio sacramentalis* propriorum peccatorum post baptismum admissorum accusatio, sacerdoti legitimam jurisdictionem in foro interno habenti a paenitente facta, ad impetrandam eorumdem peccatorum veniam beneficio sacramentalis absolutionis.

Potest esse vel generalis sive confusa, vel specifica sive distincta.

Generalis est confessio, qua quis in genere dumtaxat declarat sese esse peccatorem, sine hoc quod distincte indicet in quaenam et quotnam peccata inciderit. Generica haec confessio continetur vel in ipso actu quo aliquis per se vel per alium petit sacramentaliter absolvi. Tali enim petitione profitetur se esse peccatorem.

Specifica est sive *distincta* confessio, qua quis distincte ac singillatim enumerat diversas species peccatorum in quae incidit et sub unaquaque specie assignat numerum peccatorum a se admissorum.

Porro esse saltem absolute necessariam omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum confessionem sacramentalem genericam ad consequendam eorumdem peccatorum remissionem, patet ex antea a nobis demonstrata absoluta necessitate omnia haec peccata subjiciendi potestati clavium. Uti enim modo dictum est, ipse actus quo peccator se subdit potestati clavium, continet genericam peccatorum ab ipso admissorum confessionem.

757. — At quaestio est utrum actus quo homo qui post baptismum mortaliter sit lapsus, tenetur se subjicere potestati clavium, consistat in confessione peccatorum specifica. Sive, quod idem est, quaeritur in praesentiarum utrum vi institutionis sacramenti paenitentiae, h. e.

jure divino, confessio peccatorum specifica necessaria sit necessitate medii ad consequendam peccatorum mortalium post baptismum commissorum remissionem.

758. — Affirmant catholici, negant protestantes. Secundum protestantes videlicet a) potest confessio peccatorum esse quidem aliquando utilis ad erudiendum et consolandum hominem qui suorum peccatorum pondere opprimitur. Itidem b) ex praecepto divino tenetur homo fratri quem graviter offenderit, peccata quibus eum offendit, confiteri, potestque etiam ecclesia praecipere ut peccata publica atque externa quae in grave vergant detrimentum communitatis ecclesiasticae, aliquis ministris ecclesiae confiteatur quo condigna ei paenitentia publica pro hisce suis peccatis praescribi possit. At vero c) neque juris est divini neque ullo praecepto ecclesiastico imponi potest confessio peccatorum sive omnino internorum sive externorum quidem, sed occultorum vel in detrimentum ecclesiae non vergentium. Talisque confessio per mille et amplius annos fuit inaudita in ecclesia Dei, primusque eam praecepto sancivit Innocentius III in concilio lateranensi IV a. 1215 celebrato. Immo d) confessio illa specifica quam ecclesia catholica faciendam praecepit, non modo nullo nomine est obligatoria, sed est impossibilis et perniciosissima. Est enim cruenta carnificina animarum et laqueus conscientiarum.

Ex his apparet cur solemne sit scriptoribus protestantibus confessionem specificam, qualis in ecclesia catholica in usu est, vocare *traditionem humanam, inventum humanum, confessionem innocentianam, tormentum innocentianum.*

Quidam etiam catholici, qui ante concilium tridentinum scripserunt, senserunt confessionem auricularem non esse juris divini, sed praecepti ecclesiastici. Ita docuerunt Erasmus et Beatus Rhenanus. Immo et Rigaltius, qui post concilium tridentinum scripsit, videtur in hanc sententiam inclinasse. Eamdemque pluribus videtur tenuisse Gratianus in Decreti II^{a} parte, causa XXXIII, q. 3.

Etiam janseniani ac speciatim Arnaldus in opere : *La perpétuité de la foi,* doctrinam catholicam de necessitate confessionis auricularis omnino pervertunt. Non enim aliunde necessitatem confessionis auricularis repetunt nisi ex eo quod si ex praevia paenitentis accusatione non innotescerent sacerdoti peccata ab illo commissa, ipse non posset in sacramento paenitentiae injungere satisfactionem quae peccatis sit proportionata. Et sic secundum istos haereticos confessio sacramentalis non dicit essentialem ordinem ad absolutionem sacramentalem,

sed tantummodo ad injunctionem sacramentalis satisfactionis.

759. — Ut vera et catholica doctrina de necessitate confessionis specificae rite intellegatur, oportet hic recolere ea quae parte I, capite VII et parte II, capite IV tradidimus de iis necessitate medii necessariis quae ita actu aliquo humano procuranda sunt, ut aliquando desit possibilitas illum actum praestandi. Uti videlicet ibi perhibuimus, quando talia dicuntur esse necessaria necessitate medii ad salutem, sensus est ea esse media absolute necessaria ad salutem vel in re vel saltem in voto. Quamobrem, quotienscumque non requiritur ad remissionem peccatorum impetrandam realis sacramenti paenitentiae susceptio, sed ejus votum dumtaxat, in contritione perfecta implicitum vel cum ea conjunctum, sufficiet etiam votum confessionis specificae in eadem illa contritione perfecta implicitum vel cum ea conjunctum.

760. — Verum ad plures adhuc casus extendenda est doctrina de sufficientia confessionis specificae non in re institutae, sed tantummodo in voto habitae. Incidunt videlicet tempora in quibus non deest quidem paenitenti copia sacerdotis jurisdictionem in foro interno habentis, deest tamen ei moralis possibilitas instituendi suorum peccatorum confessionem specificam. Uti si v. g. paenitens, jam morti proximus, loquela vel adeo sensibus omnibus sit destitutus, vel si propter imminens periculum mortis ei desit sufficiens tempus ad confitendum, vel si obligatione legis naturalis adstringatur ad non aperiendum peccata quae commisit, sacerdoti cujus solius copiam habet, vel si non in specie, sed tantummodo in genere recordetur peccati mortalis a se admissi. Porro in omnibus hisce casibus sacramentum paenitentiae valide suscipitur cum solo voto confessionis specificae. Idemque a fortiori est dicendum, si in iisdem vel aliis similibus casibus paenitens sua peccata non potuerit confiteri integre, sed tantummodo ex parte. Paenitens tamen qui nonnisi cum voto peccata sua specifice confitendi fuerit sacramentaliter absolutus, manebit jure divino obligatus ad omnia ea peccata quae nondum sacramentaliter declaraverit, confitendum, quando hujus se facultas obtulerit et praeceptum confitendi jam urgere coeperit.

761. — Hinc est quod confessio sacramentalis, prouti oportet eam esse specificam, distinguitur in confessionem virtualem, confessionem actualem et confessionem mixtam ex actuali et virtuali. *Virtualis* est votum sive voluntas instituendi confessionem peccatorum specificam, adjunctam tamen sibi habens actualem confessionem peccatorum genericam. *Actualis* est confessio peccatorum specifica revera instituta. *Mixta ex actuali et virtuali* sive *ex parte quidem actualis, ex parte vero*

virtualis est confessio specifica partis solummodo peccatorum commissorum, prouti conjungitur cum voto confitendi reliqua peccata.

762. — Jam ulterius recordandum est non posse a ministro paenitentiali pronuntiari in foro interno sententiam remissivam vel retentivam peccatorum, nisi ad normam legis paenitentiae a Christo institutore latae. Est quippe Christus protestatus nemini condonatum iri sua peccata, nisi eum suorum peccatorum paenituerit. Ex quo manifestum redditur non esse a Christo factam potestatem apostolis remittendi sua peccata hominibus independenter a quocumque bono motu voluntatis in iis invento, sed dependenter ab hac condicione dumtaxat, quod veros sensus paenitentiae corde conceperint. Complectitur autem vera paenitentia interna, uti in priore hujus tractatus parte demonstravimus, haec tria, nempe a) efficacem peccatorum detestationem, b) propositum cessandi a peccato et inchoandi novam vitam et c) propositum satisfaciendi. Quapropter nequit minister paenitentialis ferre in foro interno absolutam sententiam remissionis peccatorum, nisi prius ei innotuerit peccatorem et detestari sua peccata et habere propositum suam vitam in melius mutandi et paratum esse congruam Deo pro peccatis a se commissis satisfactionem praestare. Duplex igitur requiritur in ministro paenitentiali cognitio ad legitimum ferendum judicium in foro interno, nempe a) *distincta cognitio peccatorum a paenitente commissorum* (quia ut talem cognitionem sibi paret minister, requiritur ex parte paenitentis specifica suorum peccatorum confessio) et b) *cognitio dispositionum paenitentis.*

763. — Sed enascitur difficultas circa hactenus dicta eademque duplex. Ita videlicet objici potest : 1° Nihil ex verbis institutionis sacramenti paenitentiae inferri potest tamquam necessarium necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum, quod vi institutionis Christi non necessario praesupponatur ad usum potestatis clavium. Omne autem quod vi institutionis Christi necessario praesupponitur ad usum potestatis clavium, est de necessitate vel de essentia sacramenti paenitentiae. Absque eo autem quod est de necessitate vel de essentia sacramenti paenitentiae, non perficitur hoc sacramentum. Si ergo ex verbis institutionis sacramenti paenitentiae colligatur Christum instituisse specificam peccatorum confessionem tamquam necessariam necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum, ergo absque praemissa a paenitente specifica peccatorum confessione impossibile est perfici sacramentum paenitentiae. Sed hujus oppositum patet ex iis quae

de sufficientia confessionis genericae in quibusdam casibus proxime perhibuimus. Ergo falsum est dicere ex verbis Christi instituentis sacramentum paenitentiae colligi specificam peccatorum confessionem esse jure divino necessariam necessitate medii ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum admissorum. Sed si qua sit necessitas hujus confessionis specificae, ea nequit provenire nisi ex praecepto ecclesiastico.

764. — Insuper 2° propterea ex facta a Christo apostolis remittendorum retinendorumque peccatorum potestate rite colligeretur confessionem specificam peccatorum esse jure divino necessariam, quia haec potestas exercenda est per modum judicii, nequit autem sententia judicialis rite formari, nisi praehabita cognitione peccatorum a paenitente commissorum. Jam vero haec ratio est falsissima. Ut enim rite formari possit sententia remissiva vel retentiva peccatorum, sufficit sciri quaenam sint actuales dispositiones peccatoris petentis a suis peccatis absolvi, plane vero ad hoc impertinens est specifica notitia peccatorum ab illo peccatore commissorum. Et hoc patet ; sive enim peccator qui sacramentaliter absolvi petit, commiserit peccata plura et majora, sive commiserit peccata pauciora et minora, sive haec, sive illa peccata commiserit, absolvendus est, si constiterit eum esse rite dispositum, non vero absolvendus est, si constiterit eum non esse rite dispositum.

765. — Et sic etiam videtur patere ad probandam necessitatem confessionis specificae peccatorum perperam urgeri comparationem inter judicium quod fertur in foro criminali externo et judicium quod fertur in foro criminali interno. Per sententiam enim quam fert judex in foro criminali externo, reus vel damnatur ad poenam vel a poena immunis dimittitur, prouti compertum fuerit eum crimen aliquod admisisse vel illud non admisisse. Et quidem si in tali foro sententia sit condemnatoria, poena quae per eam reo indicitur, major est vel minor, prouti hoc vel illud crimen cum his vel illis circumstantiis reus patraverit. Et propter hoc, quando in foro criminali externo profertur sententia, cognitio causae e qua procedit sententia, debet oriri ex inquisitione specifica facta circa crimina a reo patrata. At vero per sententiam quam fert judex in foro criminali interno, reo remittuntur vel retinentur peccata, non prouti compertum fuerit ipsum tale vel tale peccatum admisisse vel illud non admisisse, sed unice prouti compertum fuerit ipsum esse rite dispositum vel non esse rite dispositum. Ideoque, quando in foro criminali interno profertur sententia, cognitio causae e

qua procedit sententia, debet oriri ex inquisitione specifica facta circa dispositiones actuales rei ; non vero debet atque adeo ne potest quidem in foro illo interno *cognitio et decisio causae* oriri ex inquisitione specifica facta circa peccata a reo commissa. Ad ferendam ergo sententiam in foro criminali interno oportet quidem sciri hominem qui se sistit coram tribunali hujus fori ; esse reum et peccatorem, non tamen oportet sciri eum talia vel talia peccata in specie admisisse.

Probatio quae ad evincendam necessitatem confessionis specificae jam adducenda est, insufficiens erit, nisi per eam duabus difficultatibus modo propositis omnis ansa praecidatur.

Propositio.

Ad consequendam remissionem peccatorum mortalium post baptismum commissorum jure divino est necessaria specifica eorumdem confessio facta legitimo sacramenti paenitentiae ministro.

Thesis est de fide, definita in concilio tridentino, sessione XIV, capite 5 et canonibus 6, 7 et 8.

766. — **Prima probatio**, quae scripturistica est, sumitur ex verbis Christi institutoris apud Jo. XX, 23 : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » Qui quidem textus dogmaticus est ideoque princeps in praesenti materia. Quisnam enim sit sensus traditionalis hujus loci, authentice docuit concilium tridentinum in sessione XIV, capite 5, dicendo « ex institutione sacramenti paenitentiae jam explicata [ex loco citato] universam ecclesiam semper intellexisse institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem et omnibus post baptismum lapsis necessariam exsistere : quia dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad caelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quae Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. » Non tamen ex verbis concilii habetur, ex loco eo Joannis nude et in sui praecisione a traditione eum explicante inspecto posse erui efficax argumentum ad probandam necessitatem confessionis specificae peccatorum. Porro in probatione ex eo loco jam eliciendo supponimus capitibus III et IV secundae partis hujus operis jam efficaciter contra protestantes ostensum esse potestatem remittendi retinendique peccata a Christo aposto-

lis factam, esse potestatem vere ac proprie judiciariam cui jure divino submittenda sint omnia peccata letalia post baptismum admissa. Quapropter ad concludendum propositum in re praesenti satis erit ostendere non posse rite formari judicium sacramentale a ministro paenitentiali nisi ex parte paenitentis praemissa fuerit specifica suorum peccatorum confessio. Nam si specifica confessio peccatorum a paenitente facta, sit aliquid quod ex institutione Christi de necessitate praesupponatur ad sententiam absolutionis sacramentalis, haec specifica peccatorum confessio non minus quam ipsamet sententia absolutionis sacramentalis necessaria erit necessitate medii ad impetrandam remissionem peccatorum post baptismum commissorum.

767. — Sunt qui specificam peccatorum confessionem de necessitate praesupponi absolutioni sacramentali arguant ex eo quod a) nonnisi paenitenti rite disposito minister sacramenti paenitentiae impertiri possit absolutionem sacramentalem, saepenumero autem contingat ut ei satis innotescere nequeat utrum paenitens sit rite dispositus nisi ex percepta distincta confessione peccatorum a paenitente commissorum quodque insuper b) non solum propter defectum debitarum dispositionum, sed etiam aliquando propter qualitatem criminum commissorum pronuntianda sit sententia retentionis. Uti si res postulat, inquiunt, ut prius peragantur opera satisfactoria quam paenitens absolvatur.

Utrumque tamen probationis medium est inefficax. Prius eo excluditur quod etiam baptismus nequit administrari catechumenis nisi constet de debitis eorum dispositionibus; sicuti ergo sine hoc quod catechumenus praemittat distinctam suorum peccatorum confessionem, potest sufficienter constare ipsum esse rite dispositum, ita etiam sine hoc quod peccator sacramentaliter absolvendus praemittat distinctam suorum peccatorum confessionem, sufficienter constare poterit ipsum esse rite dispositum. Ad quod accedit b) quod, etiamsi concederetur totum id quod accipitur in priore probationis medio, nihil tamen aliud sequeretur nisi hoc, nempe aliquando et per accidens, non vero semper, per se et necessitate medii necessariam esse specificam confessionem sacramentalem omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum.

Alterum vero probationis medium ex eo apparet esse deficiens quod si aliquando expediat etiam in paenitentem rite dispositum pronuntiari sententiam peccatorum retentivam, hoc non potest esse nisi propter peccata quaedam externa, enormia, valde scandalosa vel valde nociva. Quare non sequitur ex eo probationis medio omnia peccata gravia,

etiam interna et occultissima et in nullius detrimentum vergentia, esse in sacramentali confessione aperienda.

768. — Efficacius arguitur intentum ex eo quod minister sacramenti paenitentiae, prouti fungitur munere judicis in negotio remittendorum retinendorumque peccatorum, tenetur, quantum est per se, imponere peccatori qui absolvitur, poenam aliquo modo proportionatam peccatis ab ipso admissis. Probatio sic procedit. Christus Jo. XX, 23, contulit ministro sacramenti paenitentiae potestatem judicialiter dimittendi peccata non tantum quoad culpam, sed etiam quoad poenam temporalem remanentem. Utrumque enim horum complectitur potestas remittendi peccata quam simpliciter et sine ulla restrictione Christus apostolis concessit. Non autem potest sua absolutione minister paenitentialis judicialiter dimittere poenam, nisi mediante satisfactione a paenitente praestita, eo quod ex aliis scripturae locis constat poenam temporalem remanentem non dimitti nisi mediantibus operibus satisfactoriis. Et quidem non aliter mediantibus his operibus poterit absolutio ministri paenitentialis attingere remissionem peccati quantum ad poenam temporalem remanentem, nisi quatenus haec opera satisfactoria ab ipso ministro paenitentiali imposita fuerint. Secus quippe opera satisfactoria non haberent respectum ad usum potestatis clavium. Quia ergo minister paenitentialis obligatur jure divino ad procurandam integritatem sacramenti paenitentiae, ipse, quantum est per se, obligatur jure divino ad injungendum paenitenti satisfactionem quae, prouti id fert facultas paenitentis, proportionetur qualitati et numero peccatorum ab eodem paenitente commissorum. Sed talem satisfactionem minister paenitenti imponere non potest nisi distincte cognoscat qualitatem et numerum peccatorum a paenitente admissorum ; hanc autem distinctam notitiam ipse haurire non potest nisi ex praemissa a paenitente specifica confessione peccatorum ab ipso commissorum. Ergo, sicuti minister paenitentialis adstringitur obligatione juris divini imponendi paenitenti satisfactionem qualitati et numero peccatorum a paenitente commissorum proportionatam, ita et ipse paenitens adstringitur obligatione juris divini omnia peccata mortalia quae post baptismum admiserit, legitimo ministro sacramenti paenitentiae specifice confitendi.

769. — Est hoc argumentum efficax quidem, non tamen sufficiens. Non enim aliunde adstruit obligationem confessionis peccatorum specificae, nisi ex ordine hujus confessionis ad sacramentalem satisfactionem. Proindeque, quantum est ex vi argumenti facti, confessio

peccatorum specifica non artius cohaeret cum sacramento paenitentiae quam satisfactio sacramentalis. Et sic eo argumento concluditur tantummodo confessionem peccatorum specificam esse de accidentali integritate sacramenti paenitentiae. Talis autem conclusio non sufficit, sed ad defendendum dogma catholicum oportet posse ostendi confessionem peccatorum specificam, quando et quatenus est possibilis, esse de essentia vel saltem de necessitate sacramenti paenitentiae.

770. — Sola itaque ratio quae plene et efficaciter concludat intentum, accipitur ex eo quod vi verborum institutionis confessio specifica peccatorum, quando et quatenus est possibilis, importat ordinem necessariae praesuppositionis ad sententiam absolutionis, quatenus haec est remissiva peccatorum quantum ad culpam. Ratio est hujusmodi. Uti capite III ostensum est, absolutio sacramentalis habet vere ac proprie rationem sententiae judiciariae. Est autem de ratione sententiae judiciariae ut in causam quae per eam deciditur, distincte feratur, quando et quatenus id possibile est. Quod sufficienter patet via inductionis. Tali enim modo feruntur in causam decidendam omnia judicia quae in foro externo sive civili sive criminali proferuntur. Quamobrem ad sententiam judiciariam rite formandam duplex cognitio in sententiante judice praerequiritur. *Prima* est *distincta cognitio eorum dependenter a quibus causa decidenda est.* Et quantum ad hoc, ut sententia absolutionis sacramentalis rite formari queat, praerequiritur in judice paenitentiali distincta cognitio dispositionum paenitentis. *Altera* cognitio quae ad rite formandam sententiam judiciariam in sententiante judice praerequiritur, est *distincta cognitio ipsius causae quae per ejus sententiam decidenda est.* Et quantum ad hoc, ut sententia absolutionis rite formari possit, praerequiritur in judice paenitentiali *distincta cognitio peccatorum quae ipsius sententia remittenda vel retinenda sunt.* Causa enim quae ipsius sententia decidenda est, est utrum peccata paenitentis sint remittenda an retinenda. Non autem distincte cognoscitur haec causa, si peccata quae remittenda vel retinenda sunt, non distincte cognoscantur.

771. — Accedunt et aliae rationes. Scilicet id quod Christus assignavit tamquam materiam sententiae remissionis vel retentionis, sunt peccata in numero plurali ; peccata autem in numero plurali nominant peccata, prouti habent distinctionem a se invicem, quia non nisi prouti habent distinctionem a se invicem, faciunt numerum ; secundum quod ergo sunt inter se distincta, voluit Christus, in quantum id possibile est, a judice paenitentiali sententiam remissionis vel retentionis peccatorum pronuntiante, cognosci peccata. Itidem b) sive

demum id quod est materia sententiae in foro paenitentiali proferendae, sint peccata in confuso sive sint peccata in sui distinctione a se invicem, illud certum est, hanc materiam nonnisi ex ipsa confessione paenitentis cognosci posse. Proindeque eo ipso quod Christus fecit apostolis potestatem remittendi vel retinendi peccata in numero plurali, ipse paenitentibus obligationem imposuit confitendi *sua peccata*. Jam vero qui peccata nonnisi in confuso confitetur, non vere et proprie dicitur confiteri sua peccata. Usu enim omnium hominum aliud est aliquem confiteri se esse peccatorem, aliud vero est ipsum confiteri sua peccata. Ulterius c) si ad hoc ut judex paenitentialis posset rite suam sententiam formare, non requireretur ex parte paenitentis specifica peccatorum ab ipso commissorum confessio, quae demum ratio esse posset cur Christus sacramentalem peccatorum mortalium post baptismum commissorum remissionem voluit fieri judicialiter et non alio potius modo ? Satis enim fuisset, si instituisset Christus vel orationem aliquam vel alium ritum sensibilem quo ex opere operato remitterentur peccata. Quippe etiam secundum talem institutionis modum praerequisita fuisset in ministro sacramenti tota illa cognitio quam adversarii ponunt esse sufficientem ad administrandum sacramentum paenitentiae, quale revera est institutum. Supposito enim illo alio institutionis modo, oportuisset nihilominus ministrum sacramenti scire tum accedentem ad sacramentum peccasse, tum eumdem esse rite dispositum ad recipiendam gratiam sacramentalem. Quamobrem quid causae fuerit cur nonnisi per modum judicii Christus fidelibus baptizatis concedi voluerit sacramentalem peccatorum remissionem, explicari non potest nisi dicendo voluisse Christum ut ab hisce fidelibus institueretur specifica horum suorum peccatorum confessio. Talem videlicet peccatorum post baptismum commissorum confessionem expedire censuit tum ad efficacius homines absterrendum a peccando, tum ad excitandos in animis peccatorum profundiores sensus compunctionis et humilitatis, tum ad oportuniorem curationem vulneribus animae adhibendam, tum denique ad uberiorem satisfactionem Deo praestandam. Nam specifica peccatorum confessio, praeter alia bona modo recensita quorum est ferax, est actus insigniter satisfactorius. Unde illud effatum, a veteribus scholasticis frequentissime usurpatum : « Confessio, pars magna paenitentiae. »

772. — Ex dictis exclusa relinquitur posterior ex duabus difficultatibus quae supra movebantur contra necessitatem confessionis sacramentalis specificae. Supponebatur enim in ea difficultate sufficere ad

formandam sententiam judicialem distinctam cognitionem illius dependenter a quo deciditur causa, quod quidem in sacramento paenitentiae sunt dispositiones paenitentis. Dum contra, secundum rei veritatem dicendum sit, ad rite formandam sententiam judiciariam in sacramento paenitentiae non modo requiri distinctam cognitionem eorum dependenter a quibus decidenda est causa peccatoris, verum etiam *distinctam cognitionem ipsius hujus causae.* Id quippe demonstratum dedimus tum a) ex natura sententiae judiciariae, — tum b) ex materia quam Christus assignavit sententiae judiciariae sacramentali, — tum c) ex fine quem apparet Christum spectasse in tribuendo remissioni peccatorum sacramentali formam judicii. Estque hoc argumentum adeo invictum ut ipse calvinista Dallaeus in quadripartito suo opere de auriculari confessione fateri coactus sit negari non posse conclusionem quae per ipsum infertur esse veram, si stet id quod veluti primarium probationis medium in eo assumitur, nempe remittendorum retinendorumque peccatorum potestatem de qua refert Joannes XX, 23, esse ex voluntate Christi exercendam per modum judicii. Verum hanc assumptionem ipse negavit, nos vero eam efficaciter demonstravimus capite III hujus secundae partis nostri tractatus.

773. — Restat ut ostendatur integram confessionem specificam non esse de essentia vel de necessitate sacramenti paenitentiae, nisi *quando et quatenus ea est possibilis,* quotiens vero ea non est possibilis, sufficere confessionem quae vel ex parte vel etiam ex toto sit indistincta sive generica. Propositum duplici argumento concluditur.

774. — **Primum** accipitur *ex universalitate finis remissionis peccatorum quem Christus spectavit in instituendo sacramento paenitentiae.* Argumentum est ejusmodi. Qui licet sacramento paenitentiae impresserit formam judicii, eum tamen praecipue finem in institutione hujus sacramenti spectavit, ut per illud omnes homines baptizati qui peccassent, consequerentur suorum peccatorum remissionem, ille consequenter debuit velle ut sacramentum illud valide confici posset, quotienscumque possibile esset a) in eo administrando servari formam judicii, et b) finem propter quem ipsum institutum est, judicialiter attingi. Atqui a) quando Christus sacramentum paenitentiae sub forma judicii instituit, finis quem principaliter intendebat, is fuit ut per illud sacramentum omnes peccatores baptizati remissionem suorum peccatorum consequi possent, et b) etiam quando non est possibilis nisi confessio vel ex parte vel ex toto generica, adhuc potest servari in negotio remissionis peccatorum forma judicii judicialiterque procurari finis

per sacramentum paenitentiae intentus. Ergo ex voluntate Christi, quotiens non est possibilis nisi confessio vel ex parte vel ex toto generica, valide conficitur sacramentum paenitentiae.

Major est per se manifesta; ex fine enim Christi instituentis remedium illud contra peccatum quod est sacramentum paenitentiae, judicandum est de amplitudine casuum in quibus illud remedium valide adhiberi potest. — Prima vero pars Minoris patet ex verbis institutionis quae indefinite patent ad omnes peccatores baptizatos.

Probatur itaque secunda pars Minoris. Etenim 1° quotienscumque non est possibile fieri nisi confessionem ex parte quidem specificam, ex parte vero genericam, tota quidem causa judicanda non submittitur tribunali ministri paenitentialis, submittitur tamen ejus tribunali pars causae judicandae, h. e. ea peccata quae specifice declarantur a paenitente, hoc porro sufficit in tali casu ut et vera sententia judicialis pronuntiari possit et finis tali sententia intentus revera procurari. Nam a) ex praecognitis dispositionibus paenitentis potest minister paenitentialis judicare paenitentem esse dignum absolutione eorum peccatorum quae paenitens specifice declaravit, proindeque ex praehabita sufficienti informatione potest ipse pronuntiare sententiam eorumdem peccatorum remissivam. b) Quandoquidem nequit unum peccatum mortale remitti sine aliis; eo ipso quod vi judicii sacramentalis directe remittuntur ea peccata mortalia quae specifice a paenitente declarata fuerunt, indirecte remittuntur omnia alia ejusdem peccata et sic complete procuratur primarius finis judicii sacramentalis.

2ᵉ Quotiens non est possibile fieri a paenitente nisi confessionem quae ex toto sit generica, incompletissime quidem subditur tribunali ministri paenitentialis causa ab ipso dijudicanda, adhuc tamen potest is minister in tali casu formare sententiam judicialem et attingere primarium finem propter quem institutum est sacramentum paenitentiae. Nam a) ipsa peccata mortalia in confuso cognita praebent materiam circa quam ex praehabita cognitione dispositionum paenitentis sententiare potest judex paenitentialis. Itidem b) nequit directe remitti peccatum aliquod mortale, prouti est peccatum mortale in genere, sine hoc quod indirecte fiat remissio tum ejusdem peccati, prouti est talis determinatae speciei, tum etiam omnium aliorum peccatorum mortalium. Proindeque etiam in tali casu attingitur finis primarius propter quem institutum est sacramentum paenitentiae.

Eo ipso tamen quod, quando fit confessio quae ex parte vel ex toto sit generica, causa sacramentaliter dijudicanda nonnisi incomplete

judici paenitentiali submittitur, patet in utroque casu modo tacto paenitentem manere obligatum ad specifice confitenda ea sua peccata mortalia quae nondum specifice confessus fuerit, quando id jam possibile fuerit et praeceptum confitendi urgere coeperit.

775. — **Secundum argumentum** ostendens nonnunquam solam confessionem genericam conjunctam cum voto confessionis specificae sufficere ad constitutionem sacramenti paenitentiae, sumitur *ex incommodis fini institutionis sacramenti contrariantibus quae sequerentur, si nunquam valide confici posset sacramentum paenitentiae sine integra confessione specifica peccatorum.* Est ejusmodi. Christus non potuit velle ut, quando propter causam oblivionis impossibile est paenitenti instituere suorum peccatorum integram confessionem specificam, sacramentum paenitentiae jam valide recipi non posset. Sequeretur enim sacramentum paenitentiae non esse medium aptum ad finem remissionis peccatorum mortalium a Christo in ejus institutione primario intentum. Quod quidem patet — tum a) ex eo quod plerumque contingit paenitentes quorumdam suorum peccatorum oblivisci sive quoad speciem sive saltem quoad numerum, — tum b) ex eo quod in omnibus ferme casibus ubi remittenda essent peccata mortalia, materia sacramenti esset incerta. Sed si in casu oblivionis sufficit ad valorem sacramenti confessio specifica non integra, ergo a) etiam quando propter alias causas impossibilis redditur confessio specifica integra, sufficiet ad valorem sacramenti confessio specifica non integra. Non enim alia de causa sufficit in casu oblivionis confessio specifica non integra, nisi quia per oblivionem inducitur impossibilitas confessionis specificae integrae, haec autem ratio valet de omnibus aliis causis quas hic respicimus. Itidem si, uti conclusum relinquitur ex dictis, sacramentum paenitentiae ita institutum est ut in casu necessitatis quaedam peccata per illud remittantur *indirecte,* ergo b) etiam quando non poterit institui nisi confessio pure generica, adhuc valide poterit recipi sacramentum paenitentiae ; quia etiam in tali casu adhuc poterit attingi judicio sacramentali peccatum mortale in confuso, ad cujus directam remissionem sequetur indirecta remissio peccatorum, prouti sunt talis vel talis speciei.

776. — Ex dictis soluta relinquitur prior ex duabus difficultatibus quae principio sunt propositae. Dicendum est videlicet vi institutionis Christi requiri ad valorem sacramenti paenitentiae confessionem specificam peccatorum, *quando et quatenus ea est possibilis.* Proindeque, quando possibilis erit confessio specifica integra, ea erit de essentia

vel saltem de necessitate sacramenti paenitentiae. Quando vero non erit possibilis nisi confessio peccatorum quae ex parte vel adeo ex toto sit generica, ea sola erit de essentia vel de necessitate sacramenti paenitentiae.

Loco joanneo, unde ducta est probatio quae hactenus instituta est, subjungimus duos alios scripturae locos e quibus si non omnino certum, at certe probabile argumentum pro thesi elicitur.

777. — Primus locus exstat in epistula Jacobi, v, 14-16, ubi haec leguntur : « Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra,* et orate pro invicem ut salvemini ; multum enim valet oratio justi assidua » ἐνεργουμένη [h. e. instans seu fervens].

Inde ita per partes colligitur propositum :

1° *In textu eo jacobeo agitur de confessione facienda presbyteris.* Sunt quidem qui contendant non agi in eo nisi de confessione qua confiteamur fratribus offensas quas forte in ipsos admisimus. At, ut omittamus hunc locum de confessione presbyteris facienda intellexisse Origenem, Hom. 2 in Levitic. ; Chrysostomum, l. III De sacerdotio, auctorem operis De visitatione infirmorum inter opera s. Augustini, lib. II, cap. 4, et innumeros alios antiquos ; ut haec omittamus, inquam, sufficit verborum apostoli seriem perpendere ut appareat falsam esse illam recentiorum quorumdam interpretationem. Nempe a) jusserat s. Jacobus, si aliquis infirmaretur, presbyteros advocari, ut infirmum ungerent et pro eo orarent, et, inquit, si in peccatis sit, remittentur ei. Statim ex dictis colligit : « Confitemini *ergo* alterutrum (ἀλλήλοις) peccata vestra. » Si de aliis quam de presbyteris illud ἀλλήλοις intelligatur, impossibile erit rationem reddere consequentiae apostolicae. Et ut verum sit talem rationem colligendi propositum non esse satis firmam, eo quod in multis exemplaribus graecis deest particula illativa οὖν, at certe b) illud ἀλλήλοις non habere vim reciprocam, sed vertendum esse *alii aliis,* h. e. *fideles presbyteris,* manifestant verba sequentia, Conclusionem enim suam absolvit Jacobus dicendo : « et orate pro invicem ut salvemini » (καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων ὅπως ἰαθῆτε). Quibus verbis manifeste loquitur de oratione quam jusserat a presbyteris fundi super infirmantes, proindeque ὑπὲρ ἀλλήλων non facit in inciso illo altero sensum reciprocum, sed interpretandum est : orate, presbyteri, pro fidelibus infirmantibus. Et hoc etiam manifestat ratio addita : « multum enim valet

oratio justi assidua » [h. e. fervida]. Hisce nimirum verbis significat Jacobus se loqui de oratione facta ab iis qui prae ceteris vel sunt vel praesumuntur esse justi, qui sunt presbyteri ecclesiae. Adde c) quod non insuetum est ut vox ἀλλήλοι adhibeatur in sensu non reciproco. Tali enim sensu utitur hac voce etiam apostolus Paulus scribens ad Ephes. v, 21 : « Subjecti invicem [ἀλλήλοις, alterutrum] in timore Christi. » Quorum verborum sensus nequit esse nisi hic : subjecti estote alii aliis, h. e. filii parentibus, uxores viris, servi dominis. Denique d) si Jacobus non intendisset loqui nisi de confessione facienda fratribus quos offenderimus, ipse limitasset propositionem suam, non vero simpliciter exhortatus esset fideles ad confitenda *peccata sua*. Omnia quippe peccata tamquam confitenda hac sua exhortatione complexus est. Peccatumque simpliciter positum nominat offensam in Deum commissam, non vero offensam commissam in fratrem.

2° *Loquitur Jacobus de confessione specifica peccatorum.* Ratio est quod, uti jam supra notavimus, neque usus loquendi neque proprietas sermonis sinunt ut de eo qui nonnisi in genere profitetur se peccasse, dicatur eum confiteri peccata sua.

3° *Loquitur Jacobus de confessione peccatorum etiam mere internorum et occultissimorum.* Verba enim quibus utitur, cum indefinita sint, universaliter se extendunt ad omnia peccata.

4° *Haut obscure intellegendum dat Jacobus confessionem illam specificam peccatorum presbytero faciendam ordinari ad consequendam ministerio presbyteri remissionem peccatorum.* Nolumus id arguere ex verbis immediate antecedentibus : « et si in peccatis sit, remittentur ei. » Haec enim verba concilium tridentinum interpretatur de effectu extremae unctionis. Exigitque talem interpretationem ipse contextus. Verum argumentum sumimus ex verbis versiculi 16. Attentis enim iis quae ordine ibi asseruntur ab apostolo, primum debet infirmus presbytero qui advocatus fuerit, peccata sua confiteri, deinde unctio olei cum oratione presbyteri ei est impendenda. Quorsum porro haec confessio quae ab infirmo periclitante, antequam oleo ungatur, presbytero facienda est, nisi ordinetur ad remissionem peccatorum ministerio presbyteri consequendam ?

5° Verbis jacobaeis contineri promulgationem praecepti a Christo Domino dati et non merum consilium, ex solis hisce verbis satis efficaciter probari nequit; liquet id tamen ex sensu totius antiquitatis christianae. Item ex ipsa natura rei de qua agitur, id probabilissimum efficitur ; est enim confessio illa specifica omnium peccatorum res

difficillima, quam proinde non commendasset apostolus Jacobus omnibus indiscrete fidelibus, nisi ea esset divinitus praecepta. Et propterea non tenet objectio quam aliquis sumere posset ex eo quod, sicut apostolus Jacobus commendat confessionem peccatorum presbytero faciendam, ita etiam commendat ritum unctionis olei infirmo adhibendum, de quo ritu constat eum non esse in praecepto.

778. — Alter locus secundarius unde hic pro proposito arguimus, habetur in I Cor. XI, 28-31 : « Itaque, inquit ibi apostolus, quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat.* Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi. *Quod si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* »

Est et hic textus dogmaticus. Docet enim concilium tridentinum in sessione sua XIII, capite 7, ex practica ecclesiae traditione elucescere verba Pauli intellegenda esse de confessione sacramentali quam homo qui peccati mortalis sibi sit conscius, receptioni sacramenti eucharistiae praemittere debeat. Per se vero inspectus suppeditat locus ille paulinus argumentum vere quidem probabile, non tamen certum pro institutione divina confessionis sacramentalis (1).

(1) Ad probandum confessionem distinctam peccatorum omnibus a baptismo lapsis jure divino necessariam exsistere, inducuntur a Bellarmino aliisque interpretibus catholicis haec Joannis verba ex epistula ejus prima, cap. I, vers. 8 et 9 : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. *Si confiteamur peccata nostra*, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate. »

Dicendum est tamen, si hic locus per se et solitarie accipiatur, ex eo ne probabiliter quidem posse colligi intentum. Nihil enim ex eo habetur unde haec verba : *si confiteamur peccata nostra*, determinentur ad significandam confessionem quae non soli Deo, sed etiam sacerdoti facienda sit.

Si tamen in interpretando eo loco ratio habeatur verborum Christi apud Jo. XX, 23, satis probabile redditur in eo agi de confessione sacramentali peccatorum. Nam, si, uti ex verbis illis Christi colligitur, omnibus post baptismum lapsis necessarius est usus passivus potestatis clavium ad impetrandam suorum peccatorum remissionem, solummodo de confessione peccatorum quae praemittatur absolutioni sacerdotis quaeque una cum hac absolutione agat ad effectum sacramenti paenitentiae, verificari poterit id quod de confessione peccatorum asserit Joannes, ejus videlicet effectum esse remissionem peccatorum.

Multi etiam interpretes catholici, ac nominatim Bellarminus et Salmeron, arguunt pro conclusione intenta ex iis quae leguntur Act. XIX, 11-20. Cum ibi retulisset Lucas Deum per manus Pauli Ephesi commorantis insignia miracula patrasse « ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia », atque horum contactu languores ab eis recederent et spiritus nequam egrederentur, narrat quosdam etiam de circumcisione judaeos, septem videlicet filios Scevae principis sacerdotum, qui

779. — **Secundum argumentum** accipitur *ex traditione.*

Ut intellegatur in quonam sita sit virtus probationis quae ex monumentis traditionis pro necessitate confessionis auricularis adduci consuevit, oportet jam magis in particulari exponere sententiam protestantium de origine confessionis auricularis.

780. — Sciendum est itaque disciplinam paenitentiae publicae, qualis haec in vetere ecclesia per plura saecula obtinuit, duplici praesertim de causa lege ecclesiastica inductam esse. Primus finis quem in tali disciplina sancienda spectavit ecclesia, fuit *conservatio fidelium in fide.* Propter hoc videlicet ne, saeviente persecutione, fideles metu tormentorum adacti, proclives ruerent in lapsum, severissimae poenae constitutae fuerant in eos qui religionem christianam abjurassent. Alter finis quem in sancienda disciplina paenitentiae publicae spectavit vetus

---

quaestus causa, uti videtur, exorcismis operam dabant, invocasse super eos qui habebant spiritus malos nomen Jesu quem praedicabat Paulus. Quam male autem in casu aliquo particulari res duobus ex ipsis successerit quantusque inde terror ephesiorum secutus sit, sic pergit narrare: « Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi et Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat daemonium pessimum et dominatus amborum invaluit contra eos ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus judaeis atque gentilibus qui habitabant Ephesi et cecidit timor super omnes illos, et magnificabant nomen Domini Jesu. *Multique credentium* (τῶν πεπιστευκότων) *veniebant confitentes et annuntiantes actus suos.* Multi autem ex iis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros et combusserunt coram omnibus et, computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat verbum Dei et confirmabatur. »

Factum quod hic narrat Lucas, aiunt auctores supra nominati esse argumento aetate apostolorum confessionem sacerdoti factam, fuisse in usu atque consuetudine fidelium habitamque ab iisdem esse veluti medium necessarium ad impetrandam graviorum delictorum post baptismum admissorum veniam.

Quibus illud sane concedendum est, confessionem de qua agitur in narratione Lucae, fuisse confessionem peccatorum. Absonam namque esse interpretationem Lutheri et Brentii contendentium credentes de quibus ibi loquitur Lucas, venisse nuntiatum miracula sua, patet — tum a) ex eo quod causa quae credentes illos impulit ad confitendum actus suos, fuit exemplum severitatis a Deo propositum, tali autem causa solent homines impelli ad culpandum suos actus, non vero ad eos depraedicandum et laudandum, — tum b) ex eo quod secundum loquendi consuetudinem omnium hominum eos actus nostros dicimur confiteri, a quorum manifestatione naturaliter refugimus, cujusmodi actus non sunt actus boni, sed actus mali, h. e. peccata, — tum c) ex eo quod, uti colligitur ex narrationis serie, quidam ex iis qui venerant confitentes et annuntiantes actus suos, confessione peracta, libros magicos quos apud se habebant, publice combusserunt quodque proinde studium et praxis artium magicarum pertinebant ad illos actus quos confessuri venerant.

Illud etiam certum est, confessionem illam peccatorum de qua refert Lucas, non fuisse genericam, sed distinctam sive specificam. Id quippe colligitur ex eo quod nemo dicitur confiteri et annuntiare actus suos, nisi eorum faciat enumerationem distinctam.

Illud denique satis etiam claret, agi loco citato de confessione facta a fidelibus qui jam ante prodigium quod ibi narratur, ad coetum credentium pertinebant quique idcirco censeri possunt jam fuisse baptizati. Participium enim perfectum πεπιστευκότες, quo nomine utitur Lucas ad eos designandos, significat tales qui jam ante crediderant.

ecclesia, fuit *conservatio bonae famae ecclesiae apud infideles*. Existimationi enim ecclesiae primis praesertim rei christianae saeculis maxime consultum esse oportuit, ne videlicet, si propter christianorum flagitia nota infamiae ecclesiae inuri potuisset, contigisset plurimos infideles ab amplectenda fide christiana averti. Eoque magis persecutionis temporibus necessarium fuit omni qua fieri poterat ratione bono ecclesiae nomini consuli, quod christianorum mysteria venditabantur a gentilibus consistere in propudiosis atque honestati morum adversantibus ritibus. Propter hanc igitur alteram causam constitutae sunt in vetere ecclesia poenae gravissimae in eos qui, perpretatis criminibus homicidii vel fornicationis, ecclesiam dedecorassent. Et quidem quibusnam poenis tria haec crimina capitalia, idololatria videlicet, homicidium et fornicatio, plectendae essent, canonibus singularum ecclesiarum definitum erat. Unde ea crimina, uti jam olim notatum est, appellata sunt *crimina canonica*. Et quidem, ut ea erant crimina canonica, non tam erant crimina specialia quam summa quaedam genera criminum sub se complectentia tamquam species quasdam omnia crimina quae qualitercumque habebant reductionem ad ipsa.

Erat autem institutum in unaquaque ecclesia tribunal quod de criminibus istis canonicis cognosceret. Praesidebatque huic tribunali episcopus loci eique veluti judices assidebant plures presbyteri et

---

Nec tenent rationes quae ad hujus oppositum suadendum afferuntur a Beelen in suis commentariis in hunc locum. Nam quod ait, non apparere unde sumendum sit incrementum numeri fidelium de quo agitur versu 20, si πεπιστευκότες versus 18 jam fuissent fideles baptizati, procedit ex suppositione falsa. Non enim ipsummet hoc incrementum, sed causae ejus accipiendae sunt ex narratione quae praecesserat; fuerunt autem hae causae tum generatim miracula per manus Pauli a Deo patrata, tum speciatim divina ultio exercita in eos qui nomine Jesu abutebantur ad quaestum. Quod vero idem auctor asserit, vix credi posse fuisse in novella illa ecclesia ephesina inter neophytos christianos non unum alterumve, sed bene multos qui gravia peccata commississent atque adeo diabolicas artes exercuissent, id apertam habet redargutionem ex eo quod, teste apostolo, in novella ecclesia corinthiaca multi erant qui corpus et sanguinem Domini manducassent indigne (1 Cor. XI, 29, 30) multique itidem qui non egissent paenitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserant (2 Cor. XII, 2).

Illud tamen incertum est, utrum confessio illa peccatorum de qua refert Lucas loco citato, fuerit secreta an publica itemque an ea fuerit sacramentalis, h. e. talis quae ordinaretur ad remissionem peccatorum beneficio absolutionis impetrandam. Pronum sane esset concludere confessionem illam fuisse sacramentalem, si in versu 18 nomen πράξεις staret absolute et indefinite, adeo ut sensus esset multos credentium omnia sua peccata tam interna quam externa confessos esse. At contextus tam antecedens quam consequens probabilissimum facit nomine πραξέων significari a Luca sola peccata quae professione magiae commissa essent. Quamobrem concludendum esse videtur infirmius esse argumentum quod pro usu confessionis sacramentalis temporibus apostolorum inter fideles obtinente ex loco Actuum supra citato a nonnullis interpretibus catholicis instituitur. (Cf. Knabenbauer, commentarius in actus apostolorum).

clerici. Satagebatque illud tribunal, facta inquisitione, detegere num qui christiani in crimina canonica incurrissent. Accipiebatque a testibus fide dignis denuntiationes contra eos qui talium criminum suspecti essent. Et quidem, si qui christianus tribunali illi ecclesiastico tamquam reus denuntiatus fuisset, aut si ex certis indiciis probabilis sumebatur conjectura eum crimini alicui canonico obnoxium esse, adigebatur ad comparendum coram illo tribunali. Quod si criminis cujus accusabatur, convictus esset, pronuntiabatur in ipsum sententia qua, pro qualitate criminis ab ipso admissi, paenitentiae publicae addicebatur. Obligabantur insuper lege ecclesiastica ii qui criminum canonicorum rei essent, ad se sponte prodendum episcopo.

Postquam vero, numero fidelium adaucto, jam pluribus negotiis distinerentur episcopi quam ut spontaneae reorum confessioni vel eos deferentium denuntiationibus assiduas aures praebere possent, devolutum est id officii ad presbyterum quem vocabant *paenitentiarium*. Hujus munera erant a) inquirere in eos qui crimina canonica admisissent, b) accipere denuntiationes contra eos, c) excipere spontaneam eorum confessionem, d) iis imponere paenitentiam publicam criminibus quibus se contaminassent proportionatam, e) iis invigilare ut tempore et modo praescriptis paenitentiam sibi impositam peragerent.

Exstitit ergo in vetere ecclesia confessio quaedam quae ordinabatur ad paenitentiam publicam.

781. — Porro sententia est quam magno consensu defendunt protestantes omnes, non aliam in vetere ecclesia confessionem specificam peccatorum esse habitam ut obligatoriam nisi eam qua in ordine ad suscipiendam paenitentiam publicam vel episcopo vel paenitentiario vel aliis presbyteris ab episcopo delegatis pandebantur a peccatoribus crimina canonica in quae incidissent. Adduntque talem confessionem non fuisse habitam ut obligatoriam jure divino, sed ut obligatoriam solo jure ecclesiastico. Monent etiam materiam necessariam hujus confessionis fuisse sola peccata canonica, h. e. peccata quaedam externa, ceteris graviora, quae possibile esset venire in notitiam vulgi quaeque eatenus essent publica.

Non tamen inficiantur protestantes etiam in ecclesia primorum saeculorum frequentatam esse confessionem specificam peccatorum non canonicorum, immo confessionem specificam peccatorum omnino occultorum et intra conscientiae repagula abditorum. Verum confessionem hujus modi peccatorum aiunt nulli pacto fuisse obligatoriam, sed omnino *ultroneam*. Deque origine ejus historica verba facientes, duplici

ex causa eam repetunt. Primam et praecipuam ejus causam aiunt fuisse confessionem peccatorum canonicorum. Ex usu videlicet peccata canonica confitendi qui in primaeva ecclesia observabatur, homines quosdam pios vel timoratos adductos fuisse ad peccata etiam penitus abdita confitendum. Alteram vero causam illius confessionis peccatorum internorum et occultorum aiunt fuisse instituta ascetica eremitarum et monachorum. Qui videlicet vitam monasticam profitebantur, sponte in se suscepisse obligationem omnia sua errata atque adeo cogitationes suae mentis vel abditissimas magistro suo spirituali manifestandi. Ex instituto porro illo monachorum consuetudinem peccata etiam occulta confitendi paulatim ad vulgus fidelium manasse.

782. — Ex hac protestantium de primo confessionis specificae ortu doctrina facile innotescit in quonam oporteat consistere nervum probationis quae pro dogmate catholico confessionis ex testimoniis antiquitatis instituenda est. Oportet videlicet ea probatione ostendi iis etiam rei christianae saeculis quae secundum protestantes ab omni labe corruptae fidei adhuc purae erant, confessionem specificam peccatorum etiam occultissimorum esse habitam ut necessariam ad impetrandam a Deo horum peccatorum veniam. Potest autem ejus modi ostensio perfici tripliciter, nempe — vel a) ostendendo patres illorum saeculorum, nullo facto discrimine inter peccata publica et peccata occulta, peccata canonica et peccata non canonica, generatim inculcare necessitatem peccata confitendi ad consequendam eorumdem remissionem, — vel b) ostendendo eosdem patres diserte inculcare necessitatem ipsa peccata cordis confitendi, — vel c) ostendendo patres diserte distinguere inter peccata canonica et peccata non canonica, et de utroque hoc peccatorum genere asserere ea esse necessario confitenda.

783. — Si talis probatio dari potuerit, ita contra protestantes arguere licebit. Nequit praecepto ecclesiastico praescribi confessio peccatorum occultorum vel adeo pure internorum, proindeque si ab ecclesia iis etiam temporibus ubi ab omni adhuc labe pura erat, confessio specifica peccatorum omnium, etiam occultissimorum ac pure internorum, credita est esse medium necessarium ad impetrandam horum peccatorum veniam, necesse est fateri usum specifice confitendi peccata omnia, etiam occultissima, descendere ab institutione Christi. Sed ab ecclesia, iis etiam saeculis ubi secundum protestantes ab omni labe adhuc pura erat, semper creditum est confessionem specificam peccatorum, etiam occultissimorum et pure internorum, esse medium

necessarium ad impetrandam a Deo horum peccatorum veniam. Ergo necesse est fateri usum specifice confitendi peccata, etiam occultissima et pure interna, descendere ab institutione Christi.

Seriem testimoniorum quibus probatur Minor hujus argumenti, producimus ab aetate apostolica usque ad finem saeculi VI[1].

784. — Et quidem quod attinet ad aetatem apostolicam, non est adducere ex ea nisi testimonia perpauca eademque talia quae sint sensus valde indeterminati ideoque et ambigui. Quod profecto nemo mirabitur qui compertum habuerit quanta sit penuria documentorum quae ex hac aetate antiquitas ad nos usque transmiserit. Unum tamen est testimonium quod magis perspicue pro re praesenti facere videtur. Accipitur ex libello cui titulus praefigitur *Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων*. Libellus hic, qui anno 1883 repertus est, ex vetustissima antiquitate christiana ad nos devenit. Quidam censent eum conscriptum esse intra annos 120-160; plures tamen critici consentiunt in collocando epocham ejus scriptionis intra annos 80-100. Quaecumque harum sententiarum sit verior, illud certum est, eo libro nobis repraesentari tum ritus quosdam sacros, quales in primaeva ecclesia apostolica celebrabantur, tum sensum in quem christiani primi vel secundi saeculi interpretabantur quaedam capita doctrinae apostolicae adhuc auribus suis insonantis. Porro capite 14, n. 1 praedicti libri auctor ipsius, jam verba faciens de liturgia sacra christianorum, sic loquitur : « Die dominica autem convenientes, frangite panem et gratias agite, *postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum* » (1).

Indefinite pronuntiat auctor *Διδαχῆς* fideles ante sumptionem eucharistiae debere confiteri sua delicta, non vero quaedam sua delicta. Confessio igitur de qua loquitur, est confessio omnium peccatorum tam occulterum quam manifestorum, tam internorum quam externorum. Eademque ex ejus mente videtur esse confessio non generica, sed specifica; uti enim jam saepe dictum est, qui nonnisi in genere significat se esse peccatorem, non dicitur proprie sua delicta confiteri. Non autem ipsi esse sermonem de confessione quae soli Deo secreto

(1) *Κατὰ κυριακὴν δὲ κυρίου συναχθέντες, κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε, προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ.* Dubium est an legendum sit *προεξομολογησάμενοι* an *προσευξομολογησάμενοι*. Nihil tamen refert utra lectio eligatur; quia sensus manet idem. Si enim posterior lectio adhibeatur, sensus erit sumptioni sacrae eucharistiae addendam esse confessionem peccatorum. Hanc autem additionem significat contextus faciendam ante sumptionem eucharistiae. Confessio enim peccatorum eum in finem ibi praecipitur *ut sit mundum sacrificium*.

fiat, elucescit ex eo quod in priore libelli parte instructionem continente quae catechumenis statim antequam baptizabantur, tradenda erat, ita praeceperat capite 4: « in ecclesia confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem in conscientia mala. » Sane cur in ecclesia facienda sit illa peccatorum confessio, ratio nequit esse nisi alterutra ex his duabus, scilicet vel a) quod ibi conveniendi sint sacerdotes quibus secreto fiat confessio, vel b) quod agatur de confessione quae publice coram conventu fidelium edenda sit. At vero confessionem illam peccatorum quam postulat auctor Διδαχῆς, non esse etiam confessionem publicam, videtur posse concludi ex eo quod confessio publica, saltem talis quae sit in praecepto quaeque se indefinite extendat ad omnia peccata, nequit esse nisi confessio generica, cum tamen, uti proxime arguebamus, confessio quam exigit auctor Διδαχῆς, videatur esse confessio specifica.

Illud omittendum non est, haut improbabiliter defendi posse auctorem Διδαχῆς in verbis supra citatis ex capite 14 ejus operis, respexisse ad praeceptum traditum ab apostolo I Cor. XI, 28, et sic confessionem quam ipse exigit, pertinere ad probationem illam quam eo loci exigit apostolus. Sicuti enim probatio et dijudicatio sui ipsius de qua apostolus, ad hoc requiritur ut ne quis eucharistiam sumat indigne, ita confessio illa peccatorum de qua auctor Διδαχῆς, ad hoc requiritur ut sit mundum sacrificium eucharisticum. Hoc autem supposito, adhuc probabilius evadit confessionem illam omnium peccatorum quam exigit auctor Διδαχῆς, esse confessionem specificam quae secreto fiat sacerdoti. Satis enim innuit s. Paulus probationem illam de qua agit loco citato, esse rem arduam, non autem fuisset ea probatio res admodum ardua, si ad eam pertinuisset tantummodo confessio aliqua generica peccatorum publice edita (1).

(1) Ex dictis patet ad confessionem sacramentalem probabiliter pertinere ea quae de necessitate confessionis tradunt pseudoClemens in constitut. apost., l. VII, c. 14, et auctor pseudoepistulae Barnabae, n. 19. Est videlicet liber VII constitutionem apostolicarum nihil aliud quam ipsemet libellus doctrinae duodecim apostolorum aliquatenus amplificatus. Pars vero pseudoepistulae Barnabae in qua de confessione agitur, transsumpta est ex eodem libello. Vixit autem compilator constitutionum apostolicarum non tardius saeculo IV exeunte vel principio saeculi V censentque plures eum floruisse saeculo IV ineunte. Epistula vera Barnabae scripta esse videtur paulo post libellum doctrinae apostolorum, nempe vel saeculo I inclinante vel saeculo II.

Constit. apostol., l. VII, c. 14: « Confiteberis Domino Deo tuo peccata tua, et non amplius adjicies ad ea, ut bene sit tibi a Domino Deo tuo, qui non vult mortem peccatoris, sed paenitentiam. »

Epistula Barnabae, n. 19: « Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem in conscientia mala. Haec est via lucis. »

785. — Quod jam attinet ad ea patrum testimonia quae ex saeculis IIº, IIIº et IVº ad suadendam necessitatem confessionis specificae adduci solent, quaedam in antecessum advertenda sunt. Sciendum est videlicet multa sane in scriptis horum patrum occurrere loca in quibus fit mentio exomologeseos et confessionis peccatorum quae a paenitentibus praestanda sit. At vero in usu horum testimoniorum magna opus est cautela magnoque delectu. Quippe ab eo tempore quo in ecclesia invaluit usus paenitentiae publicae, vox exomologeseos atque ipsa adeo vox *confessionis* necnon et verbum *confiteri* incoeperunt esse significationis ambiguae. Nomine videlicet exomologeseos significatur apud patres graecos saeculorum IIⁱ et insequentium, uti et apud Irenaeum, Tertullianum et Cyprianum, non solum confessio sacramentalis, sed etiam paenitentia publica vel hujus pars praecipua, quae obibatur in statione substratorum. Ideoque in testimoniis horum patrum nonnisi ex contextu elucescere potest utrum vox exomologeseos accipiatur pro confessione sacramentali.

Sunt sane qui dicant nomen exomologeseos primum adhibitum esse ad significandam solam confessionem sacramentalem ; postea vero hoc nomen idcirco extensum esse ad significandam paenitentiam publicam, quia in actione hujus paenitentiae includebatur confessio peccatorum sacramentalis et quia in ipsa hac confessione paenitentia publica injungebatur. Concluduntque inde, quotienscumque apud patres fit mentio exomologeseos, includi significatu hujus nominis non solum publicam actionem paenitentiae, sed etiam confessionem sacramentalem. Est haec sane conjectura probabilis; quominus tamen in controversia cum protestantibus ei locum aliquem concedamus, illud obstat quod aliunde assignari potest ratio cur paenitentia publica nomine exomologeseos appellitata sit. Etenim a) ipsa obitio paenitentiae publicae continebat genericam quamdam peccatorum confessionem. Insuper b) in prima paenitentium statione, quae erat flentium, paenitens oretenus profitebatur se ingentia flagitia admisisse. Ulterius c) saepenumero actio paenitentiae praecedebatur spontanea peccatorum confessione, edita coram toto presbyterio sive tribunali episcopi.

Quod vero attinet ad nomen *confessionis* et ad verbum *confiteri,* hisce vocibus non utebantur quidem patres latini, usu saltem frequenti, ad significandam actionem paenitentiae, non tamen insuetum ipsis erat iisdem uti ad significandam eam peccatorum accusationem quam qui paenitentiam acturi erant, coram toto presbyterio edebant.

786. — His praemissis, jam pergimus in producenda testimoniorum serie.

S. Irenaeus, Adversus haereses, libro I, capite 13, n. 5, de mulieribus quibusdam a Marco haeretico corruptis sermonem faciens ; « Hae, inquit, saepissime conversae ad ecclesiam Dei, confessae sunt (ἐξωμολογήσαντο) et secundum corpus exterminatas se ab eo veluti cupidine et inflammatas, valde illum se dilexisse. » Et ibidem, n. 7, de mulieribus a discipulis quibusdam Marci corruptis disserens : « In his quoque, inquit, quae sunt secundum nos regiones rhodanenses, multas seduxerunt mulieres, quae cauterizatas habentes conscientias, quaedam quidem etiam in manifesto exomologesin faciunt (αἱ μὲν καὶ εἰς φανερὸν ἐξομολογοῦνται) ; quaedam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes a vita Dei. »

Ex priore horum testimoniorum nihil est deducere pro confessione sacramentali. In posteriore tamen videtur insinuari ante exomologesin publicam institui fuisse solitam confessionem peccatorum secretam.

787. — **Tertullianus,** libro De paenitentia, agens in priore hujus libri parte de paenitentia quae catechumenis ante baptismum agenda sit, distinguit capite 3 peccata in duo genera, in interna nempe et externa, tum demonstrat de utrisque esse agendam paenitentiam. Demonstrationemque hanc principio capitis 4 ita concludit : « Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per judicium destinavit, idem et veniam per paenitentiam spopondit. » Inde vero a capite septimo tractat de paenitentia quae pro peccatis post baptismum commissis agenda sit. De qua capite 8, in fine, et capitibus 9 ac 10 haec perhibet : « Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. *Confessio enim satisfactionis consilium est,* dissimulatio contumaciae. »

« Hujus igitur paenitentiae secundae et unius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio, *ut non sola conscientia proferatur,* sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione paenitentia nascitur, paenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens, misericordiae ilicem ; de ipso quoque habitu et victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere,... presbyteris

advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere. Haec omnia exomologesis. »

« Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre praesumo, pudoris magis memores quam salutis : veluti illi qui, in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant et ita cum erubescentia sua pereunt. »

788. — Sunt etiam inter catholicos, v. g. Rigaltius et Albaspinaeus, qui asserant toto Tertulliani de paenitentia libro ne verbulum quidem occurrere de confessione auriculari. At manifeste falluntur. Tertullianus enim loco citato distinguit in exomologesi duo, nempe confessionem eamdemque particularem seu distinctam et satisfactionem sive actionem paenitentiae publicae. Nam a) confessionem ait esse *consilium satisfactionis,* per eam *disponi satisfactionem,* ex ea *nasci paenitentiam.* Quid est hoc aliud quam asserere in confessione imponi satisfactionem quae paenitenti publice sit praestanda ? Teste igitur Tertulliano, praecedebat peccatorum confessio paenitentiam publicam eratque haec confessio distincta, uti patet ex eo quod secus non potuisset paenitenti pro peccatis ab ipso commissis imponi proportionata praenitentia. Insuper b) summopere hic notandum est confessionem qua de agit Tertullianus, vocari ab eo *satisfactionis consilium.* Occurrit nempe haec loquendi formula in omnibus antiquis paenitentialibus tam orientis quam occidentis ac nominatim in paenitentialibus Joannis jejunatoris (saeculo VI), Theodori Cantuarensis (saeculo VII) et Ecberti (saeculo VIII). In omnibus hisce libris paenitens in fine confessionis specificae sacerdoti factae petit ab eo *consilium*, satisfactionis nempe. Et Ambrosius, auctor saeculi IV, ait in suo opere de paenitentia sacerdotem, audita confessione, dare paenitenti *consilium satisfactionis.* Et jam ante Ambrosium, Origenes, auctor saeculi III, eumdem modum loquendi usurpat. Si ergo jubet regula rectae interpretationis ut non ad placita novellorum quorumdam magistrorum, sed ad usum loquendi quem apparet toti veteri ecclesiae solemnem fuisse, sensus verborum Tertulliani exigatur, necessario dicendum est Tertullianum loco citato loqui de confessione distincta peccatorum quae secreto soli sacerdoti fieret. Itidem c) Tertullianus loquitur de confessione *quae fit Deo ;* jam vero haec etiam est formula loquendi qua patres posteriores, tam occidentis quam orientis, solent significare confessionem quae soli sacerdoti, tamquam locum Dei tenenti, fiat. Ulterius d) paenitentem qui sua peccata confiteatur, comparat Tertullianus cum infirmo qui morbos quos in secretioribus corporis

partibus contraxit, detegat medico. Agit ergo Tertullianus de confessione facta ei cui officium incumbit medendi vulneribus animae ; tale autem officium, uti nimis manifestum est, solis incumbit sacerdotibus. Rursumque hic notandum est hanc comparationem sacerdotis confessionem peccatorum excipientis cum medico morbos corporis curante magno consensu usurpatam esse ab omnibus ferme antiquis patribus. Huc accedit e) quod Pacianus, qui vivebat aetate non valde remota a temporibus Tertulliani quique doctrinam hujus viri vehementer suspiciebat, imitatur per omnia in sua paraenesi ad paenitentiam opus Tertulliani de paenitentia et multa ex eo transcribit. Jam vero Pacianus in hoc suo opere diserte distinguit inter confessionem quae praemittenda sit paenitentiae quaeque facienda sit sacerdoti et actionem paenitentiae publicae. Et quidem confessioni quae facienda sit sacerdoti, applicat omnia quae de confessione habet Tertullianus loco supra citato.

Porro confessione quae ante susceptionem paenitentiae publicae sacerdoti facienda sit, debere secundum Tertullianum aperiri peccata etiam occulta atque adeo peccata mere interna, satis patet — tum ex comparatione quam instituit Tertullianus inter peccata et morbos occultos corporis, — tum ex definitione paenitentiae quam capite 3 sui operis tradiderat. Eamdemque confessionem esse ipsius sententia necessariam ad consequendam a Deo peccatorum veniam, patet ex eo quod asserit eos qui ob pudorem hanc confessionem suffugiunt, *cum erubescentia sua perire*. Unde in fine capitis 10 de eadem confessione agens, quaerit an melius sit damnatum latere quam palam absolvi.

789. — Ex saeculo tertio damus duos testes insignes, Cyprianum, testantem de fide ecclesiae occidentalis, et Origenem, testantem de fide ecclesiae orientalis.

In epistulis Cypriani plurima exstant loca in quibus sanctus is doctor iis qui in idololatriam lapsi fuerant, inculcat necessitatem hoc suum crimen expiandi per factam exomologesin et susceptam paenitentiam publicam. Ea omittimus — tum quia hisce locis Cyprianus non loquitur diserte nisi de peccatis externis et publicis idololatriae vel adulterii, — tum quia in iis vox exomologeseos accipitur pro paenitentia publica. Ex tali videlicet hujus vocis usu fit ut, tametsi revera locis praedictis Cyprianus intendat inculcare necessitatem confessionis sacramentalis, id tamen ex verbis ejus per se inspectis nequeat probari adversus protestantes. Quod si tamen ad indagandum verum horum locorum sensum in subsidium advocentur ea quae de modo instituendi exomologesin tradit Tertullianus, evadunt ea loca vere probativa.

At in libro De lapsis, qui anno circiter 248 conscriptus est, exstat locus insignis, qui per se ad probandam rem de qua agitur, est efficacissimus. Aperte ibi docet Cyprianus confessionem specificam peccatorum, etiam occultorum, immo etiam omnino internorum, esse necessario faciendam apud sacerdotem ad consequendam a Deo horum peccatorum veniam. Et rationem hujus necessitatis assignat, dicens *Deum non derideri,* nec eum esse sicuti hominem *ut videat solummodo ea quae palam fiunt,* non vero etiam ea quae fiunt in occulto et intus in corde. Tali porro ratione utens, manifeste supponit sanctus martyr divinitus esse constitutum ut nullum peccatum remittatur nisi ministerio sacerdotum, et propterea praecipi jure divino ut omnia omnino peccata sacerdoti in confessione distincte aperiantur. En verba Cypriani :

Cyprianus, libro De lapsis, capite 28 : « Quanto et fide majores et timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, *quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesin conscientiae faciunt,* animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse : *Deus non deridetur* (Gal. VI, 7). Derideri et circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus immo delinquit qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se poenam criminis credit, si non palam crimen admisit... Confiteantur singuli, quaeso, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in saeculo est, *dum admitti confessio ejus potest,* dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est. »

790. — Catholici dogmatis de neeessitate confessionis auricularis luculentissimus simul et locupletissimus testis est **Origenes.** Nempe A) Docet Origenes potestatem remittendi ac retinendi peccata solis esse concessam sacerdotibus ; hanc porro potestatem exercendo, fungi sacerdotes officio medicorum spiritalium qui vulnera animarum curent. Sic in libello De oratione, cap. 28, n. 8 : « Habemus potestatem remittendi peccata in nos admissa... inquit, sed is in quem Jesus insufflavit, quemadmodum in apostolos quique a fructibus cognosci potest accepisse Spiritum sanctum et factus esse spiritualis,... dimittit quae dimitteret Deus et insanabilia peccata retinet, ministrans (ut prophetae Deo ministrabant, loquentes non sua, sed quae divinae erant voluntatis) sic et ipse soli dimittendi potestatem habenti Deo. Sic autem habent in evangelio secundum Joannem quae de remissione ab apostolis

facienda scripta sunt : accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, » etc.

Et ne forte dubitemus num nomine spiritualium eorum hominum quibus Christus concessit potestatem remittendi retinendique peccata, significentur ab Origene soli sacerdotes, liberat nos hoc dubio ipse Origenes, mox subdens non omnibus indiscrete sacerdotibus competere potestatem dimittendi ea peccata quae vocaverat insanabilia, nempe peccata canonica : « Sunt nonnulli, inquit, qui nescio quomodo, sibi arrogant ea quae sacerdotalem superant dignitatem, forte etiam rudes sacerdotalis disciplinae, glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare adulteriaque et fornicationes remittere, quasi, modo pro iis oraverint qui ejusmodi facinora perpetraverint, solvendum sit etiam quod ad mortem est peccatum ([1]). » Tum in Hom. 1 in ps. 37, n. 1 : « Et ille quidem Christus archiatros, qui posset curare omnem languorem et omnem infirmitatem, *discipuli vero ejus,* Petrus vel Paulus, sed et prophetae, medici sunt, *et hi omnes qui post apostolos in ecclesia positi sunt* quibusque curandorum vulnerum disciplina commissa est, *quos voluit Deus in ecclesia sua esse medicos animarum,* quia non vult Deus noster mortem peccatoris, sed et paenitentiam et orationem ejus exspectat. Deinde et iste psalmus qui nunc lectus est, ostendit nobis, ut si forte aliquando praevenimur in delictis, qualiter nos et cum quo affectu orare oporteat et medico supplicare pro doloribus vel infirmitatibus nostris. Si quando ergo praeoccupaverit nos inimicus et ignitis jaculis suis vulneraverit animam nostram, primo hoc nos docet hic psalmus, quod convenit post peccatum confiteri peccatum. »

791. — B. Secundum Origenem confessio peccatorum facta ei medico spirituali qui est sacerdos, est medium ad consequendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum. Nam in Hom. 2 in Leviticum, n. 4 : « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per paenitentiam remissio peccatorum, inquit, cum lavat peccator

([1]) Non ita accipienda sunt haec Origenis verba ac si cum Tertulliano ipse existimasset esse quaedam peccata quae potestate clavium remitti nequeant. Etenim a) in Levit. hom. 16, docet pro gravioribus peccatis mortalibus semel concedi paenitentiam. b) In libro III contra Celsum, n. 50, ait eos qui libidine aliove graviore crimine dejecti fuerint, segregari a communitate christianorum et veluti mortuos lugeri, postquam tamen se emendaverint, iis veniam concedi. In eodemque loco dat intellegendum non quibusvis sacerdotibus concessam fuisse potestatem peccata canonica dimittendi, sed iis dumtaxat quorum peculiare erat munus in mores christianorum inquirere. Intendit ergo Origenes in verbis citatis dicere peccata canonica esse de genere eorum quae hodie vocamus *reservata.*

in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et *cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum,* et quaerere medicinam secundum eum qui ait, *dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* » Valde autem notandum est septimum illud medium consequendi peccatorum veniam quod est paenitentia et ad quod pertinet peccatorum confessio, vocari ibi ab Origene *sacrificium paenitentiae.*

792. — **Objicit hic Dallaeus 1°** ex verbis Origenis modo allatis elucescere confessionem peccatorum non esse reputatam in vetere ecclesia medium necessarium ad eorumdem remissionem consequendam ; septem enim loco citato ab Origene enumerari media ad consequendam peccatorum veniam, baptismum scilicet, martyrium, eleemosynam, injuriarum condonationem, reductionem peccatoris ad meliorem frugem, caritatis fervorem et paenitentiam, ad quam pertineat peccatorum confessio.

Respondetur Origenem loco citato induxisse quosdam objicientes melioris fuisse condicionis veteres judaeos quam christianos ; apud judaeos enim plura exstitisse media consequendi remissionem peccatorum ; apud christianos vero post baptismum susceptum jam nullum tale medium adesse. Ad hanc igitur objectionem plene diluendam enumerat omnia omnino media in ecclesia exsistentia ad consequendam remissionem sive peccatorum ante baptismum patratorum, sive peccatorum venialium, sive peccatorum mortalium post baptismum commissorum, inter haec ultima autem media non ponit solum sacramentum paenitentiae, sed etiam ea quae supplent vim sacramenti paenitentiae.

793. — **Objicit Dallaeus 2°** : Si tempore Origenis confessio peccatorum fuisset existimata esse necessaria ad consequendam remissionem peccatorum et si per consequens ea in frequenti fuisset usu, sicut est hodie, inter catholicos, non potuisset suboriri mentibus fidelium dubitatio an in ecclesia adesset aliquod medium consequendi remissionem peccatorum post baptismum commissorum.

Respondetur a) objectionem quam solvit Origenes, poni ab eo in ore auditorum, h. e. catechumenorum, qui erant ignari institutorum ecclesiae. Discimusque b) a Paciano, in Paraenesi ad paenitentiam, in pluribus ecclesiis paenitentiae sacramentum catechumenis et baptismo recens tinctis occultatum fuisse ut innocentiam baptismalem incontaminatam servare studerent.

794. — C. Secundum Origenem confessio specifica peccatorum sacerdoti facta, est necessaria ad consequendam remissionem peccatorum, eademque oportet declarari peccata omnia, etiam occultissima et

mere interna. Nam in Levitic. hom. 3, n. 4, ita perhibet : « *Audi quid legis ordo praecipiat.* Si peccaverit, inquit, unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt et in publicum proferenda cuncta quae gerimus. *Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo vel etiam intra cogitationum secreta commisimus,* cuncta necesse est publicari, cuncta proferri, proferri autem ab illo qui et accusator peccati est et incentor [h. e. a diabolo]. Ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus, accusat. *Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus,* nequitiam diaboli, inimici nostri et accusatoris, effugimus. Sic enim et alibi propheta dicit : *dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Nonne evidenter mysterium de quo tractamus, ostendit, cum dicit : *dic tu prior,* ut ostendat tibi quia praevenire illum debeas qui paratus est ad accusandum. Tu ergo, inquit, dic prior ne te ille praeveniat. Quia si prior dixeris *et sacrificium paenitentiae obtuleris secundum ea quae in superioribus diximus offerenda,* et tradideris carnem tuam in interitum ut spiritus salvus fiat in die Domini, dicetur et tibi quia percepisti et tu in vita tua mala, nunc vero hic requiesce. Vide ergo quia pronuntiare peccata, peccati remissionem meretur. Praeventus enim diabolus in accusatione ultra nos accusare non potest. »

Agitur eo in loco de confessione sacramentali ; testatur enim Origenes se loqui de confessione pertinente ad eam paenitentiam quam in superiore homilia vocaverat sacrificium paenitentiae ; hanc autem confessionem dixerat faciendam esse sacerdoti ad consequendam ejus ministerio remissionem peccatorum.

795. — Jam ponendum est testimonium classicum in quo Origenes non solum recenset inter peccata quae confitenda sint, peccata interna, sed diserte distinguit inter peccata canonica et peccata non canonica et ait tam haec quam illa esse distincte confitenda medico spirituali, h. e. sacerdoti.

Origenes, in psalm. 37, hom. 2, n. 6 : « Pronuntiationem iniquitatis, id est confessionem peccati, frequenter diximus. Vide ergo quid edocet nos scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur ; etiam hi qui peccaverint, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem

ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum : proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam : ut ita demum, si quid ille dixerit qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. »

Ex quarto saeculo catholici dogmatis de necessitate confessionis auricularis testes damus Lactantium, Pacianum, Ambrosium, Aphraatem, Basilium, Ephrem, Hieronymum et Asterium Amesenum.

796. — **Lactantius**, divinarum institutionum, libro IV, cap. ultimo: « Quia singuli quique coetus haereticorum se potissimum christianos et suam esse catholicam ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram in qua est religio, confessio et paenitentia, quae peccata et vulnera quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. »

En distinguit ibi Lactantius confessionem a paenitentia, h. e. ab ipsa satisfactione, praxis autem hujus confessionis est secundum ipsum nota ecclesiae. Confessio ergo peccatorum est secundum Lactantium institutionis divinae, quia nota ecclesiae nequit esse nisi aliquid quod ipse Christus suae ecclesiae indiderit. Sicut ergo verba Lactantii intellegi nequeunt de confessione illa peccatorum generica quae continebatur ipsa actione paenitentiae publicae, quia secundum talem modum intellegentiae jam nihil interfuisset inter confessionem et paenitentiam, ita ea verba nequeunt intellegi de confessione quae fiebat coram tribunali episcopi et assessorum ipsius, quia talis confessio non erat institutionis divinae. Restat ergo ut in loco citato Lactantius loquatur de confessione peccatorum quae vi verborum Christi apud Io. XX, 23, necessaria sit ad consequendam remissionem peccatorum.

797. — **Pacianus**, in Paraenesi de paenitentia, A. disertissimus est testis, paenitentiae, de qua in eo opere agit, partem praecipuam fuisse confessionem peccatorum ; hanc porro confessionem non contentam fuisse ipsamet actione paenitentiae publicae, sed huic praemittendam fuisse. Quod jam significat in ipsomet sui operis prooemio, ubi ea de quibus dicturus erat, ordine enumerat. « Tum de his fidelibus, inquit, dicam, qui remedium suum erubescentes male verecundi sunt, *et inqui-*

nato corpore ac polluta mente communicant... Tertio de his erit sermo qui, *confessis bene apertisque criminibus, remedia paenitentiae actusque ipsos exomologeseos administrandae aut nesciunt aut recusant.* » (op. cit. n. 2) Ex quibus verbis est etiam illud apertissimum, loqui videlicet Pacianum de confessione distincta peccatorum. Quod ceteroquin et ex aliis ejus verbis jam deinceps citandis fiet manifestum.

B. Secundum Pacianum confessio illa praevia et distincta peccatorum non est facienda cuilibet homini, sed soli animarum medico, nempe sacerdoti. Nam jam propositum exsequens, ita exhortatur peccatores ad suorum peccatorum confessionem : « Vos ergo primum appello, fratres, inquit, qui, criminibus commissis, paenitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri, qui cum mala conscientia Dei sancta contingitis et Dei altare non timetis... In prima corinthiorum Paulus haec intulit : *Quicumque*, inquit, *manducaverit aut biberit calicem Domini indigne*, etc... Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus, etiam secaturos, etiam perusturos. » (opere citato, nn. 6, 7, 8)

Porro medicum cui aperienda sint in confessione vulnera animae, esse sacerdotem, significat Pacianus, ubi jam agit de iis qui paenitentiam ipsis praescriptam obire nolunt. « Nunc ad eos sermo est, inquit, qui bene ac sapienter vulnera sua paenitentiae nomine confitentes, nec quid sit paenitentia, nec quae vulnerum medicina, noverunt; similesque sunt illis qui plagas quidem aperiunt ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur; sed admoniti, quae imponenda sunt, neglegunt, et quae bibenda, fastidiunt... *Quid ego faciam nunc, sacerdos, qui curare compellor ?* » (opere citato, n. 9)

C. Secundum Pacianum confessio illa distincta peccatorum quae sacerdoti est facienda, non unice ordinatur ad paenitentiam publicam, sed est juris divini, eademque declaranda sunt omnia peccata gravia, sive sint aperta, sive sint occulta, sive sint externa, sive sint interna. Utrumque patet ex verbis citatis. Secundum Pacianum enim confessio illa distincta peccatorum est *probatio illa* qua apostolus ait ab homine immundam conscientiam habente judicium in semetipsum ferendum esse, priusquam ei fas sit accedere ad mensam eucharisticam. Patet autem talem probationem esse juris divini; quandoquidem apostolus loco citato asserit se ea tradere quae accepit a Christo Domino.

Patetque itidem, si, uti vult Pacianus, probatio illa qua secundum Paulum peccator semetipsum debet judicare, consistat in confessione peccatorum sacerdoti facta, oportere ut confessione illa sacerdoti aperiantur peccata etiam occulta atque adeo peccata etiam mere interna. Quippe talibus etiam peccatis, et non solummodo peccatis canonicis, inquinatur conscientia fitque homo indignus sumptione sacrae eucharistiae.

798. — Nec juvat dicere cum Dallaeo 1° ex scopo Paciani et ex ipsa rerum in opere citato tractatarum serie palam fieri Pacianum non loqui nisi de confessione peccatorum canonicorum. Quippe principio sui operis ipsum protestari se sermonem esse habiturum *de curatione paenitentium* sive *de institutione paenitentiae*. Tum in prima operis parte ipsum enumerare et a ceteris peccatis accurate secernere ea peccata propter quae sola aliquis obstrictus teneatur lege illius paenitentiae quae ipsius sermonis est subjectum. Peccata autem quae tamquam materiam hujus paenitentiae distincte enumerat, esse sola peccata canonica, nempe idololatriam, homicidium et fornicationem. Quando igitur ipse jam deinceps paenitentiam de qua disserit, distinguit in confessionem et publicam actionem paenitentiae, vi prius ab eo dictorum necessario intellegendum esse ipsum non loqui nisi de confessione peccatorum canonicorum. Tandemque confessionem non fuisse sacramentalem, sed edendam fuisse coram tribunali in quo in foro externo ecclesiae episcopus judex sedebat, Pacianum aperte significare hisce suis verbis : « Quid facies, tu qui decipis sacerdotem ? Qui aut ignorantem fallis, *aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis.* »

799. — Haec non juvat dicere, inquam; nam a) pro immodica severitate quam temporibus Paciani in ecclesiis hispanicis viguisse testes sunt canones concilii eliberitani, haut improbabiliter responderi posset Pacianum tribus illis peccatis capitalibus quae sunt idololatria, homicidium et fornicatio, voluisse complecti omnia peccata mortalia, etiam pure interna. Illud certum est, ab ipso, quando de his peccatis tractat, significari ad ea etiam pertinere peccata quae intus in voluntate committuntur. *Multi*, inquit, *etiam animo in haec peccata ceciderunt.* Verum nobis non est opus tali responsione; arbitramur nempe verba quae proxime citavimus, idcirco prolata esse a Paciano, quia respiciebat ad materiam confessionis, de qua mox dicturus erat. Respondemus itaque aliter, concedendo b) scopum Paciani in scribendo suam paraenesin ad paenitentiam fuisse disserere de ea paenitentia quae publice suscipienda erat propter peccata canonica. Addimus tamen ipsum non

potuisse hoc argumentum rite tractare, nisi tractaret etiam de iis quae cum paenitentia publica necessario conserta erant. Quia ergo paenitentiae publicae praemittenda erat confessio sacramentalis et quia nonnisi in hac confessione imponi solita erat paenitentia publica, idcirco ipse necesse habuit exponere doctrinam catholicam de confessione sacramentali. Et sic adductus est ad docendum ea confessione declaranda esse omnia omnino peccata mortalia, etiamsi non sint canonica. Sane a) si, uti volunt protestantes, confessio de qua agit Pacianus, sola lege ecclesiastica praescripta esset, idque eum solum in finem ut imponeretur confitentibus paenitentia publica, nemo certe ad hanc confessionem faciendam accessisset, nisi animo suscipiendi actionem paenitentiae publicae. Jam vero Pacianus testatur non defuisse inter fideles qui rite quidem confiterentur sua peccata, sed recusarent suscipere paenitentiam publicam, si haec iis forte post factam ab ipsis suorum peccatorum confessionem praescripta esset. Non ergo confessio de qua agit Pacianus, erat confessio facta in foro externo ecclesiae in ordine ad suscipiendam actionem paenitentiae publicae. Itidem b) secundum protestantes paenitentia publica et confessio eam praecedens non ordinabantur ad consequendam a Deo remissionem peccatorum, sed unice ad satisfaciendum ecclesiae. Sed Pacianus diserte asserit se loqui de ea confessione « qua conscientiae maculae purgantur. » Vocatque hanc confessionem *ordinariam,* quo videlicet eam distinguat a confessione quae aliquando fiebat in foro externo coram episcopo et ejus presbyterio. Confessio ergo de qua agit Pacianus, erat obeunda etiam iis qui, quamvis non incidissent in peccata canonica, alia tamen peccata mortalia commisissent (1).

Quod vero attinet ad verba Paciani quae in objectione adducta sunt, iis significatur dumtaxat eos qui in foro externo criminum canonicorum convicti essent, potuisse etiam invitos prohiberi a communione eucharistica et a susceptione sacrorum ordinum ; non vero potuisse a sacrilega horum sacramentorum susceptione prohiberi eos qui nec in foro externo plene convinci potuissent, nec in foro interno vellent confiteri sua peccata et paenitentiam canonicam suscipere.

800. — Nec juvat dicere 2° Pacianum haut obscure significare confessionem de qua loquitur, coram pluribus edendam fuisse. Exhortando enim peccatores ne propter erubescentiam a peccatis suis

(1) In prooemio sui operis promittit Pacianus se in quarta operis parte ostensurum « quae sit corona, quod praemium *conscientiae maculas recta et ordinaria confessione purgantibus.* »

confitendis deterreantur, ita eum dicere : « Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite. »

801. — Nec ita juvat dicere, inquam ; nam a) qui in verbis citatis fratres appellantur, sunt ipsi sacerdotes. Nam et seipsum hac appellatione designat Pacianus. Sic v. g. in ipso sui operis exordio : « Hujus mei operis diligentiam, inquit, a me ipso, fratre vestro et sacerdote, susceptam, amorem potius credite quam rigorem. » Quod vero b) in verbis objectis pluraliter nominet fratres, hujus ratio potuit esse quod peccatoribus optio dabatur inter plures sacerdotes ei cui vellent, confitendi. Ceterum c) mox post verba objecta addit Pacianus : « In uno (h. e. sacerdote) et altero (h. e. paenitente) ecclesia est. » (1) Quibus verbis significat confessionem qua de agit, nonnisi uni sacerdoti fieri solitam esse.

802. — S. Ambrosius duos libros scripsit de paenitentia. Prior liber est veluti prooemialis in eoque sanctus doctor, disputans contra novatianos, multis probat Christum hisce suis verbis : « *Quorum remiseritis*, » etc. contulisse sacerdotibus veram potestatem remittendi peccatoribus paenitentiam agentibus offensas quas in Deum admisissent. Quod jam sufficit ad ostendendum s. Ambrosium non loqui de paenitentia quae eum solummodo in finem instituta esset, ut satisfieret ecclesiae, quod inane est commentum protestantium. In altero vero libro, jam de modo quo agenda sit paenitentia tractans, eodem ordine procedit atque Tertullianus et Pacianus. A capite videlicet primo usque ad caput octavum agit de ea peccatorum confessione quae praemittenda erat actioni paenitentiae publicae. Quod argumentum tractans, identidem digreditur a proposito, sive ad denuo confutandum novatianos, sive ad commendandam virtutem castitatis. A capite vero octavo usque ad finem libri agit de ipsa actione paenitentiae publicae.

Porro A. *secundum sanctum Ambrosium confessio ista peccatorum quae actionem paenitentiae publicae praecedebat, ordinabatur ad consequendam remissionem peccatorum a Deo.* « Et nos ergo, inquit capite 1, non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat, sed ille pudor agrum suum arat. » Et capite 6 : « *Si vis justificari,* inquit, *fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum...* Vides qua remissionis gratia te provocet [Deus] ad confitendum ».

(1) Ea verba, sicuti reliqua ferme omnia quae de paenitentia disserit Pacianus, mutuatus est a Tertulliano ex hujus libro de paenitentia.

B. *Secundum Ambrosium confessio illa peccatorum debet esse specifica.* Patet id jam sufficienter ex verbis sancti doctoris modo recitatis. At vero id fit apertissimum ex iis quae habet capite 7: « Quid vereris, inquit, apud bonum Dominum iniquitates tuas fateri... *Novit omnia Dominus, sed exspectat vocem tuam,* non ut puniat, sed ut ignoscat : non vult ut insultet tibi diabolus *et celantem peccata tua arguat.* Praeveni accusatorem tuum; si te ipse accusaveris, accusatorem nullum timebis; si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, revivisces. »

C. *Secundum s. Ambrosium confessio ista peccatorum specifica debet fieri sacerdoti eademque declarari debent peccata etiam non canonica atque adeo peccata omnino occulta.* Assertum patet manifestissime ex iis quae disserit Ambrosius capite 8. Utitur ibi videlicet similitudine ea, omnibus antiquis patribus familiarissima, qua sacerdos confessionem peccatorum excipiens comparatur medico vulnera corporis curanti. Et primarium quidem medicum cui in confessione vulnera animae detegenda sint, asserit esse Deum. « Ostende igitur, inquit, medico vulnus tuum ut sanari possis. Etsi non monstraveris, novit; sed a te exspectat audire vocem tuam. » At in sequentibus ostendit Deo in confessione ostendi vulnera animae, in quantum ostenduntur sacerdoti locum Dei tenenti. Nam primo quidem ne vereantur peccatores ad se accedere, fatetur se esse peccatorem maximum incusatque se delictorum quae ante susceptum sacerdotium admisit. Deinde precatur Deum ut in audiendis confessionibus peccatorum digne officio medici animarum fungi possit. « Da, inquit, ut condolere possim peccatoribus affectu intimo; haec enim summa virtus, quia scriptum est : *et non gaudebis super filios Juda in die perditionis eorum, et ne magna loquaris in die tribulationis eorum;* sed *quotienscumque peccatum alicujus lapsi exponitur,* compatiar, nec superbe increpem, sed lugeam et defleam, ut dum aliunde fleo, meipsum defleam, dicens: *justificata est magis Thamar quam ego.* » Postremo jam descendens ad species eorum peccatorum quae in confessione exponuntur, nominat non solum peccata canonica, sed etiam peccata non canonica, aitque sacerdotem, dum ea audit, magis debere incusare seipsum quam paenitentem. « Fortassis, inquit, adolescentula lapsa sit, occasionibus, quae delictorum fomites sunt, decepta et praeoccupata; peccamus et seniores. Repugnat in nobis lex hujus carnis legi mentis nostrae... *Incusamus alicujus avaritiam;* recordemur si nihil ipsi avare fecimus... Si commoti fuerimus in quemquam graviter, *leviorem causam laicus habet quam episcopus, eo quod commotius egerit aliquid.* »

Porro secundum Ambrosium etiam peccata prorsus recondita atque adeo ea etiam quae intus in voluntate consummata sunt, necessario esse confitenda, liquet — tum a) ex eo quod sanctus doctor indefinite asserit iniquitates esse confitendas, — tum b) ex eo quod talia peccata saepenumero graviora sunt quam minora illa peccata externa quae sanctus doctor adducit ut exempla peccatorum in confessione declarandorum, — tum c) ex eo quod si peccata etiam occulta vel mere interna non essent accusanda in confessione, falsum esset dicere Deum exspectare vocem peccatoris ut ei ignoscat, et celantem peccata sua a diabolo argui; quae tamen sunt rationes quibus sanctus Ambrosius inculcat necessitatem confessionis.

803, — Ex probatione quam dedimus, concludendum est non posse accipi nisi de confessione sacramentali ea quae de modo quo Ambrosius confessiones solitus erat excipere, narrat in vita sancti episcopi Paulinus, ejus notarius et ecclesiae mediolanensis diaconus. Manifestum est enim in ea suae narrationis parte respexisse Paulinum ad ea quae ex Ambrosii libri II de paenitentia capite 8 proxime adduximus. En verba Paulini, opere citato, n. 39: « Quotienscumque illi aliquis ob percipiendam paenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint quam accusatores apud homines. Nam et secundum apostolum et circa hujusmodi hominem confirmanda caritas est; quia ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem, sed praevenit; ut confitendo suum allevet ipse delictum, ne habeat quod adversarius diabolus criminetur... Vocem enim eripit adversario et quasi dentes quosdam paratos ad praedam criminationis infestae, peccatorum suorum confessione confringit, dans honorem Deo cui nuda sunt omnia et qui vult vitam magis peccatoris quam mortem. Nam et ipsi paenitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur emendatio facti, ut paenitens non faciat paenitenda, humiliet etiam animam suam, sicut David sanctus. »

804. — Ante aetatem Paciani et Ambrosii floruit prope Mossoul in monasterio Mar Matthaei ad ripam orientalem Trigridis sito, **Aphraates**, dictus sapiens persa, qui, uti ex ejus scriptis colligitur, non modo fuit monachus, sed et sacerdotali atque episcopali dignitate decoratus erat. Estque omnium patrum syriacorum quorum scripta ad nos pervenerunt, antiquissimus. Natus videtur versus annum 280;

scripsitque annis 336-337 decem primas ex viginti tribus dissertationibus quibus titulum fecit *epistularum*. Una ex his decem dissertationibus tractat de paenitentia. Ex ea sequentia accipiuntur.

A. Aphraates, haut secus atque Tertullianus, Origenes, Pacianus et Ambrosius, testis est in vetere ecclesia peccatorum confessionem actioni paenitentiae praemissam fuisse in eademque confessione hanc paenitentiae actionem imponi solitam esse.

B. Ministrum talis confessionis accipiendae perhibet Aphraates fuisse solum sacerdotem, quem vocat depositarium clavium turris caelorum quemque, utens metaphora ab omnibus antiquis patribus adamata, vocat etiam medicum animarum. Ejusdemque ait figuram gessisse stabularium illum cui pius samaritanus dedit duos denarios ad curandum viatorem qui spoliatus a latronibus et vulneribus confossus, semivivus in via relictus fuerat.

C. Quando Aphraates peccatores adhortatur ne propter pudorem paenitentiam de suis peccatis agere detrectent, ei, sicuti Tertulliano, Origeni, Paciano et Ambrosio, unice sermo est de pudore peccatores a peccatis suis sacerdoti confitendis revocante, non vero de pudore eosdem sua peccata jam confessos a suscipienda actione paenitentiae publicae deterrente ([1]). Ex quo colligitur a) confessionem eam peccatorum quam ait Aphraates sacerdoti faciendam esse, constitisse in

([1]) Asserit Bickel in dissertatione quam De veteris ecclesiae orientalis circa confessionis auricularis necessitatem mente edidit in periodico « Die Zeitschrift von Insprück », eo tempore quo disciplina paenitentiae publicae plenum adhuc suum vigorem obtinebat, actionem paenitentiae publicae passim habitam esse ut partem longe difficillimam paenitentiae, idque non ea de causa quod exercitiis paenitentiae publicae cruciabatur caro, sed quia pudebat homines publice profiteri sese esse peccatores. Ex eoque ait esse repetendam rationem cur Tertullianus aliique veteres patres, quando exhortantur peccatores ne male eos pudeat sua peccata confiteri, unice loquantur de confessione peccatorum quae consistat in obitione paenitentiae publicae. Aphraatis vero tempore ait in oriente nervos disciplinae paenitentialis jam valde relaxari coepisse, ita ut eo tempore, sicuti hodiedum, respectu plerorumque peccatorum pars sacramenti paenitentiae quae reputaretur esse ceteris molestior, jam non esset satisfactio, sed confessio peccatorum sacerdoti facienda. Et hujus signum esse ait quod Aphraates jam unice praemuniat peccatores contra eum pudorem quem experitur paenitens in confitendo sua peccata sacerdoti. Hinc porro deducit factum suppressae toto ferme oriente paenitentiae publicae sub Nectario patriarcha, non quasi ex abrupto contigisse, sed toto ferme saeculo quod praecesserat, per paulatim mitigatam disciplinam paenitentialem praeparatum fuisse. — De hac viri eximii theoria dicendum est eam fundari in falsa intellegentia scriptorum a Tertulliano et aliis veteribus patribus de paenitentia. Uti enim a nobis ostensum est, sermo est hisce patribus de confessione sacramentali, quando notant pudorem tamquam unam ex his causis propter quas tempore quo scribebant, revocabantur peccatores a suscipienda paenitentia. Ceterum falsitas theoriae Bickellianae sufficienter patet ex eo quod in epistulis canonicis Basilii et Gregorii Nysseni, qui Aphraate sunt tempore posteriores, ne vestigium quidem est deprehendere alicujus laxamenti quod in veterem disciplinam paenitentialem inductum fuisset.

confessione peccatorum specifica. Nam si ea confessio fuisset generica, non minus, sed potius magis exhortandi fuissent peccatores ad vincendum pudorem quem secum affert obitio paenitentiae publicae. Ceterum secundum Aphraaten confessionem quae fit sacerdoti, debere esse specificam, patet etiam ex eo quod secundum ipsum tali confessione peccator sacerdoti tamquam medico debet detegere suae animae vulnera.

D. Secundum Aphraaten confessio specifica peccatorum sacerdoti facta ordinatur ad remissionem peccatorum eademque ad consequendam hanc remissionem prorsus est necessaria. Perhibet enim hic antiquissimus fidei ecclesiae syriacae testis eos qui male sano pudore retenti, sua peccata confiteri nolunt, non posse sanari a vulneribus suorum peccatorum, eosdemque gangraena peccatorum suorum corrumpi et putrescere ac tandem mortem aeternam incurrere.

E. Denique secundum Aphraaten confessionem illam peccatorum quam sacerdoti faciendam esse perhibet, non fuisse ordinatam ad paenitentiam publicam, et per consequens in ea omnia omnino peccata, etiam si essent occulta et mere interna, aperienda fuisse patet — tum a) ex eo quod ipse, nullo facto discrimine inter peccata canonica et peccata non canonica, indefinite pronuntiat vulnera animae medico spirituali ostendenda esse, si sanitas animae recuperari velit, — tum maxime b) ex eo quod, dum aliunde constat paenitentiam publicam nonnisi semel in vita concedi solitam esse, de remedio hoc peccati quod est confessio, docet Aphraates illud iterari posse, immo omni peccatori, quamdiu hanc vitam mortalem vivit, dummodo resipuerit, illud esse adhibendum. Ex qua ejus doctrina non modicum lumen affunditur dictis aliorum patrum de paenitentia.

805. — En ipsa verba Aphraatis : « Omnibus vulneribus sua sunt medicamenta, quibus sanantur, modo prudens medicus ea perspecta habuerit. Quamobrem et iis qui in certamine nostro (spirituali) plagis affecti fuerint, paratum est paenitentiae pharmacum, quo ipsis adhibito, ad sanitatem redeunt. O medici, discipuli sapientis nostri medici, accipite illud remedium quo languentium vulnera sanetis. Quando milites in acie ab hoste percussi sunt, si peritus iis adsit medicus, solerter is inquirit qua ratione iis medeatur, idemque, postquam eos ad sanitatem reduxit, muneribus atque honore a rege donatur. Simili modo, carissimi, et ei qui in nostra pugna decertat hostique suo occurrens, ab eo percussus fuit, si ob vulnus ei inflictum magnopere doleat, concedere oportet paenitentiae medicamentum. Deus quippe paenitentes non rejicit... »

« Militem qui in acie vulneratus fuerit, non pudet manibus prudentis medici sese curandum committere ; nam, quamvis ab hoste superatus plagisque affectus sit, eum tamen, postquam sanitatem recuperavit, rex non respuit, sed denuo cohortibus suis accenset... Eumdem ad modum etiam homo qui a daemone vulnus accepit, non debet rubore prohiberi quominus delictum suum confiteatur, illud deserat et paenitentiae remedium petat. Quem enim pudet suum vulnus manifestare, eum gangraena mox inficit, qua late serpente, nocumentum ad totum ejus corpus extenditur. At qui, compresso pudore, medicum adit, mox ab accepto vulnere convalescit et ad proelium reverti potest. Contra, quem gangraena invasit, is jam sanari non potest neque arma quae deposuerat, denuo induere. Ita et ei qui in nostro certamine superatus est, exinde suppetit recuperandi salutem ratio quod dicit : peccavi, quodque paenitentiam exoptat. *Qui vero erubescit, nequit sanari, eo quod non vult sua vulnera ostendere medico, qui duo denaria accepit quorum subsidio omnes vulneratos sanet.* »

« Decet autem vos, medici, qui discipuli estis sanctissimi nostri medici, medicinam non denegare iis qui ea indigent. Si quis vobis vulnus suum ostenderit, adhibete ei remedium paenitentiae ; quem vero pudet vobis infirmitatem suam manifestare, eum monete ne eam vos celet. Postquam autem eam vobis detexerit, nolite eam aliis patefacere, ne forte propter ipsum etiam ii qui victores exstiterunt, ab inimicis et osoribus nostris habeantur pro victis ([1]). »

([1]) Utitur hisce verbis Bickel ad suam persuadendam sententiam de paenitentia publica quae tempore Aphraatis jam valde in oriente relaxari coepisset. Contendit videlicet iis contineri exhortationem ad sacerdotes de non adigendis ad paenitentiam publicam iis paenitentibus qui peccata sua ipsis secreto confessi essent. Immo, si viro doctissimo credamus, Aphraates hisce suis verbis auctor fuisset sacerdotibus ut paenitenti peccata canonica a se admissa ipsis sacramentaliter confesso ne tum quidem injungerent paenitentiam publicam, quando haec ipsius peccata jam ab aliis denuntiata fuissent.

At vero haec viri doctissimi interpretatio nullum prorsus in iis quae dicit Aphraates, fundamentum habet. Aliud quippe est non revelare peccata canonica in confessione a paenitente exposita; aliud vero est pro iis non injungere paenitentiam publicam. Jam vero ad prius horum sacerdotes exhortatur Aphraates, non vero ad posterius.

Sane a) ex ratione qua suum ad sacerdotes monitum firmat Aphraates, manifestum fit ab ipso non dari merum consilium, sed inculcari obligationem qua jure divino adstringantur sacerdotes. Jam vero ne ipse quidem Bickel contenderit sacerdotes tempore Aphraatis jure divino obligatos fuisse ad non imponendum paenitentibus paenitentiam publicam pro iis peccatis quae canonibus ecclesiarum tali poena plectebantur. Itidem b) id ipsum quod a sacerdotibus confessiones paenitentium excipientibus vult fieri Aphraates, factitatum legimus ab Ambrosio, de quo in ejus vita narrat Paulinus eum « causas criminum quas illi confitebantur paenitentes, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, locutum esse. » Et tamen ex Ambrosii l. II de paenitentia certissime constat in ecclesia mediolanensi ipsius tempore imponi solitam esse paenitentiam publi-

« Nam quando in exercitu milites aliqui interfecti ceciderunt, eorum clades reputatur ab hostibus esse communis omnium clades. Contra, qui in proelio incolumes manserunt, commilitonum suorum quos vulneratos repererint, vulnera curare satagunt eademque hostibus non manifestant. Nam si ea in cujuslibet notitiam venire sinerent, exercitus male audiret apud omnes. Sed et rex, tamquam supremus belli dux, irascitur iis qui exercitui suo infamiam adspergant iisdemque graviora infert vulnera quam quae passi sunt ii qui inter proeliandum male affecti fuerunt. »

« Quod si vulnerati plagas suas detegere noluerint, medici quamvis eorum infirmitates non sanaverint, ab omni reprehensione immunes sunt. Et si vulnerati suos dolores abscondere volunt, nequeunt amplius arma sua induere, eo quod gangraena eorum artus invasit. Quod si, tametsi gangraena infecti, nihilominus et arma sibi induant et ad proelium procedant, hisce suis armis mox incalescunt et vulneribus suis tabe fluentibus ac putrescentibus necessario moriuntur. Quod si ii quibus vulnera sua absconderunt, corpora eorum repererint, derident totam illam dissimulationem qua dolores vulnerum suorum ipsos celaverunt, ac ne sinunt quidem eos sepultura donari, eo quod eos habent ut malos et impudentes et stultos. »

---

cam pro iis etiam peccatis canonicis quae nonnisi ex confessione paenitentis sacerdoti innotuissent. Denique c) nullo negotio intellegitur quorsum spectet monitum Aphraatis ad sacerdotes directum, si ratio habeatur factorum historicorum quae ex aliis monumentis nobis comperta sunt. Uti enim narrant Pacianus, Ambrosius, Augustinus et alii patres, erant homines qui sua peccata quidem confiterentur, qui detrectarent tamen subire paenitentiam publicam, si haec forte a sacerdote qui eorum confessionem exceperat, iis praescripta fuisset. Contingebat autem tales homines propter peccata canonica a se admissa postea denuntiari tribunali episcopi nec tamen plene posse convinci testimoniis quae contra ipsos producebantur. In talibus autem casibus nonnunquam evenit ut episcopus cui homo denuntiatus secreto confessus esset, uteretur hujus hominis confessione ad eum plene convincendum. De hoc quorumdam episcoporum facto perspicui sunt testes patres synodi carthaginiensis IV in canone suo 99. « Si quando episcopus dicit, inquiunt, aliquem sibi publicum crimen esse confessum atque ille neget, et paenitere noluerit, non putet ad injuriam suam pertinere episcopus quod illi soli non credatur. » Perspicuus est etiam de eodem facto testis canon 8us vasensis synodi prioris, ita perhibens : « Quod si se tantum episcopus alieni sceleris conscium novit, *quamdiu probare non potest, nihil proferat*, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correctionibus elaboret. » Ad idem quorumdam episcoporum factum manifeste alludit Paulinus, qui in vita Ambrosii continuo post verba superius citata ait Ambrosium « bonum reliquisse exemplum posteris sacerdotibus ut intercessores apud Deum sint magis quam accusatores apud homines. » Nec minor servandi silentii eorum quae secreto in confessione perceperat, fuit cura s. Augustino. Qui quid in hoc genere praestare soleret, ita narrat in hom. 16 de verbis Domini : « Novit, inquit, nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego nolo illum publice corripere, et tu quaeris inscribere. » Idem etiam Augustinus in hom. sua. 50 eamdem hanc legem silentii inculcat ut obligatoriam. « Nos, inquit, a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. »

« Verum ille etiam qui, vulnere manifestato, convaluit, ei parti invigilet quae sanata est, ne ibidem iterum saucietur. Dum enim alicui altera infertur plaga, *hujus curatio medico, quamvis perito, ardua est,* quia omnis cicatrix refricata non jam tollitur, vel saltem convalescenti impedimento est ne arma induere possit, vel denique, etiamsi arma rursum assumere audeat, cedendi tamen in proelio consuetudinem contraxit... »

« Iterum adhortor vos, o qui percussi fuistis, ne vos pudeat dicere : in certamine superati sumus. Accipite medicamentum quod gratis offertur, convertimini et vivite, antequam neci tradamini. Vobis autem, medici, in memoriam revoco id quod legitur in scripturis prudentis nostri medici, paenitentiam scilicet ab eo non rejici. Audite et vos, qui claves portarum caeli tenetis, et portas aperite paenitentibus... »

« Quidam sunt qui peccatum confitentes, ad paenitentiam tamen non admittuntur. O dispensator Christi, paenitentiam concede fratri tuo, et memineris paenitentes a Domino tuo non sperni... »

« Accipe, amice mi, monitum hoc, quod paenitentibus ad conversionem et justis ad cautionem proderit : *mundus hic mundus gratiae est, et donec ad finem perveniat, erit paenitentiae locus.* Tempus appropinquat quo, deficiente gratia, justitia regnabit nec paenitentia admittetur. Requiescit nunc justitia, praevalente robore gratiae. At, adveniente justitiae tempore, gratia paenitentes non jam recipere volet, *quoniam terminus ipsi praefixus est* [*hujus vitae exitus*], qui postquam contigerit, nulla valebit paenitentia. »

806. — **Sanctus Basilius**, in Hom. in ps. XXXII : « Vult tui misereri judex, teque miserationum suarum facere participem, si modo post peccatum repererit te humilem, contritum, prava opera multum deplorantem, *ac ea quae clam facta sunt, evulgantem citra pudorem*, rogantem fratres tibi ut sint adjumento ad accipiendam medelam. »

En occultorum peccatorum confessionem quam Basilius necessariam pronuntiat ad consequendam eorumdem peccatorum remissionem. Cuinam vero sit facienda ea confessio tradit Basilius in regulis brevioribus. Quod opus esse genuinum Basilii fetum patet ex Ruffino et Cassiano, qui aperte illud indicant, cum loquuntur de opere quod scripsit Basilius ut responderet ad interrogata monachorum. Ibi porro proponitur haec interrogatio, quae est 229ª : « Numquid flagitiose facta, abjecta omni verecundia, enuntiari apud omnes debent, an apud aliquos tantummodo, et si hoc, apud quos et cujusmodi ? » Responsio est :

« Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quae etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda sint, teneant; eodem etiam modo peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet qui possunt ea curare. » Eos vero esse sacerdotes exponit regula 288ª : « *Necessario* iis peccata aperire debent quibus concredita est dispensatio mysteriorum Dei. » Quibus verbis affirmatur etiam necessitas confessionis sacerdoti faciendae.

807. — Antiquum etiam ex saeculo IV adducimus testem **Ephrem** syrum, qui junior est Aphraate, sed antiquior s. Basilio. Hujus si legas prolixos quosdam de paenitentia sermones, crederes non aliam ab eo agnosci confessionem nisi eam quae Deo fiat. Non aliam enim ibi commemorat confessionem nisi eam qua Deo peccata nostra confitemur, Deumque ait ibidem esse medicum illum cui vulnera animae sint detegenda. Sic v. g. in editione ejus operum ab Assemano adornata, tom. I, p. 148, in Adhortatione ad paenitentiam : « Quod si conscius tibi sis, inquit, *vulnerum cogitationum actuumque in te latentium, quare illa tua vulnera neglegis?* Quid times medicum ? Non est durus, neque vero immitis atque immisericors... Si ad eum accedere velis, plenus est bonitate, plenus misericordia. Propter te ex sinu Patris descendit... Accede, peccator, et sanaberis facile, abs te pondus peccatorum projice... Ostende ei vulnus, et pro medicamento lacrimas ac gemitus affer. »

Haec tamen atque alia ejusdemmodi quae passim in ejus operibus occurrunt, lucem mutuantur ab aliis ejusdem operum locis quae jam afferenda sunt. In tractatu De octo cogitationibus (tom. II, p. 428), enumeratis septem peccatis capitalibus, quorum unum in duo distinxerat, ita alloquitur monachum cui contigerit in ea labi : « Si a diabolo deceptus, *in peccatum cecideris, sive parvum, sive magnum,* ne in desperationem ruas et pereas ; *sed confuge ad confessionem et ad paenitentiam* et Deus te non aversabitur. » Cuinam vero facienda sit ea omnium peccatorum mortalium confessio declarat in Homilia 9 in illud : *Attende tibi* (tom. I, p. 248), quae et ipsa coram monachis est habita. « Si quis suas tibi enarraverit cogitationes, inquit, suaque detexerit errata, ne mente eum contempseris, tamquam qui talia peregerit, sed potius de fratris conversione admirare. Nam quod quis sponte sua peccata *spiritualibus viris* prodit, correctionis vitae signum est. » Ne vero dici possit agi solummodo hic loci de confessione pertinente ad exercitia ascetica monachorum, obstat — tum a) quod usu graecorum jam

aetate Origenis obtinente, nomine spiritualium virorum intellegantur soli sacerdotes, quibus munus sit commissum excipiendi confessiones, — tum maxime b) ea quae habet sanctus Ephrem in 2ª ex 256 hymnis adversus haereticos (apud Assemanum, in biblioth. orient. tom. I, p. 120). Ibi manichaeos impugnans, qui contendebant peccata post baptismum commissa sine ullo paenitentiae remedio posse condonari ab ecclesia, ita loquitur : « Ille siquidem [Christus] discipulis suis potestatem tradidit ut semel dumtaxat per aquas humanae naturae crimina expiarent. *Qui autem ipsis concessit ut absolverent et ligarent, simul praescripsit ut crimine obligatus conspectui ejus se sisteret* qui omnia peccata dimittit, et veniam flagitaret ; neque enim sine dolore nostro nos expiat. » Quibus verbis docet sanctus Ephrem sacerdotes esse quidem eos quibus Christus commisit potestatem remittendi peccata post baptismum commissa ; ea tamen potestate eos uti non posse nisi ad normam legis paenitentiae a Christo statutae. Et notandum est eo loci pro eodem ab Ephrem sumi peccatorem comparere coram Deo et eum comparere coram sacerdote. Eum autem debere comparere coram Deo, ei peccata sua confitendo, patet ex locis prius adductis.

Ejusdem sunt sensus ea quae in quodam suo sermone de paenitentia disputat sanctus Ephrem contra manichaeos : « Incurabilia, inquit, medici non sanant, *neque cuncta peccata sacerdotes placare atque conciliare possunt.* Et quomodo quidam putant se in ecclesia quodvis peccatum jure ligare atque solvere ? Nam et impius sacerdos ille qui solvere conabitur quae ligavit Deus... Dic primus peccata tua, ut justificeris, ait Deus... A verbis inchoat paenitentiae principium, quoniam *quae verbo fit confessio,* initium paenitentiae est ; propterea et salutis initia dantur publicano, nec perfecte ipsum debitis liberarunt, quia nondum perfecte paenitentiam perfecerat. »

Ut haec in compendium referamus, liquet ex locis citatis a) oportere fieri Deo confessionem peccatorum occultissimorum, b) hanc confessionem eo fieri Deo quod fit sacerdoti cui Deus commisit potestatem ligandi atque solvendi, c) hanc confessionem esse necessariam partem illius paenitentiae quam Deus jussit peragi ab iis erga quos sacerdotes uterentur sua potestate ligandi atque solvendi.

808. — **Sanctus Hieronymus**, in illud Eccli. X : *si momorderit serpens in silentio* : « Si quem, inquit, serpens diabolus *occulte* momorderit, et, *nullo conscio,* cum peccati veneno interfecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit paenitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum,

facile ei prodesse non poterit ; si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. » Quibus verbis manifestissime habes assertam necessitatem confessionis peccatorum omnino occultorum. Esse vero hanc confessionem sacerdoti faciendam satis manifestat Hieronymus, medicum appellans magistrum eum cui vulnera animae aperienda sint. Ex omnibus enim testimoniis hactenus adductis eluxit tali nomine solum nuncupari sacerdotem.

Ceterum cavillatio Dallaei contendentis magistri nomine significari ab Hieronymo quemlibet rerum divinarum peritum virum, sive clericum sive laicum, satis refellitur alio s. Hieronymi loco, nempe ex commentario in Matth. c. XVI, ubi solvendi ligandique potestatem ex officio convenire asserit sacerdoti, cum peccatorum audierit varietates. « Quo modo, inquit ibi, [in vetere lege] leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed, pro officio suo, *cum peccatorum audierit varietates*, scit qui ligandus sit quive solvendus. » Ex quo loco habes praeterea, sicut ex priore, a s. Hieronymo requiri specificam peccatorum confessionem. Adde quod in epistula ad Heliodorum, loquens de episcopis et sacerdotibus ait sanctus doctor eos claves regni caelorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicare. »

809. — Ultimum ex saeculo IV testem damus **Asterium amesenum**, qui aequalis fuit sancti Basilii et, sicut is, in oriente episcopus. Hic versus finem homiliae 13ae, quae sub nomine Adhortationis ad paenitentiam diu falso adscripta fuit Gregorio nysseno, A. ipso modo quo peccatores ad confessionem adhortatur, aperte supponit necessariam esse confessionem specificam omnium peccatorum mortalium, h. e. eorum etiam quae non paenitentia publica, sed paenitentia privata expianda erant. « Tu, inquit, cujus animus aeger est, cur non ad medicum animarum properas ? Cur non ei confitendo morbum ostendis tuum ? Quid pateris ut depascatur, ut suppuret, ut inflammetur ? Tandem aliquando resipisce ac teipsum nosce... Deliciis indulgens in morbum delapsus es ? Cum inedia et jejuniis cura. Animus laborat incontinentia ? Adhibeatur temperantiae medicamentum. Multiplici ac nimia pecuniae cupiditate in febrim animi incidisti ? Liberalitate et eleemosyna depellatur... Laesit te rerum alienarum direptio ? Quae rapta sunt ad proprios dominos revertantur. Mendacium te proxime duxit ad interitum ? Veritatis studio periculum evitetur. Jurisjurandi violatio sublimem Zachariae filii securim sustulit per aera volitantem ac caedem

minitantem? Induantur omnia arma paenitentiae, ut securis acies et ictus propulsetur. »

B. Medicum illum animarum cui omnia peccata mortalia distincte exponenda sint, significat Asterius non esse solummodo Deum, sed etiam sacerdotem. Post verba enim modo citata, paucis interjectis, ita pergit adhortari peccatorem ad suorum peccatorum confessionem. « Afflictionis participem et socium sume sacerdotem ut patrem... *Audacter ostende illi quae sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera medico retege.* Ipse et honoris et valetudinis tuae rationem habebit... Incertus est, fratres, terminus vitae, discessum e vita diligentia praevertamus. »

810. — E saeculo V doctrinae catholicae de necessitate confessionis auricularis testes appellamus Innocentium I, s. Augustinum, Leonem magnum, Theodoretum, Sidonium Apollinarem, Victorem uticensem et pseudoRuffinum.

Innocentius papa I, qui ad finem saeculi IV floruit et Augustino coaetaneus fuit, ita scribit ad Decentium eugubinum episcopum in epistula 25, c. 7 : « De paenitentibus autem qui *sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus* paenitentiam gerant, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante pascha eis remittendum [reconcilatione scilicet publica] romanae ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum sacerdotis est judicare, *ut attendat ad confessionem paenitentis*, et ad fletus atque lacrimas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis aegritudinem incurrerit atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus paschae relaxandum [absolutione pertinente ad forum externum] ne de saeculo absque communione discedat. »

Ex hoc testimonio habes 1° confessionem quae paenitentiae publicae praemittebatur, uni sacerdoti secreto fuisse factam et in ea injungi esse solitam paenitentiam publicam. Erat autem haec confessio specifica, quia secus ex ea non potuisset sacerdos judicare de pondere delictorum et congruam pro iis imponere satisfactionem. Ceterum fatemur hoc testimonium solitarie consideratum non posse probationis loco assumi contra protestantes. Non enim in eo agitur nisi de confessione quae praemitti solita erat paenitentiae publicae. At si conjungatur cum iis quae idem Innocentius I perhibet in epist. 6, cap. 2, satis efficax evadit ad propositum ostendendum. Dicit enim ibi Innocentius « persecutionum tempore iis qui nonnisi in hora mortis resipiscebant, concessam

esse paenitentiam, negatam communionem, ne totum penitus negaretur, et *duriorem remissionem fecisse temporis rationem.* » Confessio ergo illa peccatorum post quam imponebatur paenitentia, erat necessaria secundum Innocentium ad impetrandam in foro interno peccatorum veniam. Necessaria enim illa remissio peccatorum quae in foro interno fiebat, denominabatur ab actione imponendi paenitentiam, non quod illa actio erat absolute necessaria, sed quod necessaria erat confessio quae ad ipsam praesupponebatur.

811. — Paulo post Nectarium a fine saeculi IV floruit in Africa praecipuus totius ecclesiae doctor, sanctus Augustinus. Jam vero

A. **S. Augustinus** saepenumero exhortatur peccatores ut vincant pudorem eos retrahentem *a confitendo Deo sua peccata.* Quae ejus exhortatio, uti patet, ridicula esset, nisi intenderet loqui de confessione specifica peccatorum quae fiat non soli Deo, sed etiam homini, non quidem prout homo est, sed prouti ministerio fungitur pro Deo. Sic v. g. in Enarrat, in ps. 66, n. 6 : « Cantate, inquit, Domino canticum novum, et sequitur : cantate Domino omnis terra. Confiteantur tibi populi, Deus. Invenerunt viam tuam, confiteantur. Ipsa cantatio confessio est, confessio peccatorum et virtutis Dei... Quid timetis confiteri qui invenistis hanc viam in omnibus gentibus ? Quid timetis confiteri et in confessione vestra cantare canticum novum cum omni terra, in omni terra, in pace catholica ? Confiteri times Deo, ne confessum damnet? Si non confessus lates, confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus : damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus... »

« Si plangant ante hominem confessi latrones, laetentur ante Deum confessi fideles. Si homo judicet, exigit a latrone confessionem tortor et timor ; immo aliquando confessionem premit timor, exigit dolor : et ille qui plangit in tormentis, timet autem occidi confessus, portat tormenta quantum potest, et si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam. Nusquam ergo laetus, nusquam exsultans : antequam confiteatur, exarat ungula ; cum confessus fuerit, *damnatum carnifex ducit :* miser ubique. Sed lactentur et exsultent gentes. Unde ? Per ipsam confessionem. Quare ? Quia bonus est cui confitentur : ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem ; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis ; confessus exsulta, jam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat : *adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat ;* adhibet medicinale ferrum

in correptione tribulationis : tu agnosce medici manum, *confitere,* exeat in confessione et defluat omnis sanies : jam exsulta, jam laetare ; quod reliquum est, facile sanabitur. »

812. — Nihil tamen nobis opus est loco modo citato ad indagandam mentem sancti Augustini circa necessitatem confessionis sacerdoti factae. Nec vero alium in finem eum huc adduximus, nisi ut magis magisque appareat quid sibi velit usu antiquorum sententia illa a Tertulliano, ab Ambrosio, a s. Ephrem, a Chrysostomo et ab aliis patribus usurpata, *necesse videlicet esse confiteri Deo peccata sua ad eorum veniam consequendam.*

Nempe B secundum sanctum Augustinum confessio illa quam loco modo citato dixerat Deo esse faciendam, facienda est sacerdoti tamquam ministro Dei, eademque distincte declaranda sunt omnia peccata contra decalogum commissa, h. e. tam peccata occulta quam peccata in publicum erumpere valentia, tam peccata interna quam peccata externa. Nam manifestius adhuc mentem suam declarans, distinguit sanctus doctor inter peccata quae vergunt in damnum solius peccantis et peccata quae vergunt in damnum ipsius ecclesiae, significatque utraque confessione distincta esse subjicienda clavibus ecclesiae ut peccator impetret eorum veniam a Deo utque ei fas sit rursum ad mensam eucharisticam accedere. At illud innuit esse inter ea discrimen quod pro peccatis prioris generis non sit subeunda nisi paenitentia privata, pro peccatis vero posterioris generis suscipienda sit paenitentia publica. Leguntur haec apud s. doctorem in Serm. 351, cap. 4, nn. 7 et 9, qui locus jam integer recitandus est : est enim maxime classicus. Ita porro habet : « Tertia actio est paenitentiae *quae pro illis peccatis subeunda est quae legis decalogus continet et de quibus apostolus ait : quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt* (Gal. v, 21) [en omnia omnino peccata mortalia hic exhibentur ab Augustino tamquam materia necessaria hujus paenitentiae]. In hac ergo paenitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere ; ut a seipso judicatus, non judicetur a Domino, sicut idem apostolus ait : si enim nos judicaremus, non utique judicaremur (I Cor. xi, 31). Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suae ; si timet illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi ut illic recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum sive malum (II. Cor. v, 10), constituat se ante faciem suam ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens : arguam te, et statuam te ante faciem tuam (Psal. xlix, 21). Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis

conscientia, carnifex timor [en examinationem conscientiae]. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrimas profluat [en dolorem de peccatis]. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo ille judicet participatione corporis et sanguinis Domini: ut qui separari a regno caelorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento caelestis panis interim separetur » [en propositum peccatoris abstinendi a mensa eucharistica donec peccatum suum ei a Deo condonatum fuerit]...

« Quisquis ergo post baptismum *aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est ut adhuc dubitet vitam mutare cum tempus est, cum ita peccat et vivit ?* Nam utique quod ita perseveranter peccat, thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei. Quod autem adhuc vivit, patientia Dei ad paenitentiam eum adducit. *Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat aut differt aut dubitat confugere ad ipsas claves ecclesiae, quibus solvatur in terra ut sit solutus in caelo ;* et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri ; nec veridico illo dominicae vocis tonitruo contremiscit : non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum ; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum (Matth. VII, 21) ? Quid, ad galatas idem apostolus, nonne talia enumerans eodem fine concludit : manifesta sunt, inquit, opera carnis, quae sunt fornicationes, immunditiae, luxuriae, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, haereses, invidiae, ebrietates, commessationes et his similia ; quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt (Gal. V, 19-21) [en habes hoc loci sanctum Augustinum docentem absolutam necessitatem subjiciendi omnia peccata mortifera clavibus ecclesiae]. Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius, ne, cum jam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae, sententiam [proponendo videlicet non communicare corpori et sanguini Christi donec usu passivo potestatis clavium in gratiam cum Deo redierit], *veniat ad antistites per quos illi in ecclesia claves ministrantur :* et tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, *a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum*, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex [per internam paenitentiam] id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris

ad exemplum [per externam paenitentiam sive privatam sive publicam]. *Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est*, atque hoc expedire utilitati ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset, non resistat, non letali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem. Meminerit semper quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. IV, 6). Quid enim est infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, et de ligatura ejus erubescere ? » [En luculenter assertam a s. Augustino necessitatem confessionis specificae omnium peccatorum mortalium. Omnia quippe haec peccata dixerat esse subdenda ecclesiae clavibus. Modo vero asserit modum satisfactionis pro hisce peccatis praestandae esse accipiendum a praepositis sacramentorum. Quod certe fieri non potest, nisi quatenus a paenitente praemittitur distincta omnium horum peccatorum confessio. Quodque valde notandum est, distinguit ibi s. Augustinus duplicem satisfactionem sacramentalem : unam privatam, quae imponebatur pro peccatis quae soli paenitenti damnosa erant, alteram publicam, quae, si id expedire videbatur, imponebatur pro peccatis ipsi ecclesiae damnosis. Unde rursum deducitur etiam peccata non canonica in primitiva ecclesia fuisse distincte confitenda.]

813. — C. Confessionem omnium peccatorum quae fiebat in foro interno in ordine ad consequendam horum peccatorum remissionem, diserte distinguit sanctus Augustinus a confessione solorum peccatorum canonicorum quae fiebat in foro externo ecclesiae, h. e. coram publico tribunali episcopi. Significat videlicet sanctus doctor non potuisse cogi paenitentem ad obeundam paenitentiam publicam, quando haec tantummodo consequenter ad confessionem in foro interno editam ei imposita fuisset, potuisse vero eum ad talem paenitentiam suscipiendam cogi, quando haec consequenter ad confessionem factam coram tribunali episcopi ei imposita fuisset. Ideoque impositionem actionis paenitentiae factam in foro interno, ipse, sicuti Tertullianus, Origenes et alii patres, vocat *consilium paenitentiae*. Quae distinctio duplicis modi imponendi paenitentiam a sancto doctore adhibita, funditus evertit sententiam protestantium asserentium non aliam a veteribus patribus esse agnitam peccatorum confessionem veluti necessariam, nisi eam dumtaxat quae fiebat in foro externo quaeque in eum dumtaxat finem ordinabatur ut peccatori in peccata canonica lapso injungeretur paenitentia publica qua satisfieret ecclesiae.

Continuo videlicet post ultima verba citata sanctus Augustinus jam

rationem redditurus suae exhortationis hisce verbis comprehensae : « in notitia multorum vel etiam totius ecclesiae paenitentiam agere non recuset, non resistat, » ita dicere pergit : « Nemo arbitretur, fratres, propterea se *consilium hujus salutiferae paenitentiae* [post peractam confessionem sacramentalem a sacerdote datum] debere contemnere, quia multos advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur, multi tolerantur, ut Judas, multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum et manifestet cogitationes cordis (I Cor., IV, 5). Nam plerique propterea nolunt alios accusare, dum se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata quae noverunt, *quia documentis saepe deseruntur et ea quae ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt.* Quamvis enim vera sint quaedam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. *Nos vero a communione* (eucharistica) *prohibere quemquam non possumus,* (quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum [en jam assertam a sancto Augustino aliam confessionem, post quam alicui non dabatur consilium paenitentiae, sed ipse cogebatur abstinere a communione]. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit et accusator [ex audita confessione sacramentali] et judex [in foro externo] ? »

814. — Succedit tertius saeculi V^i^ testis, **Leo papa I,** qui anno 459 in epistula 82 ad Theodorum forojuliensem data ita scripsit : « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per paenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, *ut qui regenerationis dona violassent*, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent : sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc praepositis ecclesiae tradidit potestatem ut et confitentibus actionem paenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent » (epist. citata, cap. 2). Et infra, capite 8 : « Multum enim utile *ac necessarium est* ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. » Agit hisce locis sanctus Leo de modo quo necesse sit remitti peccatum mortale quodcumque quod post baptismum commissum fuerit ; ait porro hunc necessarium remittendi peccatum mortale modum consistere in usu

potestatis clavium ; non autem exerceri actum remissivum potestatis clavium nisi circa eos qui sua peccata prius confessi fuerint. Et quidem hanc confessionem sacerdoti factam non esse generalem dumtaxat, sed singulorum in specie peccatorum, significat sanctus pontifex dicendo confitentibus pro peccatis a se commissis actionem paenitentiae sive salubrem satisfactionem injungendam esse. Et tametsi principaliter loquatur de paenitentia publica, quia tamen asserit omnia peccata post baptismum commissa confitenda esse, idcirco necessario dicendum est ab eo agnosci duplicem paenitentiam sacramentalem, unam privatam, quae dabatur pro peccatis non canonicis, alteram publicam, quae dabatur pro peccatis canonicis.

815. — Alter est egregius pontificis locus in epistula 168 ad universos episcopos per Campaniam, Samnium et Picenum constitutos. « Illam, inquit, *contra apostolicam regulam praesumptionem,* quam nuper agnovi a quibusdam [presbyteris] *illicita usurpatione committi,* modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur : cum reatus conscientiarum sufficiat sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui paenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo: ne multi a paenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis facta sua reserari, quibus possint legum [civilium] constitutione percelli. *Sufficit enim illa confessio quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit.* Tum enim demum plures ad paenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis » (loc. cit. c. 2).

a) Agi hoc loco de confessione specifica peccatorum omnia pene verba s. Leonis clamant. Ait enim sanctus pontifex sufficere secreto fieri sacerdoti eam peccatorum confessionem ad quam publice edendam negat posse paenitentes obligari, talis autem confessio erat ea qua singulorum peccatorum genera pandebantur, nempe confessio specifica. Quamvis autem sanctus Leo data opera loquatur de confessione eorum qui publicam paenitentiam suscepturi essent, significat tamen b) eam non per se ordinari ad paenitentiam publicam, sed ad consequendam remissionem peccatorum coram Deo, eamdemque non esse juris ecclesiastici, sed juris divini. Quod quidem liquet tum a) ex eo quod ait fractionem sigilli hujus confessionis esse *contra regulam apostolicam,*

quod esse non posset, nisi ea confessio jure divino praescripta esset, tum b) ex eo quod ait confessionem hanc offerri primario Deo, secundario vero sacerdoti, in quantum hic nomine Dei remittit peccata.

816. — **Theodoretus**, in partibus orientis episcopus cyrensis, supponit ut manifestum peccata sacerdotibus specifice confitenda esse. In libro videlicet IV Haereticarum fabularum, capite 10, irridet audianos quod, cum sibi tribuerent potestatem sine paenitentiae remedio condonandi peccata, paenitentes qui apud ipsos erant, hanc remissionem ludum aestimantes, minora sua peccata confiterentur, graviora vero celarent. « Hi autem, inquit, peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (hos enim eximie arcanos et mysticos existimant) et ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque *et peccata sua confiteri.* Deinde confessis dant veniam, non tempus paenitentiae definientes, sicut ecclesiae leges praecipiunt, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transeunt, ludum esse quod agitur, vera peccata celant et parva quaedam risu digna dicunt, quae et dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi dementia teneatur. »

817. — **Sidonius Apollinaris**, in epistula 14 ad Polemium gallis praefectum data, quae est in libro IV epistularum ejus : « At si videtur, inquit, humilitas nostrae professionis [sacerdotalis] habenda contemptui, quia Christo res humanas vitasque medicaturo putrium conscientiarum cultro squalens ulcus aperimus : quod et in nostri ordinis viris, etsi adhuc aliquid de neglegentia foetet, nihil jam tamen de superbia tumet, noveris volo, non ut est apud praesulem fori, sic esse apud judicem mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur; *ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur.* »

818. — **Victor uticensis episcopus**, vivebat eo potissimum tempore quo ariana vandalorum rabies ad finem saeculi V^i^ africanam vastabat ecclesiam. Describens itaque libro II De persecutione vandalica, capite 11, episcoporum et sacerdotum exsilia, narrat post sanctam hanc confessorum jam ad exsilium iter capescentium turbam christianos ex montibus et desertis rupibus, ubi latuerant, descendisse, et vestigia sacerdotum insecutos, lamentabili voce exclamasse : « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquae perennis? *Qui nobis paenitentiae munus collaturi sunt et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi?* Quia vobis dictum est : quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis. »

Habes hisce verbis implicite expressa — tum a) fidelium africanorum sensum de necessitate confessionis auricularis omnium omnino peccatorum, — tum b) factum frequentis hujus confessionis usus. Eluxit enim ex Augustini aliorumque testimoniis paulo ante adductis usum potestatis clavium in remittendis peccatis necnon et impositionem paenitentiae, quod unum est ex muneribus potestatis clavium, necessario conjuncta fuisse cum confessione peccatorum. Jam vero verbis quae modo rettulimus, explicite asseritur et usum potestatis clavium necessarium esse ad remittenda peccata et talem usum, tum quantum ad remissionem peccatorum tum quantum ad impositionem paenitentiae, frequentem fuisse in ecclesia africana. Implicite ergo iisdem verbis exprimuntur duo illa quae principio notavimus.

819. — **Auctor commentarii in 75 psalmos** qui est inter opera Rufini huicque diu fuit adscriptus, est autem alicujus galli natione, monachi simul ac presbyteri, qui floruit versus finem saeculi v^{i} quique idem videtur fuisse Vincentio presbytero de quo refert Genadius. Est auctor eruditus, multaque in suum commentarium ex operibus Augustini transfudit, cujus genuinam mentem propter propinquitatem temporum rite perspicere potuit. Ita autem perhibet de confessione in commentario in ps. XXXI : « Sunt plerique qui post baptismum peccaverunt, *sed ad confessionem redierunt :* et per paenitentiam et emendationem tecta sunt eorum peccata quae gesserunt... *Quamdiu peccatum nostrum reticemus,* ipsum peccatum clamat ad Dominum... Cum agimus malum, vel loquimur, *vel cogitamus,* peccatum quidem est. Cum autem idipsum *Deo abscondere volumus,* jam non solum peccatum est, sed etiam impietas peccati. Ex his ergo verbis ostendit quod ex hoc quod confiteri peccatum suum disposuit, non solum ei Deus quod male gessit, sed etiam quod impie absconderat, dimisit. Licet autem Deus dimittat peccata ex quo homo in voluntate paenitet : *tamen confitendum est ministris ecclesiae,* quia nisi confiterentur, ex sua inobedientia damnarentur. Quod ostensum est in Lazaro, qui postquam vivificatus est, indiguit solvi. »

Manifestum est hisce verbis asseri necessitatem confitendi peccata etiam occultissima.

820. — Jam ex saeculo sexto testes tum agnitae necessitatis confessionis auricularis tum continuati usus ejusdem adducendi sunt.

S. Gregorius papa I in Hom. 26 in evangelia, libro II, docet sex, nempe 1° Christum hisce suis verbis : *quorum remiseritis,* etc. tradidisse apostolis potestatem judicialiter remittendi ac retinendi peccata ; hanc

porro potestatem fluxisse ab apostolis ad eorum successores, qui sunt episcopi; 2° a sacerdote hac potestate insignito neque licite neque adeo valide posse proferri sententiam remissivam vel retentivam peccatorum, nisi ex parte paenitentis praecesserit confessio suorum peccatorum sacerdoti facta; — 3° oportere hanc confessionem esse specificam, h. e. talem ut per eam « peccator nequitias suas sponte confiteatur, » ut per eam « non erubescat confiteri quod fecit; » propterea autem eam debere esse specificam, quia pastori « videndum est quae culpa praecesserit, » antequam ei fas sit proferre sententiam absolutionis; 4° hanc specificam peccatorum confessionem esse necessariam. Quam quidem specificae confessionis necessitatem tripliciter sanctus Gregorius insinuat, nempe tum a) dicendo confessionem specificam peccatorum esse initium illius paenitentiae exterioris qua peccator testatum facit se jam coepisse vivificari gratia Dei nondum quidem ei inhabitante, sed jam eum movente, — tum b) dicendo quemlibet peccatorem in culpa mortuum jussum esse foras per confessionem egredi, — tum c) dicendo resuscitationem spiritualem peccatoris esse figuratam resuscitatione corporali Lazari ideoque Deum quidem per vivificantem suam gratiam peccatorem interius ad conversionem movere, solos tamen sacerdotes eumdem solvere a poena aeterna quam meruit et per consequens etiam a reatu culpae cum tali poena indivisibiliter cohaerente. — Ulterior est doctrina Gregorii 5° omnia peccata mortalia, etiamsi sint omnino occulta vel adeo non externa, sed pure interna, esse specifica illa confessione sacerdoti exponenda. Patet assertum ex eo quod sanctus doctor ait cuilibet in culpa mortuo dictum esse ut per confessionem foras prodiret. Hoc quippe ejus dictum falsum esset, si peccata, etiam occulta vel adeo pure interna, non essent necessario in confessione declaranda. Ultimum caput doctrinae gregorianae de re praesenti est 6° necessitatem confessionis esse juris divini. Patet assertum — tum a) ex eo quod necessitatem confessionis repetit Gregorius a verbis Christi : *quorum remiseritis,* etc. — tum b) ex eo quod nonnisi a lege divina provenire potest asserta ab eo necessitas confitendi peccata vel mere interna.

821. — En ipsa verba sancti pontificis loco citato : « In hac ipsa datione Spiritus sancti dicitur : *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Libet intueri illi discipuli ad tanta opera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriae sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienae obligationis potestatem relaxationis accipiunt, *primatumque superni judicii accipiunt, ut vice*

Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent... Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, *animarum judices fiunt, et alios damnant vel liberant,* qui semetipsos damnari metuebant. »

« *Horum profecto nunc in ecclesia episcopi locum tenent.* Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitae suae, judex vitae fiat alienae. Et plerumque contingit ut hic judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac saepe agitur ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Saepe in solvendis ac ligandis subditis suae voluntatis motus, non autem *causarum merita sequitur.* Unde fit ut ipsa hac ligandi ac solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus et non pro subjectorum moribus exercet. Saepe fit ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur pastor. Judicare autem de subditis digne nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. »

« *Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecesserit, aut quae sit paenitentia secuta post culpam,* ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat [1], illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quae videlicet demonstrat quia prius mortuum Dominus vocavit, dicens: Lazare, veni foras; et postmodum is qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est : *cumque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc discipulis dixit suis : solvite illum et sinite abire.* Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, foetorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere quos auctorem nostrum cognoscimus per vivificantem gratiam vivificare. Quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur : revivisce, sed veni foras. *Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur.* Lazaro

[1] En paenitentiam illam quam in paenitente requirit Gregorius, antequam absolutio ei dari possit.

ergo dicitur : Veni foras. Ac si aperte *cuilibet mortuo in culpa* diceretur : *Cur reatum tuum intra conscientiam tuam abscondis ? Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem latcs.* Veniat itaque foras peccator, id est culpam confiteatur peccator. Venientem itaque foras solvunt discipuli, ut pastores ecclesiae ei poenam debeant amovere quam meruit, qui non erubescit confiteri quod fecit (1).

Supersedemus citandis Caesario arelatensi aliisque patribus latinis saeculi VI ; praecipue enim ex hoc saeculo testes appellandi sunt patres orientalium ecclesiarum, ut appareat non minus post Nectarium quam ante eum et usitatam fuisse in hisce ecclesiis confessionem auricularem et agnitam esse in eisdem illius necessitatem.

822. — Floruit saeculo VI **Joannes climacus,** abbas montis Sinai, qui in quarto gradu Scalae ad caelum, quod opus in usum monachorum conscripsit, ita praecipit : « Sed primum omnium optimo judici nostro praeteritae vitae peccata aperiamus, idque vel soli, vel, si imperet ille, omnibus. » Addit hujus rei illustre exemplum, cujus ait se oculatum testem fuisse in monasterio quodam alexandrino. Narrat videlicet latronem quemdam qui in monachum admitti petiverat, ubi primum soli praesidi monasterii peccata sua confessus esset, jussum esse ab eodem illa in totius coenobii conventu publice confiteri,id porro latronem illum revera fecisse. Interrogatum porro a se abbatem cur ita egisset, respondisse : « Quod inter meos essent, qui suas noxas nunquam aperuerant, ut hoc modo ad detegenda peccata commoverem: nemo quippe sine confessione veniam delictorum impetrat. » Tum ex propria sua persona jam loquens, haec habet : « Ostende vulnus tuum religioso medico, positoque rubore, fatere... Solent hostes nostri daemones nos inducere ne peccata nostra per confessionem aperiamus... *Non est quod Deo veluti adjutori dedigneris submisso animo confiteri.* »

Nec dici potest haec pro solis monachis scripta esse; tali quippe

(1) In I Reg., cap 15, lib. VI sanctus Gregorius docet in negotio conversionis tribus esse opus paenitentis actibus, nempe contritione, confessione et satisfactione. Est autem ei sermo *de confessione oris*, qua peccator « loquendo peccata ejicit, » cujusmodi confessionem fieri debere soli sacerdoti jam patuit ex alio ejus loco proxime memorato. En Gregorii verba : « Quid prodest, inquit, confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio paenitentiae? *Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter paenitente, videlicet conversio mentis, confessio oris et vindicta peccati.* Nam qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur ? Peccatum quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem sunt, qui peccata confitendo aperiunt, sed non se convertendo, nequaquam detestantur, Hi profecto confitendo nihil agunt, *nisi quod loquendo ejiciunt*, amando introducunt... Tertia ergo species, id est vindicta, quasi medicina necessaria est, ut apostema reatus quod conversione compungitur, confitendo purgetur afflictionisque medicina sanetur ». Cf. ejusdem s. Gregorii homilia 40.

effugio obstant verba quibus commentatur in locum modo citatum Joannes abbas in Raithu, qui fuit contemporaneus Joanni climaco cujusque hortatu is suum librum scripsit.

823. — Joannes abbas in Raithu ad verba modo citata : « *Quia confiteri simpliciter peccata tenemur ex necessitate divini mandati patet ex apostolicis traditionibus* et regulis ab iis propositis ecclesiae catholicae per Spiritum sanctum, quorum canones et instituta tenentes, Dei sacerdotibus (juxta eorum praeceptum) peccata confitentes, indulgentiam et remissionem accipere efficimur digni. »

824. — Auctor egregii sermonis de sacra synaxi, quem alii existimant fuisse Anastasium sinaitam, inter cujus opera exstat, alii vero cum auctore operis, *Perpétuité de la foi*, suspectantur fuisse Anastasium nicaenum episcopum, invehitur in eos qui cum sauciata conscientia ad sacram communionem accedunt. « Non satis est, inquit, in Dei ecclesiam ingredi divinasque sanctarum imaginum figuras venerandasque cruces honorare ac osculari : neque vero aqua manus abluere, id purgatio est : sed fuga et ablutio sordium peccati ; *inque confessione et lacrimis animoque humiliato et demisso delictorum solvere catenas*, sicque ad intemerata mysteria accedere. »

En perspicue assertam necessitatem confitendi omnia et singula peccata mortalia. Quae ceteroquin magis adhuc patescit ex verbis sequentibus. Ibi videlicet asserit Anastasius praeceptum esse apostoli ut qui peccati alicujus mortalis sibi conscius sit, non prius ad sacram synaxin accedat, quam illud confessione expiaverit. Ubi simul docet confessionem hanc sacerdoti faciendam esse. De modo videlicet confessionis haec subjicit : « Confitere Christo *per sacerdotes* peccata tua, condemna actiones tuas et ne erubescas. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio, gloria et gratia. Condemna te in conspectu hominum, ut coram angelo totoque mundo judex te justificet ; pete misericordiam, pete veniam praeteritorum, ac liberationem a futuris, *ut pura conscientia corpus et sanguinem sumas, ut tibi cedat ad emundationem ac expiationem, non ad judicium.* Audi admirabilem Paulum dicentem : probet autem quisque seipsum, et sic de pane illo edat et de calice bibat ; qui enim manducat et bibit indigne, etc. Animadvertis mortem et infirmitatem crebro oriri ex hoc quod indigne ad divina mysteria aditur. »

825. — Probatur III° *ex perpetua praxi ecclesiae,* qualis colligitur veteribus ex libris paenitentialibus, ritualibus, ordinibus, sacramentariis, pontificalibus, item ex canonibus editis sive a conciliis sive a singularibus episcopis.

1° Uti jam olim perhibuimus, ex libris paenitentialibus, ordinibus etc. quos antiquitas ad nos transmisit, quidam pertingunt ad saeculum IX, alii ad saecula VIII vel VII, uti libri paenitentiales Theodori cantuariensis, hominis graeci et Ecberti eboracensis, et liber ille paenitentialis qui circumfertur sub nomine Joannis jejunatoris, patriarchae cpolitani. Porro cum generatim omnibus hisce libris, tum speciatim libro paenitentiali tributo Joanni cpolitano adnexus est ordo confitendi, in quo minutatim recensentur omnia peccata quae in confessione exponenda sint. Recensentur autem omnia omnino peccata mortalia, h. e. non solum ea quae sunt publica, sed etiam ea quae sunt occulta, nec solum ea quae sunt externa, sed etiam ea quae sunt mere interna. Unde irrefragibiliter concluduntur duo, scilicet 1° saeculo IV° Nectarium suo decreto non sustulisse confessionem peccatorum secreto faciendam sacerdoti, et 2° hanc confessionem faciendam fuisse non solum a publicam paenitentiam suscipientibus, sed ab omni homine qui post baptismum mortaliter peccasset, uti patet — tum a) ex eo quod alioquin sola peccata mortalia canonica confitenda praescriberentur, — tum b) ex eo quod inde a Nectario paenitentia publica in partibus orientis aboleri coepta est.

2° De sancto Hilario arelatensi episcopo (a. 429) narrat auctor ejus vitae, qui ei fuit coaevus ejusque exsequiis interfuit, ipsum singulos dies dominicos audiendis confessionibus impendisse. « Quotienscumque paenitentiam dedit, inquit is scriptor, capite 13, saepe die dominico ad eum turba varia confluebat ; volabat ad ejus castigationem quicumque adesse volebat. Lacrimarum se imbribus eluebat, caelestibus judiciis territus promissisque succensus ; tanti gemitus, tanti fletus adstantibus nascebantur, ut vitae praesentis horreret habitaculum. Quis ita futuri judicii monstravit examen ? Quis ita tenebrosum terribiliter intimivavit incendium ? Quis ita vulnera conscientiae ante oculos inspicienda reduxit ? *Admonitione completa, cum lacrimis supplicationum sumebat exordia*, ut paenitentiae fructum quem monendo contulerat, orando formaret. » Haec haut obscure indicant secretam confessionem institui solitam non ab iis solummodo qui paenitentiam publicam suscepturi essent, sed ab omnibus indiscriminatim peccatoribus. Quippe non singulis diebus dominicis, sed solummodo in capite quadragesimae paenitentia publica dari solebat, jam vero in verbis modo citatis dicuntur paenitentiae ab Hilario episcopo quolibet die dominico hominibus ad eum confluentibus impositae esse. — Cf. quae supra rettulimus de Ambrosio ex Paulino in vita Ambrosii.

3° Constat ex monumentis ecclesiasticis jam saeculis VII, VIII et IX canonibus synodorum particularium vel decretis episcoporum praescriptum fuisse ut *omnes fideles* saltem semel in anno confiterentur. Ex quo apparet Innocentium III suo decreto in concilio lateranensi lato de confessione auriculari semel in annis ab omni qui graviter peccavisset instituenda, solummodo sanxisse usum qui semper in ecclesia observatus est.

a) Concilium rhemense, quod nonnulli ferunt anno 639 celebratum esse, decernit capite 8 « ut nemo tempore quadragesimae paenitentium confessiones audiat praeter pastorem. » Et in antiquo ordine confessionis edendae codicis turonensis *ante saeculum IX conscripti* paenitens accusat se « quod in quadragesima, sicut constitutum est, confessus non fuerit. »

b) Ratherius episcopus veronensis (scriptor saeculi X), jubet in epistula sua synodica ad parochos « feria quarta ante quadragesimam *plebem ad confessionem invitare.* »

c) Regino prumiensis abbas, libro II, cap. 68, inter alia quae ab episcopo parochias visitante de laicis interrogari jubet, ponit et illud: « *Si aliquis ad confessionem non veniat vel una vice in anno,* i. e. in capite quadragesimae, et paenitentiam pro peccatis suis suscipiat. »

d) Inter statuta Jacobi ebredunensis archiepiscopi decernitur « ut *omnes* semel in anno, et specialiter in quadragesima, *generaliter confiteantur* proprio sacerdoti. »

4° Immo in quibusdam ecclesiis praescriptum erat ut omnes ter in anno, h. e. in tribus quadragesimis confiterentur. Singulisque hebdomadis jubebantur confiteri monachi. Quae sane frequens confessio, uti manifestum est, non ordinabatur ad paenitentiam publicam. Sic v. g. Chrodegangus episcopus metensis, qui anno 766 supremum diem obiit, sic praecipit in regula quam canonicis descripsit, cap. 32: « In unoquoque anno, *tribus vicibus*, id est in tribus quadragesimis, populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, *et qui plus fecerit, melius facit.* Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant cum bona voluntate episcopo aut priori suo. »

5° Egbertus, archiepiscopus eboracensis, qui anno 765 fato obiit, in suo dialogo de institutione catholica sic testatur de usu confitendi diebus rogationum, qui jam diu ante ipsum tota Anglia inoleverat: « A temporibus Vitaliani papae (a. 657) et Theodori dorobunensis archiepiscopi inolevit in ecclesia anglorum consuetudo et quasi legitima [lege praescripta] tenebatur, ut non solum clerici in monasteriis, sed

etiam laici cum conjugibus et familiis suis *ad confessores suos pervenirent,* et se fletibus a carnalis concupiscentiae consortio his duodecim diebus cum eleemosynarum largitione mundarent, *quatenus* [h. e. ut] puriores dominicae communionis perceptionem in natali Domini perciperent. »

6° Patres concilii calchutensis anno 787 in Anglia celebrati quam necessariam in extremis confessionem existimarent, declarant cap. 20 hisce verbis : « Si quis (quod absit) sine paenitentia aut confessione de hac vita discessit, pro hoc minime orandum est. »

Solvuntur difficultates.

826. — Protestantes eo maxime argumento contra institutionem divinam confessionis auricularis pugnant quod hanc confessionem Nectarius in ecclesia constantinopolitana abrogaverit, ejus vero exemplum imitatae sint omnes ecclesiae orientales. Quod eorum argumentum ut solvatur, jam de facto Nectarii videndum erit. Narrat illud factum Socrates, dicens se illud excepisse ex ore Eudaemonis presbyteri, qui auctor facti fuisset Nectario. Ex Socrate videtur narrationem facti sumpsisse Sozomenus, ejusdem saeculi v^{i} scriptor, qui nonnulla tamen addidit, quaedam etiam mutavit. Cassiodorus, scriptor latinus saeculi vi^{i} in tripartita sua historia (collecta ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto opera Epiphanii scholastici) ea quae de hoc facto refert Sozomenus, in latinum transtulit. Testatur Nicephorus Callistas in prooemio suae historiae ecclesiasticae Socratem fuisse novatianum. Quem veridicum esse testem satis apparet ex laudibus quibus episcopos novatianorum constantinopolitanos extollit Socrates.

827. — **Socrates**, Hist. eccl., libro III, cap. 16 : « Sub idem tempus presbyteros ecclesiarum qui paenitentiae praeerant, placuit aboleri idque ob hujusmodi causam. Postquam novatiani se ab ecclesia sejunxissent, eo quod cum illis qui persecutione deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore episcopi paenitentiarium presbyterum albo ecclesiastico (τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι) adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto delicta sua confiterentur. Soli vero homoousiani (h. e. catholici orientis) et qui cum illis in fide consentiunt, novatiani, presbyterum paenitentiae praepositum rejecerunt. Nam novatiani ne initio quidem supplementum hoc admiserunt. Homoousiani vero qui nunc ecclesias obtinent, cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii

episcopi temporibus abrogarunt ob facinus quoddam quod in ecclesia commissum fuerat. »

« Mulier quaedam nobilis ad paenitentiarium presbyterum (τῷ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβυτέρῳ) accedens, delicta post baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat. Presbyter vero praecepit mulieri, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam paenitentiae conveniens ostenderet. Progressu temporis [ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα, alii : mulier longius progressa] mulier aliud facinus confessa est, ecclesiae videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, diaconus quidem ecclesia ejectus est, populus vero graviter commoveri coepit. Neque enim solum ob scelus quod patratum fuerat, indignabantur, verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto adspersa videbatur ecclesiae. Cum igitur eam ob causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaemon quidam ecclesiae presbyter, Alexandria oriundus, episcopo Nectario suasit, ut paenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrii et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere. Neque enim aliter fieri posse ut ecclesia ab omni probro libera esset. Haec ego cum ab ipso Eudaemone acceperim, historiae huic inserere minime dubitavi. Etenim, ut saepius dixi, omnem curam ac diligentiam eo contuli, ut res gestas ex iis qui eas optime norant, condiscerem, easque accurate perscrutarer, ne quid a veritate alienum scriptis mandarem. Et initio quidem Eudaemoni ista dixi : consilium tuum, o presbyter, utrum ecclesiae profuerit an non, Deus viderit, ceterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent praeceptum illud apostoli quod ita se habet : *nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite.* »

828. — **Sozomenus,** Hist. eccl., libro VII, cap. 16 : « Per idem tempus Nectarius cpolitanus episcopus presbyterum illum qui praepositus erat paenitentibus, primus ex ecclesia sustulit. Cujus exemplum omnes fere episcopi postea sunt secuti. Quid autem hoc sit, et unde originem sumpserit et quam ob causam sublatum sit, alii quidem aliter fortasse narrant. Ego vero ea dicam quae sentio. Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturae sit et humana praestantioris, paenitentibus vero, etiamsi saepius deliquerint, veniam dare Deus praeceperit ; cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat ; grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius ecclesiae multitudine,

peccata sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem qui vitae probitate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur ([1]). Ille vero pro cujusque delicto quid aut facere singulos aut luere oporteret, poenae loco indicens, absolvebat paenitentes a se ipsis poenas criminum exacturos. Verum novatianis quidem, qui nullam habent rationem paenitentiae, nihil hac re opus fuit. Apud reliquas autem sectas hic mos etiam nunc perseverat. Et in occidentalibus ecclesiis ac praecipue in ecclesia romana studiose observatur. Illic enim in propatulo est paenitentium locus, in quo illi stant moesti ac veluti lugentes. Peractisque jam missarum solemniis, exclusi a communione sacrorum, quae initiatis praeberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terras abjiciunt. Tum episcopus cum lacrimis ex adverso occurrens, pariter ipse humo provolvitur, et universa ecclesiae multitudo simul confitens, lacrimis perfunditur. Post haec primus exsurgit episcopus ac prostratos erigit, factaque, ut decet, precatione pro peccatoribus paenitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans, aut jejuniis aut illuvie aut ciborum abstinentia vel aliis quibus jussus est modis, tempus, quantumcumque ipsi ab episcopo est constitutum, exspectat. Ubi vero praestitutus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, a poena commissi sceleris liberatur, et reliquo ecclesiae populo sociatur. Haec episcopi urbis Romae ab ultima vetustate ad nostram usque aetatem custodiunt. »

« In cpolitana autem ecclesia certus presbyter constitutus erat qui paenitentibus praeesset. Donec matrona quaedam nobilis ob peccata quae confessa fuerat, jussa ob hoc jejunare ac Deum suppliciter orare,

---

([1]) Cassiodorus, in Historia tripartita, libro IX, cap. 35, seu potius Epiphanius scholasticus, cujus opera in vertendis graecis ille usus est, ita reddit hunc locum, inde a verbis « cumque in petenda venia » : « Qui vero confiteri refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt : propterea visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur. Et ad hanc causam presbyterum bonae conversationis servantemque secretum ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes hi qui delinquebant, delicta propria fatebantur. » Ipse vero textus graecus Sozomeni ita habet : *Ἐπεὶ... ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεῶν, φορτικὸν, ὡς εἰκὸς, ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν. πρεσβύτερον δὲ τῶν ἄριστα πολιτευομένων ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα ἐπὶ τοῦτο τετάχασιν.* Discrimen inter versionem Epiphanii et versionem Valesii oritur ex tribus. Scilicet a) Epiphanius interpungit post *φορτικόν*, Valesius vero interpungit post *χρεῶν*. b) Vox *χρεῶν* est Epiphanio genitivus pluralis nominis *χρέος* (debitum) ; eadem vero vox est Valesio participium indeclinabile. Verbum *παραιτεῖσθαι* Epiphanius reddit per *detrectare, refugere*· idem illud verbum Valesius reddit per *veniam deprecari*.

dum hujus rei causa in ecclesia moraretur, a diacono se stupratam esse prodidit, (κατεμήνυσεν). Quo cognito, plebs omnis vehementer succensuit, eo quod contumelia illata esset ecclesiae nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri. Nectarius vero, cum diu multumque dubitasset, quidnam in hoc negotio agendum esset, eum qui stuprum admiserat, diaconatu exuit. Cumque nonnulli consilium ei dedissent, ut unicuique, prout sibi conscius esset et sui fiduciam haberet, ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi liberam faceret potestatem, presbyterum qui agendae paenitentiae praepositus erat, abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac stabile permansit, vetustate eique adjuncta gravitate jam tum, ut opinor, in laxam ac dissolutam vivendi rationem paulatim dilapsa. Nam antea, ut equidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui sua delicta enuntiabant (ἐξαγγελλόντων), tum ob severitatem judicum qui ad id erant constituti. »

829. — Tria in dubium veniunt, nempe 1° quandonam sit institutum munus paenitentiarii et quaenam fuerint hujus muneris officia, 2° qualisnam fuerit ista mulieris confessio ex qua fama perpetrati a diacono stupri ad vulgus manavit, et 3° quid proprie a Nectario sit abolitum.

830. — Ad primum horum quod attinet, aperte edisserit Socrates loco supra citato munus paenitentiarii institutum fuisse eo tempore quo erupit haeresis novatianorum, h. e. versus medium saeculi III[i]. Aperte vero ei contradicit Sozomenus, hoc institutum jam a primis ecclesiae temporibus repetens. Liquet autem omnem fidem abrogandam esse Socrati in re praesenti. Illud enim aperte agit scriptor novatianus ut persuadeat lectori nonnisi eo tempore quo exorti sunt novatiani, inductum esse in ecclesia usum recipiendi lapsos ad paenitentiam. Et propterea ait eo primum tempore constitutum esse presbyterum paenitentiarium. Additque tali constitutione immutatam esse antiquam regulam ecclesiasticam, quam soli novatiani servavissent. Nam in hoc inciso : « episcopi post decianam persecutionem τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι presbyterum paenitentiarium adjecerunt, » vocem κανόνεν vertendam esse cum Epiphanio et Petavio per *regulam,* patet ex phrasi mox sequenti : οὗτος ὁ κανὼν κρατεῖ μεχρὶ νῦν ἐν ταῖς ἄλλαις αἱρέσεσι, h. e. ista regula etiamnum obtinet in aliis sectis. Sozomenus vero, qui quorsum tenderet assertio Socratis, rite perspexit, primo quidem dogma novatianorum, quod ille insinuare satagebat, convellit, asserens institutionis esse divinae ut paenitentibus, etiam si saepius deliquerint, venia [ab ecclesia] detur et propterea ipsam etiam peccatorum confessionem esse institutionis divinae. Tum in oppositione ad Socratem

asserit munus presbyteri paenitentiarii jam primis temporibus in ecclesia viguisse. Ceterum nihil affert unde suum assertum firmet. Ex iis tamen quae habet Origenes in libro III contra Celsum probabile redditur in quibusdam ecclesiis jam ante decianam persecutionem munus paenitentiarii exstitisse.

831. — Quod jam attinet ad secundum eorum de quibus hic quaeritur, sunt qui dicant confessionem qua mulier stuprum a diacono secum patratum confessa est, fuisse confessionem publicam in conspectu totius ecclesiae editam. Ita Bellarminus, quem sequuntur etiam recentes nonnulli, v. g. Frank et Jungmann. Hisce porro rationibus pugnant. a) Socrates significat confessionem publicam fuisse partem paenitentiae mulieri impositae. « Presbyter praecepit, inquit, ut jejuniis et orationibus vacaret, *quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam paenitentiae conveniens ostenderet.* b) Quae immediate sequuntur apud Socratem, exigunt ut haec verba intellegantur de confessione publica. Pergit nempe historicus dicendo : « Progressa mulier aliud facinus confessa est, ecclesiae videlicet diaconum, » etc. Spectato nexu cum antecedentibus, sensum oportet esse, mulierem jam exsequentem paenitentiam sibi impositam, confessionem publicam edidisse ; in ea porro, cum imprudenti fervore abrepta, *longius quam par esset, progrederetur,* ipsam aperuisse aliud delictum praeter ea quae presbyter paenitentiarius ipsi dixerat esse publice confitenda. c) Statim atque mulier locuta est, sequitur in narratione Socratis ejectio diaconi ex ecclesia et tumultus populi. Ergo confessio mulieris fuit publica. Τοῦτο λεχθέν, id cum dixisset, inquit Socrates. — d) Si confessio illa mulieris fuit secreta, h. e. facta soli paenitentiario, inexplicabile est quomodo ex ea fama facinoris commissi manaverit ad vulgus. Recurrunt insuper e) veteres hujus sententiae patroni ad historiam tripartitam, verba Sozomeni de presbyteri paenitentiarii institutione ita reddentem : « veteribus pontificibus visum est ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur. »

2° Alii cum Petavio et Zaccharia tenent confessionem qua mulier confessa est stuprum sibi a diacono illatum, fuisse, sicuti primam ejus confessionem, factam soli paenitentiario, atque adeo eam fuisse confessionem privatam. Estque haec sententia vera et accipienda. Nam a) participium προβαίνουσα, spectato genio linguae graecae, vertendum est : progressu temporis. Sic enim etiam paulo post locum citatum ait Socrates de Sabbatio novatiano : προϊών (procedens) δὲ καὶ φανερὸς ἐγένετο : h. e. progressu temporis manifestus evasit. b) Sozomenus

narrat mulierem, cum paenitentiae, quae in prima confessione sibi imposita fuerat, implendae causa in ecclesia moraretur, a diacono stupratam fuisse et tum demum illud facinus confessam esse. Ergo congruum est intellegere eam propter novum peccatum commissum denuo paenitentiario confessam esse. c) Nullo negotio intellegitur quomodo altera illa confessio occasio fuerit rumoris ad populum delati. Paenitentiarius enim, pro officii sui munere, accepta denuntiatione mulieris, diaconum accersivit, eumque, adhibitis testibus, criminis convicit, ex testibus vero res ad vulgus manavit. d) Sanctus Leo papa in epistula 168, carpens praxin peccata publice confitendi quae nuper in angulo quodam Italiae frequentari coeperat, ait eam esse contra apostolicam regulam praesumptionem et illicitam. Ergo incredibile est talem morem in ecclesia cpolitana exstitisse.

832. — Quod denique tertio loco quaeritur, quid videlicet Nectarius proprie abrogaverit, in diversas sententias distraxit catholicos. Prima ponit nihil Nectarium abrogasse, sed Socratem mentitum esse. Ita Latinus Latinius. At manifestae falsitatis convincitur. Nam a) Socrates narrat factum tamquam recens, circa quod impossibile erat eum fallere; ab omnibus enim mendacii convictus fuisset. b) Quo tempore scribebat Sozomenus, adhuc supererant testes qui de veritate vel falsitate facti testari poterant.

Secunda sententia tenet Nectarium una cum munere paenitentiarii abrogasse privatam confessionem, in eoque mortaliter peccasse. Ita Waldensis et Melchior Canus. Qui et ipsi manifesto falluntur. Nam a) teste utroque historico, omnes orientales ecclesiae exemplum Nectarii imitatae sunt. b) Siricius papa, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, omnes ecclesiae, saltem occidentales, reclamassent.

Tertia est sententia Nectarium una cum munere paenitentiarii abrogasse confessionem publicam. Cujus sententiae falsitas patet ex supra dictis; nunquam enim, uti ibi ostensum est, confessio publica moribus ecclesiae recepta est.

Quarta sententia decernit abrogasse solummodo Nectarium munus paenitentiarii; inde tamen factum esse ut mox in ecclesiis orientis conciderit disciplina paenitentiae publicae. Cum enim denuntiationes contra eos qui in peccata canonica incidissent, jam non reciperentur, neminem jam in foro externo potuisse cogi ad obeundam paenitentiam publicam vel a communione arceri.

Quinta denique sententia statuit abrogasse Nectarium una cum munere presbyteri paenitentiarii paenitentiam publicam. Rationes

quibus nititur, sunt praesertim hae duae : a) Socrates, uti et Sozomenus, testatur haec duo, nempe α) sublatum esse munus presbyteri paenitentiarii, et β) unicuique liberam esse factam potestatem accedendi ad sacramentorum communionem. — b) Sozomenus testatur idipsum Constantinopoli a Nectario sublatum esse quod Romae suo tempore adhuc servabatur ; atqui id quod ait Romae suo tempore adhuc servari, est paenitentia publica.

Patet autem nihil ferme interesse, sive quinta haec sententia approbetur, sive ei praeferatur quarta sententia. Concordat enim utraque sententia in affirmando abolitionem paenitentiae publicae in ecclesia orientali repetendam esse a decreto Nectarii. Discrimen est tantummodo in eo quod quinta sententia ponit eo decreto paenitentiam publicam directe abolitam esse, quarta vero sententia ponit abolitionem paenitentiae publicae esse effectum qui ex suppresso munere paenitentiarii consecutus sit quique proinde indirecte eodem illo Nectarii decreto inductus sit.

833. — Atque hactenus quidem de sententiis catholicorum. Jam sententiae protestantium referendae sunt. Hi magno consensu affirmant ex facto Nectarii efficaciter probari confessionem peccatorum, presbyteris ecclesiae faciendam, non esse institutionis divinae. Verum, ubi jam agitur de instituenda hac efficaci probatione, magnopere a se invicem dissentiunt. Veteres protestantes communiter dixerunt id quod a Nectario patriarcha suppressum sit, esse specificam confessionem peccatorum etiam internorum atque occultorum, qualis decreto concilii lateranensis IV omnibus fidelibus praecipitur. Atque inde concludebant temporibus Nectarii patriarchae specificam illam omnium peccatorum mortalium confessionem non esse creditam ab ecclesia cpolitana atque ceteris ecclesiis orientalibus juris esse divini, quandoquidem non ignorarent hae ecclesiae id quod sit juris divini, nullo praecepto ecclesiastico abrogari posse. Apparet autem hoc ipsorum argumentum seipsum interimere. Nam, si ante decretum Nectarii confessio specifica omnium peccatorum mortalium, etiam pure internorum, habita est ut obligatoria, ergo primis ecclesiae saeculis ea confessio credita est esse institutionis divinae ; quandoquidem nulla potestate humana obligatio hujusmodi confessionis induci potuit. Quamobrem, si firmum sit id quod ad concludendum suum argumentum veteres protestantes supponebant, oportet potius asserere falsam iniri facti Nectarii a Socrate et Sozomeno narrati interpretationem, quando contenditur eo esse sublatam obligationem peccata post baptismum commissa sacerdotibus

ecclesiae confitendi. Vidit hanc consequentiam Dallaeus calvinista, proptereaque asseruit id quod decreto Nectarii sublatum sit, non esse nisi confessionem quae propter peccata canonica in quae aliquis incidisset, facienda erat presbytero paenitentiario in ordine ad suscipiendam actionem paenitentiae publicae. Nihilo tamen minus ex facto Nectarii ait efficaciter argui confessionem peccatorum non esse juris divini ; quandoquidem ex iis quae de hoc facto referunt Socrates et Sozomenus, palam fiat non aliam ante Nectarium exstitisse in ecclesia peccatorum confessionem praeter eam quam Nectarius suppressit. Haec a Dallaeo adhibita argumentandi ratio sese deinde probavit omnibus auctoribus protestanticis qui post ipsum de facto Nectarii scripserunt.

834. — Porro conclusio protestantium, quacumque demum ratione accipiatur, apertissimae falsitatis convincitur ex testimonio utriusque historici qui factum Nectarii ad memoriam posteritatis prodiderunt. Ut merito dixeris cum Petavio protestantes in hoc facto objiciendo insigne monumentum suae inscitiae defixisse. Etenim 1° in suae narrationis prooemio testatur Sozomenus confessionem peccatorum post baptismum commissorum esse institutionis divinae. « Cum paenitentibus, inquit, etiamsi saepius deliquerint, veniam dare Deus praeceperit, *cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat.* » Nec mutatur, quantum ad id quod modo agitur, attinet, ultimae pericopes sensus, sive eam vertas cum Epiphanio : « qui vero peccata confiteri refugiunt, majus sibi peccatorum onus acquirunt », sive eam interpreteris cum Nicephoro Callista : « peccatorum veniam iis concedere Deus jussit, qui legitima et convenienti paenitentia usi, deinceps simul peccatum et aversantur et confitentur. » Non autem testatus fuisset Sozomenus confessionem peccatorum esse institutionis divinae, si propter factum Nectarii, quod quinquaginta annis antequam suam historiam scribebat, contigerat, quodque narrat orientis omnes ecclesias imitatas esse, usus hujus confessionis suo tempore jam sublatus fuisset.

2° Sublatam fuisse a Nectario omnem omnino specificam peccatorum confessionem quae ante ipsum in ecclesia cpolitana in usu fuisset, neque diserte testantur Socrates et Sozomenus, uti legenti utriusque narrationem facile patebit, neque etiam via legitimae consequentiae ex iis quae uterque historicus narrat, inferri potest. Nam a) id inferri nequit ex nudo facto suppressi muneris presbyteri paenitentiarii. Etenim oporteret ostendi ab adversariis praeter confessionem quam presbytero paenitentiario oportebat ab iis fieri qui in peccata canonica impe-

gissent, non fuisse in ecclesia temporibus Nectarii frequentatam tamquam necessariam aliam confessionem quae sacerdoti ad arbitrium electo fieri posset ab iis qui peccata mortalia quidem, non tamen canonica, admisissent. Jam vero nihil hujusmodi a protestantibus ostendi potest. A nobis vero ex Cypriano, Origene, Aphraate, Ambrosio, Augustino aliisque patribus positive ostenditur confessionem illam peccatorum etiam non canonicorum, agnitam esse in vetere ecclesia ut necessariam. Immo dato et non concesso solum presbyterum paenitentiarium solitum esse excipere confessiones fidelium, adhuc tamen ex suppresso munere presbyteri paenitentiarii non sequitur ipsam functionem audiendi confessiones fidelium suppressam fuisse. Aliud enim est supprimi munus sive officium aliquod peculiare quod in ordine ad functionem aliquam convenienter adimplendam institutum erat ; aliud vero est ipsammet hanc functionem supprimi. Sic, quod attinet ad hanc functionem audiendi confessiones paenitentium, potuit haec functio quae prius a peculiari aliquo presbytero ad id constituto praestabatur, jam inde a suppresso munere presbyteri paenitentiarii praestari vel ab ipso immediate episcopo vel sub ipso a multis simul sacerdotibus. Itidem b) privatam confessionem a Nectario patriarcha sublatam esse argui nequit ex fine quem spectavit Nectarius in supprimendo munere presbyteri paenitentiarii. Uti enim narrant Socrates et Sozomenus, Nectarius, supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, intendebat tollere id ex quo contigerat stuprum a diacono perpetratum deferri cum magna totius ordinis ecclesiastici infamia ad notitiam populi. Jam vero ex arcana confessione soli paenitentiario vel alii sacerdoti facta non potuit hujus facti notitia deferri ad populum. Sed publicam hanc notitiam oportuit oriri vel ex publica mulieris confessione vel ex citatione et convictione diaconi coram presbytero paenitentiario. Ergo id quod, supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, Nectarius sustulit, non fuit confessio arcana sacerdoti ecclesiae facta, sed id fuit vel publica mulieris confessio, vel, quod verius est, id fuerunt variae functiones quas, tanquam praepositus paenitentiae publicae, presbyter paenitentiarius exercebat in foro externo. Nempe, uti satis colligitur ex narratione Socratis et Sozomeni, paenitentiarius, accepta denuntiatione mulieris, diaconum coram suo tribunali citavit, eum, adhibitis testibus, sui criminis convicit, convictum ab episcopo deponi curavit, a testibus deinde rem totam populus rescivit. Tandem c) privatam confessionem esse a Nectario patriarcha sublatam inferri nequit ex incommodis quae notant Socrates et Sozomenus ex aboli-

tione muneris presbyteri paenitentiarii secuta esse. Nam secundum Socratem quidem illud incommodum secutum est, quod jam non, sicut antea, christiani sua delicta invicem coarguerent. Sed tale incommodum, uti manifestum est, secutum est, non ex suppressa secreta et spontanea confessione, sed ex eo quod ii qui peccata canonica commisissent, non amplius denuntiabantur presbytero paenitentiario, ut coram eo vel inviti sua peccata fateri cogerentur. Secundum Sozomenum vero illud incommodum secutum est, quod jam plura essent peccata, eo quod non sicut antea, homines revocarentur a peccando sive pudore sua peccata annuntiandi sive severitate judicum qui ad id constituti erant. Quibus suis verbis significat sane Sozomenus aliquam peccatorum confessionem abolitione muneris presbyteri paenitentiarii sublatam esse. Ex ipsissimis tamen hisce ejus verbis accipitur hanc non fuisse confessionem secretam factam soli presbytero paenitentiario, sed confessionem quam, postquam presbytero paenitentiario denuntiati fuerant, graviorum criminum rei coram testibus facere adigebantur.

835. — **Objiciunt** 1° : Impossibile est dicere aliquam confessionem privatam esse juris divini, si temporibus Nectarii abrogata est Cpoli et in ceteris orientis ecclesiis omnis confessio privata quae illic antea fuerat. Sed temporibus Nectarii sublata est Cpoli et in ceteris orientis ecclesiis omnis confessio privata quae illic antea fuerat. Ergo.

Probatio Minoris. Nectarius, supprimendo suo decreto munus presbyteri paenitentiarii, suppressit illud propter quod institutum fuerat illud munus. Sed, testibus Socrate et Sozomeno, munus presbyteri paenitentiarii institutum erat non ut ex iis confessionibus lapsorum quae antiquitus fiebant, audirentur confessiones alicujus speciei, sed ut audirentur omnes omnino confessiones. Ergo Nectarius suppressit suo decreto omnem omnino confessionem quae antiquitus fiebat.

Probatio Minoris. Socrates: « Episcopi paenitentiarium presbyterum canoni ecclesiastico adjecerunt *ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto sua delicta confiterentur.* » Sozomenus: « Ad quem accedentes *ii qui deliquerant, suos actus confitebantur.* »

836. — **Respondetur** *concedendo Majorem et negando Minorem.* — *Ad probationem Minoris distinguitur Maj.:* Quando supprimitur munus aliquod, supprimitur functio propter quam institutum erat illud munus, quatenus est functio propria alicujus muneris peculiaris, *Conc. Maj.* Quatenus est simpliciter functio aliqua obeunda, *Neg. Maj., et transmissa Min., neg. Conseq.* Non in hoc institutum erat munus presbyteri paenitentiarii ut jam deinde frequentaretur peccatorum confessio quae ante

institutum illud munus frequentata non esset, sed ut uni presbytero peculiariter ad hoc deputato, fierent confessiones quae prius fiebant episcopo. Nec vero hujus oppositum accipere est ex verbis Socratis vel Sozomeni. Immo Sozomenus aperte docet confessionem peccatorum esse institutionis divinae, munus vero presbyteri paenitentiarii fuisse institutionis humanae. Secundum Sozomenum proinde obligatio et praxis confitendi est antiquior quam institutio presbyteri paenitentiarii. Sicuti ergo, antequam institueretur munus presbyteri paenitentiarii, jam erat confessio, ita postquam abolitum est illud munus, potuit permanere confessio. — Adde quod Socrates, peraeque ac Sozomenus, munus presbyteri paenitentiarii ex eo praesertim notificat quod hic presbyter praepositus erat paenitentiae publicae. Quando ergo hi auctores dicunt presbyterum paenitentiarium in hoc constitutum fuisse ut exciperet confessiones lapsorum, ipsi non intendunt loqui nisi de audiendis confessionibus eorum qui publicam paenitentiam suscepturi essent. Nec vero, cum affirmant ad solum presbyterum paenitentiarium pertinuisse tales confessiones audire, ipsi propterea negant fuisse alios sacerdotes qui exciperent confessiones eorum qui peccassent quidem, non tamen ita ut publicae paenitentiae subjiciendi essent.

837. — **Objiciunt** 2° : Qui unicuique facit liberam potestatem ex propria sua conscientia et propria sua fiducia ad communionem sacramentorum accedendi, ille ab unoquoque tollit obligationem peccata in quae forte inciderit, sacerdoti confitendi. Sed, testibus Socrate et Sozomeno, Nectarius decreto quo suppressit munus presbyteri paenitentiarii, fecit unicuique liberam potestatem ex propria sua conscientia et propria sua fiducia accedendi ad communionem eucharisticam. Ergo, testibus praedictis historicis, Nectarius decreto quo munus presbyteri paenitentiarii suppressit, sustulit ab omni omnino peccatore obligationem sua peccata confitendi.

Probatio Majoris : Quicumque habet liberam potestatem ex propria sua conscientia et propria sua fiducia accedendi ad sacramentorum communionem, ille ex sententia propria, non vero ex sententia alterius tantummodo, accedere potest ad percipiendam sacram eucharistiam. Sed quicumque tenetur prius peccata sua confiteri quam ei liceat ad percipiendam sacram eucharistiam accedere, ille non ex sententia propria, sed tantummodo ex sententia sacerdotis ipsum absolventis potest accedere ad sacram eucharistiam. Ergo quicumque habet potestatem ex propria sua conscientia et propria sua fiducia accedendi ad sacramentorum communionem, ille non tenetur obligatione sua peccata confitendi.

838. — **Respondetur** *negando Maj., et, concessa Minore, negando Conseq.. Ad probationem Majoris disting. Maj. :* Quicumque habet liberam potestatem ex propria sua conscientia et propria sua fiducia accedendi ad communionem sacramentorum, ille eatenus ex propria suiipsius sententia, non vero ex sententia tantummodo alterius accedere potest ad percipiendam sacram eucharistiam, quatenus sententia judicis in foro externo sedentis et coactionem adhibentis arceri non potest a sacra eucharistia, *Conc. Maj.* Ille eatenus ex propria suiipsius sententia, non vero ex sententia tantummodo alterius, accedere potest ad percipiendam sacram eucharistiam, quatenus solvitur obligatione adeundi judicem sedentem in foro interno, ei peccata sua confitendi et secundum quod illius judicio dignus vel indignus judicatus fuerit, accedendi vel non accedendi ad sacram synaxin, *Neg. Maj. et, contradistincta Minore, neg. Consequens.*

Obligatio legis alicujus potest alicui applicari dupliciter, nempe vel interius per conscientiam manifestantem vel exterius per judicem cogentem. Propter hoc ipsum ergo quod Socrates narrat unicuique permissum fuisse ut *pro animi sui conscientia* accederet ad sacramentorum communionem, ipse satis significat non fuisse a Nectario sublatam obligationem peccatoribus incumbentem non prius accedendi ad sacram synaxin quam peccata sua sacerdoti in foro interno potestatem habenti confessi fuissent, et secundum ipsius judicium condignam paenitentiam peregissent, sed solummodo sublatam fuisse coactionem qua antea haec obligatio in foro externo, etiam invitis peccatoribus, urgebatur.

839. — **Objiciunt** 3°: Qui supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, illud sustulit unde fiebat ut homines propter verecundiam enuntiandi sua peccata, minus peccabant, ille suppressione illius muneris sustulit omnem omnino confessionem auricularem. Atqui, teste Sozomeno, Nectarius, supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, sustulit illud unde fiebat ut homines propter verecundiam enuntiandi sua peccata minus peccabant. Ergo, teste Sozomeno, Nectarius sustulit omnem omnino confessionem auricularem.

840. — **Respondetur** *distinguendo Maj. :* Qui, supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, sustulit id unde antea fiebat ut homines propter verecundiam delicta sua secreto in foro interno enuntiandi absterrerentur a peccando, ille suppressione praedicti muneris sustulit omnem confessionem auricularem, *Conc. Maj.* Qui, supprimendo munus presbyteri paenitentiarii, illud sustulit unde antea fiebat ut homines propter verecundiam delicta sua coram pluribus testibus in foro externo

confitendi, absterrerentur a peccando, ille suppressione praedicti muneris omnem confessionem auricularem abstulit, *Neg. Maj. et, contradistincta Minore, neg. Consequens.*

Uti jam antea monuimus, ille qui sub nomine paenitentiarii praecrat paenitentiae publicae, non solum certum modum atque certum tempus hujus paenitentiae imponebat peccatoribus sponte ad se accedentibus et sibi secreto confitentibus, sed praeterea per suos ministros sive *officiales* a) inquirebat in eos peccatores qui latere volebant et b) denuntiationes in eosdem recipiebat. Et quidem si via inquisitionis vel delationis compertum fuisset aliquem peccatum canonicum commississe, ille tamquam reus coram tribunali paenitentiarii citabatur, per varios testes sui criminis convincebatur, et sic tandem illud confiteri cogebatur. Hoc est quod homines dissolutos, quorum magna frequentia erat Constantinopoli, a nimia peccandi licentia refraenabat. Unde isti avide arripuerunt occasionem sibi oblatam per scandalum ortum ex detecto stupro a diacono commisso ut praetextu religionis seditiose peterent suppressionem muneris paenitentiarii. Sane confessionem illam ob cujus metum Socrates ait homines fuisse antea absterritos a peccando, fuisse confessionem non sponte factam, sed invitis per testes extortam, patet — tum a) ex eo quod Sozomenus veluti causam quae homines antea retrahebat a peccando, non solum assignat verecundiam eorum qui sua peccata confitebantur, sed etiam severitatem judicum qui ad id, h. e. ad tales confessiones via inquisitionis vel denuntiationis exigendas, erant constituti, — tum b) ex eo quod Socrates, a quo Sozomenus totum id quod narrat deprompsit, diserte significat propterea post suppressum munus paenitentiarii timendum fuisse ne homines mali liberius peccarent, quia christiani non amplius delicta sua invicem coarguebant, denuntiando videlicet paenitentiario eos qui in peccatum aliquod canonicum lapsi essent.

841. — Objiciunt 4° auctoritatem Joannis chrysostomi, Nectarii in sede cpolitana successoris, quem tam saepe tamque diserte in suis ad populum habitis homiliis aiunt testatum facere nihil opus esse confessione apud homines facta ad impetrandam a Deo peccatorum remissionem, ut crederes eum huic commento innocentiano confutando et ex hominum animis evellendo operas suas ex professo locasse.

842. — Primum praecipua loca Chrysostomi huc pertinentia describenda sunt, tum argumentum protestantium proponendum est.

I. Homilia 2ª ad illuminandos, quae falso olim inscripta fuit 21ª de statuis, n. 4 : « Neque hoc tantum est admirabile quod nobis peccata

dimittat, verum et quod ipsa non revelet, nec manifesta faciat aut conspicua, nec cogat in medium procedentes quae peccavimus enuntiare, sed sibi SOLI rationem reddere jubeat et SIBI confiteri. Etenim ex saecularibus judicibus si quis alicui captorum latronum vel eorum qui sepulcra effodiunt, diceret ut peccata confiteretur, quo sibi poena dimitteretur, cum omni certe alacritate hoc susciperent, salutis cupiditate pudorem contemnentes. Hic vero nihil tale est; verum et peccata dimittit, nec cogit praesentibus quibusdam ea efferre et enuntiare, sed unum solum exigit, ut qui remissione fruitur, doni magnitudinem intellegat. Quomodo igitur non absurdum, ut in quibus nos ipse beneficio afficit, *SOLO* testimonio nostro contentus sit, nos autem in quibus ipsum colimus, alios testes quaeramus et ad ostentationem quidquam faciamus. »

II. Homilia 5ª de incomprehensibili, n. 7 : « Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et hortor *ut frequenter Deo confiteamini.* Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo ; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera et ab eo medicamenta postula ; ostende non exprobranti, sed curanti ; nam, etiamsi tacueris, ipse novit omnia. Dic igitur, ut id lucro tibi sit ; dic ut, illis hic depositis, illo abeas purus et a delictis vacuus, et ab intoleranda promulgatione illa libereris. »

III. Homilia 6ª de paenitentia, n. 5, versus finem : « Sed quoniam sancta mysteria ad memoriam vobis rettuli tremenda ac spiritualia, rogo, obsecro, deprecor atque omni cum instantia expeto, omne deponentes peccatum, sic ad tremendam hanc mensam accedere. *Pacem,* inquit, *sequimini cum omnibus et sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum* (Heb. XII, 14). Qui autem Dominum videre dignus non est, neque communione dignus est dominici corporis. Propterea Paulus inquit : *probet autem se homo, et sic de pane illo comedat et de calice bibat* (I Cor. XI, 28). Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit ; intus in conscientia, adstante nemine praeter eum qui cuncta videt Deum, judicium et examen peccatorum statue, et vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam et particeps sacri sacrificii fias. »

IV. Homilia 3ª de paenitentia, n. 4 : « Peccasti ? Ecclesiam ingredere, atque tuum dele peccatum. Quotiens ceciderís in foro, totiens exsurgis : sic quotiens peccaveris, peccati paeniteat neque desperes : tametsi secundo peccaveris, secundo paeniteat, neque animo consternatus a spe repositorum bonorum cadas. Quamvis in extrema canitie pecca-

veris, ingredere, paenitentiam age : medicinae locus est hic, non judicii ; non poenas exigens, sed peccatorum remissionem tribuens. Deo soli dic peccatum tuum : *tibi soli peccavi et malum coram te feci* (Ps. L, 6) ; et dimittetur tibi peccatum. »

V. Homilia 20ª in cap. IV Geneseos, nn. 3 et 4 : « Attamen qui haec fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiae adjumento et ad confessionem facinorum festinare, et ulcus ostendere medico, qui curet et non exprobret, atque ab illo remedia accipere, ac soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum abolitio etiam est delictorum. Quod si Lamech ille suis mulieribus caedes a se commissas detegere et confiteri non refugit, quali erimus venia digni, si ei qui omnia nostra accurate novit delicta, confiteri peccata nolumus? Num quia ignorat, discere vult ? Nequaquam quia ignorat, confessionem a nobis requirit, qui omnia scit antequam fiant : sed volens per confessionem nos quoque peccatorum habere sensum, et gratum erga se ostendere animum... Absque sumptu et cruciatu est praesens pharmacum, et quam celerrime curat... Num grave aliquid et molestum a nobis requirit ? Contritionem cordis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, assiduitatem continuam : et non solum largitur vulnerum curam et a peccatis mundos reddit, sed et eum qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit... Nam si adversarium nostrum praeverterimus, diabolum dico qui in die illo ob faciem nostram stabit, et jam in praesenti vita, antequam ad tribunal ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus, nostrum ipsorum facti accusatores, in tantum ad misericordiam provocabimus Dominum, ut non solum nobis concessurus sit ut a peccatis liberemur, sed ut in justorum catalogo adscribamur. »

VI. Homilia 2ª in ps. L, quae est inter opera spuria Chrysostomi, n. 5 : « Peccata tua dicito ut ea deleas. At pudet dicere te peccasse. Dic ea cottidie in oratione. Num enim dico ut ea conservo dicas, qui tibi exprobret ? Dic Deo qui iis medetur. Neque enim si non dixeris, nescit ea Deus. Numquid enim ea a te discere vult ? Cum ea faceres, aderat : cum ea admitteres, adstabat, sciebat. Perpetrabas, nec pudore commovebaris. Res quae te probrosum efficiebant, non erubuisti, et nunc verba quae te justificant, erubescis. Hic dicito, ne illic dicas. Dic et lacrimare. Peccata tua in libro scripta sunt. Spongiae instar sunt lacrimae. Lacrimas funde et oblitterantur. Lacrimas funde, et purus illic liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lacrimae. »

...« Cum autem in lectum, h. e. ad tranquillum portum te conjecisti, nec ullus est qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo atque animae tuae : Exegimus hodiernum diem, o anima. Quid boni fecimus ? aut quid mali admisimus ? ac gehennae recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacrima, atque hac ratione ea in lecto delere potes. Deum tuum roga atque obsecra, sicque animam somno trade ; posteaquam prius peccata tua confessus fueris. »

VII. Homilia 4ª de Lazaro, n. 4 : « Rursus si hucusque fuerimus neglegentes, iniquitatem in opus progressam mox occidamus per confessionem, per lacrimas, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato quam peccati accusatio condemnatioque cum paenitudine lacrimisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum ? Deposuisti sarcinam. Quis haec dixit ? Ipse judex Deus. Dic tu peccata tua prior ut justificeris. (Is. XLIII, 26). Cur igitur te, quaeso, pudet, et erubescis dicere peccata tua ? Num enim homini dicis, ut te probro afficiat ? Num enim conservo confiteris, ut in publicum proferat ? Immo vero ei qui Dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera. »

« Neque enim ignorat, etiamsi tu non dixeris, qui sciebat etiam antequam perpetrares. Quid igitur est causae, quo minus dicas ? Non enim ex accusatione tua fit gravius peccatum : immo vero mitius ac levius. Et ob hoc ipsum Deus vult te dicere non ut puniaris, sed ut relaxeris : non ut ipse sciat peccatum : cur enim id postulet, cum jam sciat ? Sed ut scias, quantum tibi debitum remittatur. Ideo vero vult te scire beneficii magnitudinem, ut perpetuo gratias agas, ut segnior fias ad peccandum, ut ad virtutem promptior. Nisi dixeris debiti magnitudinem, non agnosces gratiae eminentiam. Non, inquit, cogo te in medium prodire theatrum ac multos adhibere testes, mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus teque dolore liberem. »

VIII. Homilia quod peccata non sunt evulganda, n. 3, (apud Migne, tom. III, col. 356) : « Neque enim in medium adductis peccatoribus, eorum deinde peccata divulgamus, sed communi omnibus doctrina proposita, conscientiae relinquimus auditorum ut convenientem suo vulneri ex iis quae dicta sunt, eliciant medicinam. Prodit enim ab oratoris lingua doctrinae sermo qui vituperationem vitii continet, laudem virtutis, reprehensionem luxuriae, commendationem castitatis, accusationem superbiae, praeconium modestiae, tamquam varium multiplexque pharmacum ex omnibus speciebus compositum : porro con-

veniens sibi et utile ut accipiat, est uniuscujusque auditorum. Procedit igitur aperte sermo et uniuscujusque conscientiae insidens, latenter suam exhibet medicinam, et prius quam aegritudo publicetur, saepe restituit sanitatem. »

IX. Homilia non esse ad gratiam concionandum, nn. 3 et 4, (apud Migne, tom. II, col, 658) : « At verecundaris et erubescis enuntiare peccata ? Sane quidem si coram hominibus ea dicenda essent et evulganda ; non tamen ita pudere te oportuit ; pudor enim est et ignominia peccare, non quae peccaveris confiteri ; jam vero neque necessarium est testibus praesentibus confiteri. Apud conscientiae rationes fiat inquisitio delictorum : sine testibus sit judicium, Deus te confitentem SOLUS audiat, Deus qui peccata non exprobrat, sed confessione peccata delet. At hoc pacto etiam pigritaris ac detrectas ? Scio equidem conscientiam suorum delictorum memoriam minime ferre. Nam si tantum subeat animum eorum quae deliquimus recordatio, tamquam pullus quidam indomitus ac frenatu difficilis mens resilit. Sed tu coerce illam ac refraena, demulce manu, cicurem illam redde, persuade fore ut, nisi nunc confiteatur, illic confiteatur, ubi major poena, ubi diffamatio major. Hic judicium fit sine testibus, ac tu ipse in te judicium exerces, qui peccasti ; at illic in medium orbis terrarum cuncta producentur, nisi prius hic fuerint a nobis deleta. Erubescis peccata confiteri? erubesce peccata committere. Nos vero dum illa committimus, temere et imprudenter ea aggredimur ; cum autem ea fuerint confitenda, tum nos pudet pigetque, cum id alacriter a nobis fieri oporteret. Non enim ignominiosum est accusare peccata, sed justitia et virtus ; nisi justitia esset ac virtus, non proposuisset illi mercedem Deus. Nam confessionem obtinere mercedem, audi quibus verbis scriptura testatur : *Dic tu iniquitates tuas primus ut justificeris* (Is. XLIII, 25). Quem tandem pudebit illius operis quo fit justus ? Quem confiteri peccata pudeat, ut peccata solvat ? Num enim idcirco peccata jubet confiteri ut puniat ? Immo ut dimittat. »

« Nam in externis quidem tribunalibus post confessionem sequitur poena. Propter quod psalmus etiam hoc ipsum reformidans, ne quis metu poenae quae confessionem sequatur, peccata denegaret, ait : *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus* (Ps. CV, 1). Num enim tua peccata nescit, nisi tu confessus fueris ? Quid ergo tibi prodest, si minime confiteare ? Num enim potes latere ? Quamvis non dixeris, ille novit : *quod si tu dixeris,* ille obliviscitur. »

X. De paenitentia, homilia 2ª, n. 1 (apud Migne, tom. II, col. 285) :

« Peccator es ? Ne despondeas animum, sed ingredere ac paenitentiam obtende. Peccasti ? Dic Deo : peccavi. Quis hic labor est ? quis circuitus ? Quae fatigatio ? quae angustiae verbum hoc proferre : peccavi ? Num enim tu, nisi teipsum dixeris peccatorem, a diabolo non accusaberis ? Praeoccupa, et eripe illi suam dignitatem ; ejus enim dignitas est accusare. Cur igitur illum non praevenis, et peccatum dicis, et crimen purgas, cum probe scias talem accusatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere ? *Peccasti ?* In ecclesiam ingredere, dic Deo : peccavi. Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo. Ait enim scriptura sacra : *dic tu primus iniquitates tuas ut justificeris* (Is. XLIII, 26) ; dic peccatum ut solvas peccatum. Non in hoc labor est, non circuitus verborum, neque pecuniarum expensae, neque aliud quidquam ejusmodi ; dic verbum, bonae fidei esto circa peccatum, et dic : peccavi. »

XI. Homilia 20 in Matth. c. 6, n. 5 : « Quia contingit etiam post regenerationis lavacrum ut delinquamus, plurimum hic quoque miserationis ostendens, etiam pro horum peccatorum remissione ad misericordem Deum accedere jubet, ac sic dicere : dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Vidistine misericordiae cumulum ? Post tantorum quippe abolitionem malorum et ineffabilem gratiae largitatem iterum peccantibus dignatur ignoscere. »

XII. Homilia 28 in 1 Cor., n. 1 : « Ideo ait : probet autem seipsum unusquisque, et tunc accedat. Nec praecipit ut alter alterum probet, sed ut quisque seipsum, judicium statuens quod non sit publicum et probationem sine testibus. »

XIII. Homilia 31 in ep. ad Hebraeos, n. 3 : « Magnum est bonum assidue meminisse peccatorum, delicto nihil ita medetur ut assidua recordatio ; nihil hominem adeo reddit tardum ad vitium. Scio quod resiliat conscientia, et non patiatur se flagellari a memoria malorum ; sed fortiter stringe animam et camum ei impone : sicut enim equus effrenatus, ita intolerabilis est, nec vult sibi persuadere quod peccaverit. Hoc totum plane est satanicum. Sed nos ei persuadeamus quod peccaverit, ut et agat paenitentiam, et cum paenitentiam egerit, liberetur a suppliciis. Quomodo vis, dic quaeso, de peccatis assequi veniam, si ea nondum sis confessus ? Ille qui peccavit, plane est misericordia dignus et clementia : tu autem cum nondum id tibi persuaseris, quomodo aequum censes ut consequaris misericordiam, in peccatis adeo impudenter te gerens ? Persuadeamus nobis ipsis quod peccavimus ; non lingua solum dicamus, sed etiam mente ac cogitatione : ne nos dicamus tantum peccatores, sed etiam peccata recenseamus, speciatim

unumquodque enumerantes. Non dico tibi ut ea tamquam pompam in publicum proferas, neque ut apud alios te accuses, sed ut pareas prophetae dicenti ; revela Domino viam tuam (Ps. XXXVI, 5). Apud Deum ea confitere, apud judicem confitere peccata tua, orans (εὐχόμενος) si non lingua, saltem memoria, et ita roga ut tui misereatur. »

XIV. Homilia de beato Philogonio, quae est 6ª contra anomaeos, nn. 3 et 4 : « Jam nunc obtestor obsecroque, ut omnibus modis repurgati, ita demum sacra adeatis mysteria. Neque mihi quisque dixerit : vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si oraveris, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quod breve est tempus, sed illud considera quod benignus est Dominus... Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate, pollicere te posthac ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fidejubeo fore ut si nostrum quisque qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requiret ad excusationem majorem. »

843. — **Ex his tale conficiunt argumentum** Dallaeus et alii protestantes : Ille negat ad impetrandam remissionem peccatorum opus esse confessione sacerdoti facta, qui asserit et usque inculcat soli Deo peccata confitenda esse ; confessionem fieri sine testibus ; eam fieri intus in conscientia, adstante nemine praeter Deum ; in confessione nos soli Deo loqui, nullo alio conscio ; in confessione solum Deum nos confitentes audire ; si quis pudor in confessione facienda superandus sit, eum unice provenire ex eo quod conscientia memoriam suorum peccatorum ferre non potest ; ad impetrandam peccatorum remissionem satis esse si ea mente et memoria Deo confiteamur ; nos sufficienter confiteri Deo per examen conscientiae quod vespere in lecto decumbentes, solo Deo arbitro, instituimus. Atqui haec omnia locis proxime adductis asserit et usque inculcat Chrysostomus. Ergo.

844. — **Respondetur** *distinguendo Majorem :* Ille negat necessitatem confessionis auricularis sacerdoti factae qui asserit non aliam a Deo requiri peccatorum confessionem nisi eam quae fit intus in conscientia, nemine adstante, quae sola mente peragi potest, quae sufficienter instituitur examine conscientiae quod vespere, jam lecto decumbentes, instituimus, cujusque difficultas unice provenit ex eo quod conscientia memoriam suorum peccatorum ferre non potest, *Conc. Maj.* Qui solummodo asserit in confessione nos dicere peccata soli Deo, nullo alio

conscio, solum Deum nos ibi audire, et ibi sine testibus fieri judicium, *Subdist. Maj.* : Si ex contextu appareat hisce formulis loquendi intendi excludi non solummodo omnem confessionem faciendam homini, prouti hic in foro externo gerit personam judicis pure humani, sed etiam omnem confessionem faciendam homini, prouti hic in foro interno gerit personam judicis divini, *Conc. Maj.* Si ex contextu appareat hisce formulis loquendi intendi quidem excludi omnem confessionem faciendam homini, prouti hic in foro externo gerit personam judicis pure humani, non tamen iis intendi excludi omnem confessionem faciendam homini, prouti hic in foro interno locum tenet judicis divini, *Neg. Maj.* et, *contradistincta Minore, neg. Conseq.*

845. — Priusquam ratio hujus responsionis afferatur, praenotandum est a praesenti causa omnino removenda esse testimonia quae Dallaeus adducit sub numeris I°, VI° et VIII°. Quippe in primo horum testimoniorum Chrysostomus alloquitur catechumenos, quibus fatemur non esse necessariam confessionem sacerdoti factam. Secundum eorumdem testimoniorum excerptum est ex homilia quae non est Chrysostomi, sed imperiti alicujus scriptoris qui male inter se consarcinavit lacinias partim ex Chrysostomo, partim ex Theodoreto expilatas. In tertio denique dictorum testimoniorum non est sermo de confessione, sed de modo quo orator sacer pro concione ad populum dicens, vitia corrigere debet.

846. — Quod jam attinet ad reliqua testimonia citata, agitur quidem in omnibus de confessione, non tamen de sola confessione, sed etiam de iis quae confessionem praecedant vel comitentur ac subsequantur oportet, ac praesertim de examine conscientiae et contritione. Sic v. g. ad praevium examen conscientiae, quod utique intus in corde instituendum est, pertinent haec Chrysostomi verba quae supra in testimonio II° ex homilia 6ª de paenitentia adducta sunt : « intus in conscientia, adstante nemine praeter eum qui videt, Deum, judicium et *examen peccatorum statue.* » In homilia non esse ad gratiam concionandum, unde excerptum est testimonium IX, intellegendum dat Chrysostomus duo esse impedimenta quae retrahant peccatores a confitendo, nempe a) ruborem quem causat ipsa confessio, et b) molestam memoriam peccatorum quem causat examen conscientiae. Nec nisi postquam significavit se jam plene obviasse priori impedimento, aggreditur sanctus doctor obviare impedimento alteri. Ex quo manifestum redditur totam difficultatem confessionis non reponi ab eo in sola molestia quam causat recordatio peccatorum, uti falso asserunt protestantes. Denique in

homilia 31ª ad Hebraeos (in testimonio XIII) praecipue intendit inculcare Chrysostomus confessioni peccatorum praemittendam esse vel cum ea conjungendam esse — tum a) internam agnitionem peccatorum quae admiserimus, ideoque et distinctam eorum recordationem, — tum b) orationem qua humiliter petamus a Deo ut ea nobis misericorditer indulgeat. Et de tali oratione, non vero de omni confessione peccatorum quae necessaria sit ad salutem, ipse asserit satis esse si ea mente et memoria fiat.

847. — Difficultas ergo est solummodo in eo quod Chysostomus, jam agens de ipsamet illa confessione quae necessaria est ad impetrandam remissionem peccatorum, utitur hisce modis loquendi exclusivis : « peccata soli Deo confitenda esse, » « nos in confessione soli Deo loqui, nullo alio conscio, » « solum Deum nos ibi audire, » et « confessionem fieri sine testibus. »

Ad hujus solutionem dicimus : *Tum hac formula loquendi : peccata soli Deo confitenda esse, tum aliis formulis loquendi aequipollentibus, Chrysostomus intendit significare confessionem peccatorum fieri sacerdoti, non ut homini et conservo, sed ut vicario Dei, ideoque eam sigillo secreti communiri ita ut nulla inde infamia vel aliud detrimentum quodcumque ad paenitentem derivari possit.* Rationes ita decernendi sunt accipiendae — tum ex usu loquendi aliorum patrum ecclesiae Chrysostomo superiorum vel coaevorum, — tum ex contextu locorum in quibus hae formulae comparent, — tum ex interpretatione ad quam apparet has formulas tractas esse eo ipso tempore quo Chrysostomus eas protulit.

848. — Nempe A. sicuti jam antea in apertum eruimus, patres primorum saeculorum, ut abigerent a fidelibus pudorem timoremque confitendi, consueverunt iis inculcare in confessione nos peccata nostra confiteri Deo. Sic jam saeculo III ineunte Tertullianus dixerat nos per exomologesin delictum nostrum Domino confiteri, *non ut ignaro* (libro De paenit. c. 9). Et qui fuit coaetaneus Chrysostomo, Ambrosius in ipsomet illo capite libri II De paenitentia in quo significat confessionem peccatorum sacerdoti faciendam esse, eo e cordibus peccatorum nititur pellere timorem sua peccata confitendi, quod confessio fiat Deo cui nota sint omnia quae deliquimus. « *Quid vereris*, inquit, *apud bonum Dominum tuas iniquitates fateri...* Novit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non ut puniat, sed ut ignoscat. » Eumdem finem spectavit s. Augustinus, quando in Enarrat in ps. 66, n. 6, etiam ipse utitur hac formula loquendi, *nos, confitendo nostra peccata, ea confiteri Deo.* » Quid timetis confiteri ? inquit. *Confiteri times Deo*, ne confessum damnet ?

Si non confessus lates, confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus. » Quodque amplius est, ibidem, plane sicut Chrysostomus, confessioni factae a latronibus in foro externo tamquam confessioni factae homini opponit sanctus Augustinus confessionem factam in foro interno tamquam confessionem factam Deo. Additque Deum esse medicum illum qui post confessionem a peccatore factam *adhibet fomenta verborum et aliquando secat.* Et tamen in Serm. 351 idem sanctus Augustinus clarissime significat confessionem illam quam dixerat non fieri homini, sed Deo, non excipi a Deo nisi mediante ministerio sacerdotum. Sanctus Ephrem, in Exhortatione ad paenitentiam non aliam commemorat confessionem nisi eam quae Deo facienda sit, cum tamen alibi saepe doceat hanc confessionem sacerdoti ut vicario Dei fieri debere. Leo papa I ne dimidio quidem saeculo post obitum Chrysostomi elapso scribit in epistula sua 168, cap. 2, confessionem illam secretam peccatorum de qua ibi agebat, « primum (primario) Deo offerri, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentium precator accedit » Eodem illo saeculo v Sidonius Apollinaris, in epistula 14 libri IV epistularum, licet aperte significet sacerdotes in foro interno vulneribus animarum mederi, loquitur tamen de confessione ac si non homini, sed Deo fieret. Opponens enim ibi inter se judicia quae exercentur in reum in foro externo, et judicium quod exercetur in peccatorem in foro interno : « Non ut apud praesulem fieri, inquit, sic apud judicem mundi. Namque ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur, ita nobiscum *qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur.* » — Joannes jejunator patriarcha Cpolitanus (a. 582-595) vel quicumque est auctor libri paenitentialis qui sub nomine illius circumfertur, jubet a sacerdote ita moneri paenitentem, antequam is confessionem suam instituat : « Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et praecipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, *sed per me Deus (illius enim est opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit.* » In alio antiquissimo paenitentiali graeco sacerdos ita jubetur monere paenitentem, « *Ne erubescas. Non enim mihi confiteris, sed Deo in quo subsistis.* » Immo et graeci sacerdotes etiam hodiedum simili verborum formula adhortantur paenitentes ut in confitendo omnem timorem deponant. Quem eorum usum patet ex antiquissima traditione manasse. Ex hisce omnibus efficitur Chrysostomum, quando in suis homiliis ad populum habitis tam frequenter inculcat non esse cur aliquis erubescat confiteri sua peccata, quandoquidem soli Deo confitendum sit, usum esse formula loquendi qua omnibus suis audito-

ribus notum erat significari non esse confitendum sacerdoti ut homini, sed ut locum Dei tenenti, ideoque talem confessionem sigillo secreti communiri.

849. — B. Ipse contextus manifestat Chrysostomum nomine confessionis quae soli Deo facienda sit, intendisse significare confessionem quae sub sigillo secreti sacerdoti tamquam vicario Dei facienda sit. Nam a) tum locis supra allegatis tum locis aliis qui adduci possent, instanter exhortatur peccatores ne a confitendo sua peccata sinant se retrahi pudore et confusione quam secum affert confessio. Immo non aliam ob causam iis inculcat peccata soli Deo confitenda esse, nisi ut minuat ruborem ea confitendi. Jam vero nullus fuisset locus exhortationi illi vincendi ruborem, praesertim tam instanti, si ipse non intendisset loqui nisi de confessione quae intus in mente ad Deum dirigatur. — b) Significat Chrysostomus confessionem illam peccatorum quam ait esse necessariam ad veniam a Deo impetrandam, eo esse gravem et ruborem afferre, quod peccata sint dicenda, enuntianda, exterius proferenda. Intendit ergo loqui de confessione quae fiat in aures sacerdotis. — c) Confessionem illam tamquam soli Deo factam non opponit nisi ei confessioni quae fit quasi in communi theatro, publice, coram multis testibus. Sed confessioni huic theatricae opponitur etiam confessio quae sub sigillo secreti fit sacerdoti tamquam Dei locum tenenti. — d) Oportere ut peccata nostra confiteamur homini vel conservo nostro non negat simpliciter Chrysostomus, sed eatenus solummodo quatenus non sunt peccata nostra dicenda homini *ut nos probro afficiat,* vel confitenda conservo nostro *ut ea in publicum proferat.* — e) In confessione illa quam soli Deo ait fieri, asserit Chrysostomus peccata nostra ostendi Deo *tamquam medico, ut ea curet et ab ipso remedia accipiamus.* Sed, quantum est per ordinariam suam providentiam, Deus non potest peccatis nostris convenientia remedia applicare nisi mediante ministerio hominum. — f) Ipsamet appellatio medici tributa ei cui peccata nostra confitemur, satis prodit de mente esse Chrysostomi asserere nos debere peccata nostra confiteri Deo, prouti hic repraesentatur per sacerdotem tamquam vicarium ipsius. Usu enim omnium patrum antecedentium haec appellatio in materia paenitentiae jam determinata erat ad significandum ita primario Deum, ut secundario significaret sacerdotem tamquam ministrum quo mediante Deus vulnera animae sanaret. — g) Confessio quae intus in mente soli fit Deo, omni instanti et omni loco fieri potest. Sed de ista confessione quam Chrysostomus ait soli Deo fieri debere, ipse significat eam

ordinarie in sola ecclesia fieri posse. Censuit ergo hanc confessionem debere fieri exterius sacerdotibus, qui ordinarie sua munera sacerdotalia in sola ecclesia exercent. Immo videtur quodammodo digito demonstrare locum ecclesiae in quo confessio sacerdoti fieri solita erat, quando in homilia 3 de paenitentia, n. 4, sic loquitur ; « Ecclesiam ingredere, medicinae locus est *hic,* non judicii. »

850. — C. Accedunt plura facta historica ostendentia ea quae Chrysostomus asserit de confessione soli Deo facienda, esse intellecta ab hominibus ipsius temporis de confessione quae facienda sit sacerdoti locum Dei in tribunali paenitentiae gerenti. Duo hic attulisse sufficiat. — a) Uti legitur in actis concilii ad Quercum quae asservavit Photius in sua bibliotheca, codice LIX, inter varia crimina quae ibi Chrysostomo a suis inimicis objecta sunt, unum erat « quod licentiam peccatoribus praeberet dicens : si iterum peccasti, *iterum paenitentiam age, et quotiens peccaveris, venias ad me, et ego te sanabo.* » — b) Sozomenus manifesto imitatur modum loquendi Chrysostomi, quando narrans factum Nectarii, ait noluisse eos qui ecclesiae primitus praeerant, ut *peccata veluti in theatro coram omnibus panderentur.* Unde merito aliquis concluserit confessionem quam ipse confessioni illi theatricae opponit, esse eamdem atque illam quam Chrysostomus ait soli Deo privatim esse faciendam. Jam vero confessioni illi theatricae opponit Sozomenus confessionem quae sub sigillo secreti fit uni sacerdoti.

851. — **Objiciunt** 5° : Opinionem de necessitate confessionis auricularis nonnisi paulatim animos hominum occupasse nec proinde a praedicatione apostolica originem duxisse, patet ex eo quod saeculis VII et VIII opposita sententia habebatur adhuc ut probabilis et a quibusdam etiam ut certa, totis vero quattuor saeculis quae a nono ad decimum tertium fluxerunt, non pauci eidem illi oppositae sententiae adhaeserint. Nam

A. Uti referunt Burchardus (Decretorum libro XIX, cap. 145), Ivo carnotensis (in Decreto) et Gratianus (Decreti parte 2, causa XXXIII, q. 3, dist. 1, c. 90), Theodorus cantuariensis archiepiscopus (a. 669-690) ita perhibet in paenitentiali suo : « Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, *ut graeci ;* quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota fere sancta ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam, ita dumtaxat ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, et hoc perfectorum est, et cum David dicamus : *delictum meum cognitum tibi feci et injustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti injustitiam peccati mei.* Sed tamen

apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra et oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque quae Deo soli fit, quod justorum est, peccata purgat; ea vero quae sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. »

B. Venerabilis Beda (an. 673-735) asserit nonnisi quattuor peccata, nempe haereticam pravitatem, superstitionem gentilem, judaicam perfidiam et schisma fraternum, confitenda esse sacerdotibus, cetera vero Deo. Nam libro V suorum commentariorum in Lucam, cap. XVII, v. 14, in haec Domini ad leprosos verba : « ite et ostendite vos sacerdoti : » Nullum, inquit, Dominus eorum quibus haec corporalia beneficia praestitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos; quia videlicet sacerdotium judaeorum figura erat sacerdotii futuri regalis quod est in ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi et veri principis sacerdotum. Et quisquis vel haeretica pravitate, vel superstitione gentili, vel judaica perfidia, vel etiam schismate fraterno, quasi vario colore per Christi gratiam caruerit, necesse est ad ecclesiam veniat, coloremque fidei verum, quem acceperit, ostendat. *Cetera* vero *vitia,* tamquam valetudinis, et quasi membrorum, animae atque sensuum, *per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit.* »

C. Synodus cabilonensis II, jussu Caroli magni a. 813 in Gallia celebrata, ita statuit canone suo 33°. « *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata,* quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam, *ita dumtaxat* ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra et cum David dicamus : *delictum meum cognitum tibi feci et injustitiam meam non abscondi; dixi adversum me injustitias meas, Domine, et tu remisisti impietatem peccati mei;* et secundum institutionem apostoli confiteamur alterutrum peccata nostra et oremus pro invicem ut salvemur. *Confessio itaque quae Deo fit, purgat peccata; ea vero quae sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata.* Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. »

Ex hoc canone non solummodo habetur principio saeculi IX sententiam de necessitate confessionis sacerdoti faciendae nondum fuisse universalem in ecclesia, sed ex eodem insuper elucet tunc temporis communiter putatum esse confessionem fieri sacerdoti non in ordine ad

obtinendam a Deo remissionem peccatorum, sed solummodo in ordine ad sciendum quaenam satisfactio pro peccatis commissis praestari debeat.

D. Alcuinus (736-804), epistula 172, et Haymo halberstatensis episcopus (a. 853), hom. 126 in evangelium dominicae XV^ae^ post pentecosten, apertissime testantur fuisse sua aetate qui peccata sua sacerdoti confiteri nollent, dicentes » sibi sufficere ut soli Deo peccata sua confiteantur, si tamen ab ipsis peccatis in reliquo cessent. »

E. Goffridus, vindocinensis abbas, qui ad annum Domini 1129 pervenit, testatur libro V, epistula 16, Gulielmum quemdam, suum olim, ut fatetur, magistrum, loco Bedae superius citato adductum fuisse ut sentiret « quod solummodo quattuor peccata confessione indigebant : cetera autem a Domino sine confessione sanabantur. »

F. Petrus Lombardus (a. 1167) in libro IV Sententiarum, dist. 17, proposita hac quaestione : « utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti, » haec statim subjicit : « Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine judicio sacerdotali et confessione ecclesiae. » Mox istorum fundamenta ex scriptura et patribus exponit. Tum : « his, inquit, auctoritatibus innituntur qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine sacerdote. Dicunt enim quod si quis timens detegere culpam suam apud homines ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, et ideo tacet homini et revelat Deo, consequitur veniam. Et licet ipse diversam opinionem sequatur, patet tamen ex hac ipsius disputatione ne tum quidem, i. e. paene jam vergente saeculo XII°, defuisse quibus videretur sola apud Deum confessio sine sacerdotis judicio ad obtinendam peccati remissionem satis esse. Istos enim Lombardus catholicos a se censeri eo satis testatur quod nulla eos haereseos nota adspergit, quod indubie non erat omissurus, si illius sententiae auctores pro non catholicis habuisset.

G. Gratianus, juris pontificii celeberrimus collector, Lombardi *σύγχρονος*, initio longissimi sui de paenitentia tractatus, in Decreto, parte II, causa 33, quaest. 3, dist. 1 ; ita quaerit : « Utrum sola cordis contritione et secreta satisfactione *absque oris confessione* quisquam possit Deo satisfacere. » Tum : « *Sunt enim,* inquit, *qui dicunt quemlibet criminis veniam sine confessione ecclesiae et sacerdotali judicio posse promereri.* » Mox istorum sententiam plurimis scripturae et veterum patrum dictis in consequentibus confirmat. Sed et oppositae opinionis, quae negat cuiquam remissionem sine vocali apud sacerdotem confessione contingere, firmamenta ex altera parte explicat ; perductaque hucusque

disputatione, ipse quidem nihil definit, sed rem totam lectoris arbitrio permittit. « Quibus, inquit, auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis et confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem horum potius adhaerendum sit, lectoris judicio reservatur. *Utraque enim fautores habet sapientes et religiosos viros.* »

H. Denique ante definitionem ab Innocentio papa III° in concilio lateranensi editam a. 1215, in opinione fuisse positum essetne necessario confessio peccatorum facienda sacerdoti, magno consensu asserunt s. Thomas, s. Bonaventura et s. Antoninus.

a) S. Thomas, in Sent. IV, d. 17, in expositione textus, in haec verba Magistri : quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio : « Magister, inquit, et Gratianus *hoc pro opinione ponunt.* Sed nunc post determinationem ecclesiae sub Innocentio III factam haeresis reputanda est. »

b) S. Bonaventura in Sent. IV, d. 17, part. II, in exposit. textus : « Dicendum est, inquit, quod si quis esset modo hujus opinionis, esset haereticus judicandus, quoniam in concilio generali hoc determinatum est sub Innocentio III. *Sed ante hanc determinationem hoc non erat haeresis,* quia ipsi non negabant clavium potestatem, sed negabant necessitatem, *et bene concedebant quod utile erat confiteri* et sacerdotes poterant absolvere. *Ideo Magister et Gratianus in decretis hoc referunt tamquam opinionem,* tamen uterque improbat hoc et determinat in contrarium. »

c) S. Antoninus, in Chronico, parte II, titulo 15, § 19 : « Postquam emanavit illa decretalis, *Omnis utriusque sexus* [ea autem est constitutio Innocentii III in concilio lateranensi] necesse est confiteri, si habet copiam et potest. *Tempore autem Joannis Cassiani erat in opinione talis materia, videlicet si est necessaria confessio fienda sacerdoti.* »

852. — **Respondetur** ad determinandum utrum institutum aliquod manaverit a revelatione divina necne, spectandum esse pro utranam parte stet traditio practica ecclesiae et consensus moraliter unanimis patrum, non vero rationem habendam esse dissensus paucorum, praesertim si sint ignobiles et innominati auctores.

Jam vero a) illud in re praesenti est perspicuum et ecclesiam suis canonibus in variis synodis particularibus et singulos pastores ecclesiae in suis concionibus et exhortationibus ad plebem semper *practice* inculcasse necessitatem confessionis vocalis sacerdoti faciendae pro omnibus iis qui post baptismum mortaliter lapsi essent. — Cum hoc porro stat b) quod ante solemnem definitionem ab ecclesia universali in concilio

lateranensi IV editam, citra haeresin potuerit *theoretice dubitari* utrum confessio vocalis sit necessaria ad consequendam remissionem peccatorum. Nempe c) illud nonnullis in praesenti re praebuit materiam dubitandi quod secundum doctrinam scripturae et patrum contritionem perfectam per se et necessario sequitur remissio peccatorum, non autem appareat cur necessarium sit peccata confiteri quae jam remissa sint, cum potestas clavium non sit concessa nisi ad faciendam remissionem peccatorum nec proinde ejus usui ullus videatur esse locus, ubi peccata jam remissa sunt. Ad quod accedebat d) quod nonnulli non pervidebant quomodo ex facultate a Christo apostolis facta remittendi peccata deduci queat Christum omnibus fidelibus lapsis imposuisse praeceptum usu passivo hujus facultatis sibi procurandi reconciliationem cum Deo. Ceterum e) si qui fuerint catholici qui saeculis IX et insequentibus, cum nondum definitio lateranensis prolata esset, necessitatem confessionis sacerdoti faciendae negaverint, ii sane fuerunt tum paucissimi, tum nullius nominis, uti patebit ex solutione singulorum quae in argumento adversariorum objecta sunt.

853. — *Ad 1^m^ dicitur,* verba quae a Burchardo, Ivone et Gratiano citantur, ac si essent deprompta ex paenitentiali Theodori cantuariensis, diu post mortem Theodori fuisse quibusdam hujus paenitentialis codicibus assuta, uti patet — tum a) ex eo quod ea verba desunt in vetustioribus ejusdem paenitentialis codicibus, v. g. in codice quem inspexit Usserus, in eo quem edidit Petit, etc. — tum maxime b) ex eo quod eadem verba repraesentant canonem 33^m^ concilii II^i^ cabilonensis nonnullis interpolationibus foedatum, quem canonem notum est tardius quam integro saeculo postquam e vivis excessisset Theodorus, a patribus cabilonensibus conditum esse. Res ita explicanda est. Adhuc diu post mortem Theodori ejus liber paenitentialis erat in omnium fere presbyterorum manibus, non solum in Anglia, sed etiam in Gallia et in Germania. Sicut autem usu venit circa eos libros qui praxi sunt destinati, unusquisque presbyter inserebat suo codici eos canones qui de re paenitentiali ab episcopis et synodis suae regionis condebantur. Et sic contigit ut in Gallia et Germania plerisque codicibus libri paenitentialis Theodori qui harum regionum presbyteris usui erant, adderetur saeculo IX° canon 33^us^ cabilonensis. Porro uno ex his codicibus usus est saeculo XI° Burchardus wormaciensis episcopus; hujus autem auctoritate in citandis praedictis verbis nisi sunt Ivo carnotensis et Gratianus. — Haec tamen verba « *ut Graeci,* » « *ut tota sancta ecclesia,* » « *et hoc perfectorum est,* » « *quod justorum est,* »

non exstant in canone cabilonensi; ideoque ea habenda sunt pro glossematibus quae ab imperito adnotatore in margine sui codicis apposita sunt quaeque inde in textum irrepserunt. Ceterum haec ipsa glossemata argumento sunt tempore quo textui addita sunt, quod non serius contingere potuit quam principio saeculi XI[i], nullos fuisse in partibus occidentis qui censerent non esse opus confessione sacerdoti facta ad impetrandam a Deo remissionem peccatorum. Quia videlicet nullos tales inter latinos cognoscebat, idcirco arbitratus est glossator in principio canonis cabilonensis significari sententiam graecorum, ut porro graecis talem sententiam affingeret, motus est fortassis verbis quibusdam Chrysostimi perverse intellectis.

854. — *Ad 2[m] dicitur,* testimonium ex venerabili Beda adductum sic esse intellegendum. Per leprosos qui secundum praeceptum Christi sacerdotibus se sistere debent, ponit Beda figurari omnes omnino qui peccato aliquo mortali se inquinaverint. Horum tamen peccatorum constituit duplicem esse differentiam. Quosdam videlicet ait vel per lapsum a fide vel per schisma se a corpore ecclesiae separasse, et hos ait publice in facie totius ecclesiae sua peccata confiteri debere et sic corpori ecclesiae restitui. Alios vero ait peccando minime ab unitate ecclesiae excidisse, et horum vitia ait Deum per seipsum interius in conscientia et intellectu sanare, non quod confessione sacerdoti secrete facta expiari non debeant, sed quod solemni receptione in ecclesiam non egeant. Hanc esse genuinam loci qui ex Beda objectus est, interpretationem patet — tum a) ex eo quod in suo libro paenitentiali necessitatem confitendi sacerdoti omnia et singula peccata mortalia Beda multimodis significat, — tum b) ex eo quod in suo commentario in Jacobi epistulam in haec hujus apostoli verba : *et si in peccatis sit, dimittentur ei,* ita commentatur : « Multi propter peccata in anima facta, infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Unde apostolus corinthiis qui corpus Domini percipere indigne soliti erant, ait : *ideo inter vos multi et infirmi et imbecilles sunt, et dormiunt multi* (I Cor. XI). Si ergo infirmi in peccatis sint, et haec presbyteris ecclesiae confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. *Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti. Unde recte subjungitur : confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* In hac autem sententia illa debet esse discretio ut cottidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur eorumque cottidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris leprae immunditiam juxta legem sacerdotii pandamus atque ad ejus

arbitrium, qualiter et quanto tempore jusserit, purificare curemus. »

855. — *In 3° quod objicitur,* movetur quaestio de duobus, nempe a) de sententia ipsorummet patrum cabilonensium et b) de auctoritate eorum quos patres isti aiunt sentire confessionem soli Deo faciendam esse.

Ad prius horum quod attinet, dicimus manifestum esse sententia patrum cabilonensium confessionem sacerdoti factam vel in re vel in voto esse necessariam ad consequendam remissionem peccatorum. Nam a) in ipsomet illo suo canone 33° ab adversariis citato ipsi sententiam ponentium Deo solummodo nos confiteri debere, probant quidem quantum ad hoc quod per eam ponitur habenti contritionem perfectam sua peccata a Deo remitti, priusquam ea sacerdoti confiteatur, at vero eamdem improbant quantum ad hoc quod per eam ponitur peccata quae a Deo propter habitam contritionem perfectam remissa fuerint, non esse postea in confessione sacerdoti aperienda. Insuper b) in canone suo 32° ipsi veluti noxium et perversum improbant morem eorum qui non plene sua peccata sacerdoti confitentur, h. e. qui confitentur quidem peccata oris et operis, non vero peccata cordis. « Sed et hoc, inquiunt, *emendatione indigere* perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore, et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut et ea confiteantur quae per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. » Quibus jactis fundamentis, mox instituunt « ut peccatorum suorum confessor instruatur, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut cogitatione aut (quod est gravius) opere, eorum instinctu peccavit. »

Nec verum est in canone suo 33° significari a patribus cabilonensibus confessionem peccatorum quae sacerdoti fiat, non ordinari ad recipiendam a Deo remissionem peccatorum, sed solummodo ad sciendum qualisnam satisfactio pro peccatis praestanda sit. Quando videlicet ipsi inter se opponunt confessionem Deo factam « tamquam purgantem peccata, » et confessionem sacerdoti factam « tamquam docentem qualiter purgentur peccata, » haec oppositio ex eorum mente non est *exclusiva,* sed *per excessum.* Patet id ex eo quod rationem sui dicti reddentes, diserte asserunt remissionem peccatorum aliquando quidem contingere sine confessione sacerdoti facta, aliquando vero non

nisi mediante tali confessione. « Deus, inquiunt, plerumque hanc (h. e. salutem et sanitatem) praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque *medicorum operatione.* »

Quod attinet ad posterius duorum praedictorum, dicendum est eos quos significant patres cabilonenses sensisse peccata Deo solummodo confitenda esse, fuisse homines perpaucos et nullius auctoritatis. Patet id ex eo quod non est adducere ex saeculo IX vel ex saeculis antecedentibus scriptorem catholicum alicujus nominis qui praedictam sententiam tenuerit.

Ceterum haud improbabile est patres cabilonenses voluisse significare inter duas illas sententias quae ab ipsis principio canonis sui 33[i] recitantur, discrimen non esse verum, sed solummodo apparens. Ab auctoribus videlicet primae sententiae solummodo intendi dici aliquem per contritionem perfectam posse adipisci remissionem suorum peccatorum, priusquam ea sacerdoti confiteatur. Hoc porro non intendi negari ab auctoribus secundae sententiae, quia, quando hi dicunt confessionem quae sacerdoti fiat, esse necessariam ad ineundam reconciliationem cum Deo, intendant loqui de confessione quae fiat vel in re vel in voto dumtaxat.

856. — *Ad 4[m] dicitur,* tam ab Alcuino quam ab Haymone halberstadensi opinionem eorum qui dicebant non oportere peccata in confessione sacerdoti aperiri, traduci tamquam errorem intolerabilem. Itemque tam Alcuinus quam Haymo significat eos qui talem opinionem fovebant, fuisse homines ex imperito vulgo. Quae ut lectori plene perspecta sint, verba utriusque auctoris hic subjicimus.

a) *Alcuinus*, ep. 112 (olim 71) *ad fratres in provincia gothorum :* « Nos vestrae sanctitati aliquantulas piae admonitionis litterulas dirigere curavimus, *propter quasdam consuetudines* quae vestris inoluisse feruntur regionibus. *Dicitur vero neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare*, quos a Deo Christo cum sanctis apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus. Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt aegroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus exspectant, quanto magis vulnera animae spiritualis medici solatia deposcunt... Quid ad haec dicitis quae in eadem epistula leguntur : confitemini alterutrum peccata vestra (Jac. V, 16) ut deleantur delicta vestra ? Quid est quod dicit : alterutrum ? nisi homo homini, reus judici, aegrotus medico... Nonne in sacro baptismate sacerdotibus Christi nostrae fidei confessionem et abrenuntiationem satanae dare debemus.

et sic sacerdotali ministerio, divina operante gratia, ab omnibus ablui peccatis ? Cur etiam et in secundo paenitentiae baptismate per confessionem humilitatis nostrae, ab omnibus post primum baptisma peractis, eadem divina miserante gratia, sacerdotali similiter auxilio non debemus absolvi peccatis?.. Si peccata sacerdotibus non sunt prodenda, quare in sacramentario reconciliationis orationes scriptae sunt ? Quomodo sacerdos reconciliat quem peccare non novit ?... Inaniter itaque posita sunt in ecclesiis remedia et synodali auctoritate litteris mandata contra omnia peccatorum nostrorum vulnera,... si non his qui in ecclesia Christi statuti sunt ad sananda putrida scelerum nostrorum ulcera, revelantur. »

« Haec cogitate, carissimi fratres, et in qualicumque harum trium mortium genere si quis jaceat, citius ad confessionis probatissima medicamina confugiat, salutifero paenitentiae se abluat medicamine, ut non ad judicium condemnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi... *Sequimini vestigia sanctorum patrum et nolite in catholicae fidei religionem novas inducere sectas.* »

b) Haymo episcopus halberstadensis, homilia 126 dominicae 15ae post pentecosten : « *Qui locus eorum opinionem destruit,* qui erubescentes peccata sua sacerdotibus confiteri, quoddam occasionis ingenium invenerunt, dicentes sibi sufficere ut soli Deo peccata sua confiteantur, si tamen ab ipsis peccatis in reliquis cessent. »

857. — *Ad 5m dicitur,* Gulielmo illi non ex praesenti ecclesiae consuetudine, neque ex scriptis veterum patrum, sed ex loco illo Bedae supra objecto obortam esse opinionem non nisi peccata quae contra fidem publice admissa fuerint, sacerdoti confitenda esse. Nec vero hanc opinionem ipse firmiter tenebat, sed de ea consulit suum olim discipulum Goffridum vindocinensem. Is vero non solum lucidissime exponit verba Bedae, quorum falsa intellegentia Gulielmo praebuerant occasionem errandi, sed et asseverantissime inculcat opinionem illam Gulielmi pugnare cum doctrina religionis christianae. « Credens, inquit in epistula supra citata, nisi fallimur, proposuisti quod solummodo quattuor peccata confessione indigebant, cetera autem a Domino sine confessione sanabantur. Quod te invenisse asseris in expositione Bedae de evangelio, ubi decem leprosi sanati a Domino memorantur. *Sed hoc ita intellegendum minime censemus; et juxta fidem christianam sic intellegere nec possumus nec debemus.* Determinanda est enim ista sententia sapienter ut intellegi possit utiliter, *et fidei nostrae integritas conservetur.* Illa

utique quattuor peccata, error videlicet gentilis, schisma fraternum, haeretica pravitas et judaica perfidia, in quantum praevalent, universalis ecclesiae castitatem commaculant. Unde necesse est ut quicumque istis peccatis, vel uno ex ipsis polluuntur, non jam soli sacerdoti, sicut in ceteris agitur, sed universae ecclesiae confiteantur, et sic ad ejus unitatem redeant, cujus fidem antea impugnabant. Justum est enim ut qui alios diabolica praesumptione infidelitatem docent, eos etiam publica satisfactione in fide confirment, et quibus ante fuerunt occasio et exemplum publicae perditionis, forma et exemplum fiant publicae reconciliationis. Cetera vero vitia, sicut dicis, per semetipsum Dominus sanat et corrigit. Licet enim omnia quaecumque sanantur, Dominus sanet et corrigat, *quaedam tamen per semetipsum sanare et corrigere perhibetur, ea videlicet quae sibi privata in confessione revelantur, ut sanentur. Sibi dico, quia illi qui in ejus loco esse dignoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confessione indigere et paenitentia.* Et quamvis quaedam ex ipsis per publicam paenitentiam puniri videantur; nulla tamen alia publica confessione opus habent, nisi ea quae communem ecclesiae fidem violare conantur. »

858. — *Ad 6m dicitur,* Magistrum loco citato dicendo « *quibusdam* visum esse sufficere, si soli Deo fiat confessio sine judicio sacerdotali et confessione ecclesiae, » probabiliter in mente habuisse gothos illos contra quos scripsit Alcuinus, Gulielmum illum quem confutavit Goffridus, et eos hujus sententiae assertores ad quos respexit synodus cabilonensis II in canone suo 33°. Sunt autem hi paucissimi et nullius auctoritatis homines, uti patet ex dictis. Ceterum ipse Magister oppositam sententiam propugnat, et ubi multis eam probavit, ita colligit : « Ex his aliisque pluribus *indubitanter ostenditur,* oportere Deo primum, et deinde sacerdoti offerri confessionem; *nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.* »

859. — *Ad 7m dicitur,* sententiam de necessitate confessionis sacramentalis ad salutem saeculo XI, quo floruit Gratianus, ut dogma catholicum propugnatam fuisse ab omnibus scriptoribus ecclesiasticis, ac nominatim ab Anselmo cantuariensi archiepiscopo († 1109), Yvone carnotensi († 1115), Goffrido vindocinensi († 1130), Ruperto tuitiensi, Hugone a s. Victore († 1140), s. Bernardo, Joanne sarisberiensi, carnotensi episcopo († 1160), Ricardo a s. Victore, Petro blesensi (1160-1206) et Magistro. Ex quo manifesto colligitur *sapientes illos et religiosos viros* quos veluti contrariae sententiae fautores laudat Gratianus, vel fictitios esse vel obscuri admodum nominis et numero paucis-

simos, ut Gulielmum illum, Goffridi vindocinensis quondam magistrum, et nonnullos forsan ejus similes. Sed verisimilius est nullos prorsus fuisse, sed Gratianum erronee existimasse graecos suae aetatis fuisse in tali sententia. Statim enim post haec verba: « utraque enim fautores habet sapientes et religiosos viros, » quasi confirmaturus hanc suam assertionem, sic pergit dicere: « *Unde* Theodorus, cantuariensis archiepiscopus, ait in paenitentiali suo: quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, *ut graeci.* Quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, *ut tota fere sancta ecclesia.* Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit ecclesiam, » etc. Causam ergo errandi Gratiano praebuit quod in collectionibus Ivonis et Burchardi, quibus maxime usus est ad suum decretum consarcinandum, invenit citatum sub nomine Theodori cantuariensis canonem 33^{m} patrum cabilonensium eumdemque non purum, sed foedatum spuriis hisce additamentis : *ut graeci, ut tota fere sancta ecclesia.*

860. — *Ad reliqua* quae ex s. Thoma et s. Antonino afferuntur, *respondetur* inde solummodo haberi ante concilium lateranense IV dogma de necessitate confessionis auricularis nondum fuisse solemni definitione explicite ab ecclesia definitum, quod sane non est in animo negare ([1]).

([1]) Hugo a s. Victore, qui anno 1140 obiit annis undecim ante Gratianum, in suo opere De sacramentis fidei, libro II, parte 14, capite 1, asserit Christum, instituendo sacramentum paenitentiae hisce verbis: « accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata » etc., instituisse quidem confessionem sacramentalem peccatorum post baptismum commissorum, non tamen praeceptum hujus confessionis faciendae hominibus dedisse. Sive, quod idem est, docet ibi Christum, conferendo apostolis potestatem clavium, instituisse quidem ut actu hujus potestatis non remitterentur peccata nisi iis qui ea prius sacerdoti confessi essent; non tamen ipsum praecepisse ut hoc remedio peccatorum quod consistit in usu passivo potestatis clavium, homines revera uterentur. Sed tale praeceptum ait ab apostolis primum hominibus intimatum esse. Non tamen, cum talem doctrinam tradit Hugo, intendit negare praeceptum confessionis esse institutionis divinae. Contra, aperte insinuat nonnisi inspirante Spiritu sancto, apostolos illud praeceptum hominibus intimasse, et per consequens ponit apostolos esse quidem hujus praecepti promulgatores, non tamen eos esse ejusdem conditores. Patet id ex eo quod cum praeceptum confessionis repetiisset ex hisce verbis epistulae Jacobi, V, 16 : « confitemini ergo alterutrum peccata vestra » etc., ea verba jam exponens, asserit impossibile esse aliquem baptizatum salvari, nisi sua peccata confiteatur. Hoc quippe ejus assertum falsum esset, si praeceptum confitendi descenderet ex traditione humano-apostolica, quia tunc, sicuti praeceptum jejunii quadragesimalis et alia ejusmodi instituta apostolica, ita et praeceptum confitendi ab ecclesia aboleri posset. En verba Hugonis loco citato : « Propter hoc Deus factus est homo... ut in una eademque persona et suum genus homo inveniret cui fiducialiter infirmitatem suam revelaret, et supra hominem Deum credens, de accepta ab illo remissione peccatorum non diffideret. Deinde ut dispensationis gratia largius multiplicaretur, Deus homo homines, qui puri homines erant, participes fecit potestatis suae ut officium ejus implerent, *paenitentium confessionem suscipiendo,* et potestatem ejus exercerent, paenitentibus et confitentibus peccata remittendo. Accipite, inquit, Spiritum

861. — **Objiciunt** 6° : Etiam post innocentialem decretalem tam parum confirmata erat sententia de praecepto confessionis divinitus dato, ut necessitatem confessionis plures scriptores catholici aperte rejicerent. Sic v. g. a) Joannes Semeca, Gratiani interpres, vulgo dictus glossator, commentans in haec Gratiani verba : « alii e contra testantur » : Ab hoc loco, inquit, usque ad sectionem, » his auctoritatibus » pro alia parte allegat, quod scilicet adulto peccatum non dimittitur sine oris confessione ; *quod tamen FALSUM EST.* »

b) Petrus etiam oxomiensis, theologiae in salmanticensi Hispaniae universitate professor, libellum de confessione edidit, in quo has propositiones propugnabat : 1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem *sine ordine ad claves.* — 2. Quod confessio de peccatis in specie fuerit ex aliquo statuto universalis ecclesiae, *non de jure divino.* — 3. Quod *pravae cogitationes confiteri non debent,* sed sola displicentia delentur, *sine ordine ad claves.*

---

sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt. *Ergo Christus homo discipulis suis vicem ejus agentibus in terra potestatem dedit confitentium peccata dimittendi.* »

« Sed dicis fortassis : *Quare non similiter Christus praeceptum dedit hominibus peccata sua confitendi, sicut discipulis potestatem dedit confitentium peccata dimittendi ?* Audi quare. Voluit Christus ut a teipso surgeres, ut non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua. Idcirco, quod ad se pertinuit, officium suum discipulis peragendum injunxit, ut medicorum more aegros ad se venientes exciperent et sanarent. Medicis ergo dixit ut sanarent, sed infirmis non dixit ut ad medicos curandi venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod aegri libenter salutem quaererent, et se curandos offerrent, si medicos invenirent. Propterea solos medicos admonuit. Infirmum enim ipse morbus suus sufficienter admonet, neque opus praecepto habet, si dolet. Tamen ipsi medici postea, quia neglegentes in curatione sua aegrotos invenerunt, eos ad salutem suam quaerendam et admonitione sua excitaverunt et praecepto attraxerunt. Confitemini, inquit apostolus Jacobus, alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini. Quid est alterutrum ? Alter alteri, homo homini. Non solum homo Deo, sicut verus ille confessor ait : dixi, confitebor, etc., sed homini propter Deum. Plus enim facit qui servo humiliatur propter Dominum quam qui ipsi Domino humiliatur. Propterea : confitemini alterutrum peccata vestra. Quid est alterutrum ? Non tantum unusquisque unicuique, sed alterutrum, hoc est, inter vos homines hominibus, oves pastoribus, subjecti praelatis, ii qui peccata habent iis qui peccata dimittere potestatem habent... Quid est confitemini ut salvemini ? *Hoc est, non salvamini, nisi confiteamini.* Hoc fortasse tu audire noluisti, quia latebras quaeris et abscondis scelera tua ut non justificeris. Propterea fortassis conaris ad aliud [in alium sensum] dictum apostoli intorquere, ut intellegatur confitentibus quidem promisisse salvationem, tamen non confitentibus non negasse justificationem. Audi ergo. Augustinus dicit : Non potest quis justificari a peccato, nisi confessus fuerit ante peccatum. »

Etiam post editam constitutionem Innocentii papae III in concilio lateranensi IV eamdem doctrinam saeculo XIII tuiti sunt Alexander alensis (in Summae theologiae parte IV, q. 18, membro 3, a. 2) et s. Bonaventura (in Sent. IV, d. 17, p. 2, a. 1, q. 3). Uterque videlicet hic auctor, sicut Hugo a s. Victore, cujus verba citant et cujus rationibus pugnant, asserit Christum apud Jo. XX instituisse quidem ut apostoli per potestatem clavium ibi ipsis concreditam non absolverent a suis peccatis nisi eos qui prius ipsis

862. — **Respondetur** idem quod antea, ridiculum videlicet esse ex dissensu paucorum arguere aliquod institutum non esse juris divini vel ut tale ab ecclesia propositum non fuisse. Ceterum speciatim respondendo ad singula,

Ad 1m dicitur glossatorem semper habitum esse ut catholicum, quia quod scripsit: « falsum esse adulto peccatum non dimitti sine oris confessione, » ipsi potius excidit ex imperitia in rebus theologicis quam ab ipso pertinaciter sit propugnatum et quia praeterea propositio ista necessitatem confessionis in voto diserte non excludit.

Ad 2m dicitur propositiones illas quas a 1478 Petrus oxomiensis protulit et scripto defendit, anno insequente (1479) damnatas esse ab Alphonso Carillo, toletano archiepiscopo, ex theologorum et jurisconsultorum Compluti congregatorum sententia, illud porro ejus judicium a Sixto IV pontifice maximo confirmatum esse.

---

haec sua peccata confessi essent, non tamen eum dedisse praeceptum hominibus baptizatis ut ad apostolos remissionem suorum peccatorum impetrandi causa venirent, et per consequens ipsum non dedisse hominibus praeceptum confitendi. Sed tale praeceptum aiunt datum esse ab apostolis. — Proprie tamen loquendo, hoc praeceptum non esse datum nisi a Deo sive a Spiritu sancto revelante, et sic apostolos fuisse quidem promulgatores hujus praecepti, non tamen ejus auctores, satis intellegendum dat Alensis dicendo apostolos « *de divino consilio* » illud praeceptum edidisse. Majorem difficultatem facit Bonaventura, qui loco citato videtur asserere apostolos fuisse primos auctores praecepti confitendi. « Confessio, inquit, fuit a Domino insinuata, *ab apostolis instituta*, ab episcopo hierosolymitano, scilicet Jacobo, promulgata. » Et paulo inferius: « Credo, inquit, quod [Christus] non per se instituit, et si dicatur instituisse, hoc est intellegendum insinuando et auctoritatem dando. » Quia tamen in articulo 2° mox sequente, qq. 1 et 2, supponit praeceptum confitendi latum ab apostolis, potestate ecclesiastica aboleri non posse, idcirco dicendum est illud praeceptum ex ejus mente esse juris divini et per consequens ipsum minus proprie loqui, quando ait confessionem, quantum ad ejus obligationem, ab apostolis institutam esse.

Etiam insecutis temporibus plures scholastici asseruerunt verbis quibus Christus instituit sacramentum paenitentiae, non contineri implicite praeceptum confitendi ministris ecclesiae peccata quae quis post baptismum commiserit. Ita v. g. Scotus (in IV, d. 17, q. unica), Gabriel, auctor summae angelicae (Clavasinus), Panormitanus et Cajetanus. Omnes tamen hi auctores diserte asserunt praeceptum confessionis esse divinum, illudque esse datum ab ipso Christo, licet de eo non satis constet ex scripturis divinis, sed solummodo ex traditione. Sic v. g. Panormitanus, de paenit. et remiss., c. 12, in V Decretali: « Multum mihi placet illa opinio [ponens de praecepto confessionis divinitus dato non constare nisi ex traditione], quia non est aliqua auctoritas aperta [in scripturis], quae innuat Deum seu Christum aperte instituisse confessionem fiendam sacerdoti. » Clavasinus, Summae angelicae p. 1, verbo: *Confessio*, 2: « Sed verior ratio qua probatur quod est de jure divino, est quod non est credendum quod ecclesia et apostoli istud jugum imposuissent hominibus tam periculosum, nisi Christus verbaliter apostolis istud praeceptum dedisset, sicut de aliis sacramentis, excepto baptismate, de quibus non patet quando et quomodo a Christo expresse fuerint instituta. » Cajetanus, in Jo. XX, 23: « Si demum objicis Dominum non praecipere hic ut quaeramus remissionem peccatorum a ministris, sed dare ministris suis facultatem remittendi vel retinendi peccata confitentibus illa; fateor institutionem sacramenti paenitentiae hic haberi, non praeceptum. »

863. — **Objiciunt 7°** : Si christianis septem primorum saeculorum persuasum fuisset confessionem auricularem jure divino necessariam esse ad impetrandam remissionem peccatorum, fieri non potest quin hujus confessionis usus fuisset apud eos nobilissimus et celebratissimus atque adeo inter omnes actus religiosos eorum vitae eminuisset. Nullusque eorum, quando in supremis vitae versabatur, omisisset hanc suorum peccatorum confessionem et avidissime expetere et diligentissime factitare, sacerdotesque partem longe praecipuam officii sui pastoralis censuissent consistere in labore crebo audiendi confessiones fidelium. Unde et in suis concionibus atque homiliis populum christianum quam frequentissime exhortati essent ut suas noxas in tribunali paenitentiae confiterentur. Ipsique sacerdotes, speciali ad id instituta disciplina, edocti fuissent munus illud audiendi confessiones rite obire. Horumque omnium frequens occurreret mentio in iis septem primorum saeculorum monumentis in quibus christianorum qui tunc erant, vitae, mortes, res gestae, mores, officia atque actus religiosi minutatim describuntur. At vero nihil horum est deprehendere in veris antiquitatis monumentis. Et eatenus omnimoda cernitur oppositio inter mores ecclesiae latinae recentioris et mores veterum christianorum.

Nempe a) latini recentiores, cum vel coetuum vel fidelium suae communioni addictorum actus religiosos describunt, nunquam praetermittunt verba facere de confessione peccatorum. Et si quem ut virum sanctum et religiosum commendare velint, imprimis notant ipsum solitum esse frequenter sua peccata confiteri. Contra, quorum vitam vel religionem insigniter corruptam esse significant, eos hac maxime nota describunt quod non confiteantur. — At vero in innumeris illis locis in quibus apud veteres scriptores ecclesiasticos enumerantur officia et actus christianorum, nulla uspiam auricularis illius confessionis mentio occurrit. Justinus in Apologia ad imperatorem et senatum romanum omnia christianorum officia omnesque eorum actus religiosos diligenter exsequitur, de confessione tamen peccatorum penitus silet. Tertullianus in suo Apologetico profitetur « se negotia christianae factionis editurum, » enumeratque inde sacros coetus, communes ad Deum preces, divinarum litterarum commemorationem et ex iis admonitionem, instructionem, consolationem ; de confessione vero ne verbum quidem habet. Tota Eusebii historia est perpetua quaedam actuum religiosorum commemoratio, in ea tamen nunquam vel ecclesia aliqua tota vel singulares aliqui fideles commendantur a praxi frequentatae confessionis. Clemens papa in sua epistula describit

ecclesiam corinthiorum, qualis erat antequam schismate scissa erat, porro inter tam multa decora quibus hanc ecclesiam celebrat, confessionis mentio plane nulla occurrit.

b) Latini recentiores tanti momenti esse putant ut qui letali morbo decumbunt, prius quam ex hoc saeculo excedant, confessione suorum peccatorum expientur, ut Innocentius papa III in concilio lateranensi, cap. 22, omnibus medicis districte praeceperit ut quotiens ad infirmos vocantur, ipsos ante omnia moneant et inducant quod medicos advocent animorum. Unde etiam ipsorum scriptores nunquam omittunt memorare hoc officium esse praestitum ab iis viris vel feminis sanctitate insignibus, quorum res in vita et morte gestas vel ex professo narrant vel obiter tantum perstringunt. — At vero, licet in antiquitatis christianae monumentis loca sint innumerabilia in quibus fidelium mortes describuntur, nullus tamen memoratur in exitu vitae apud sacerdotem confessus esse. Pontius diaconus, in vita s. Cypriani, Caecilii carthaginiensis presbyteri mortem describit, confessionem silet. Helenae Augustae, Constantini matris et feminae sanctissimae, obitum narrat Eusebius, l. III De vita Constantini, c. 46; testamentum ab ea conditum, non confessionem ab ea editam refert. Athanasius Antonium monachorum parentem ; Athanasium Gregorius nazianzenus, or. 21, Basilium idem, orat. 43, Gregorium patrem idem, orat. 18, Caesarium fratrem idem, orat. 7, Gorgoniam sororem idem, orat. 8 ; Gregorius nyssenus Gregorium neocaesariensem, Ephremum, sororem Macrinam ; Satyrum fratrem et Theodosium imperatorem Ambrosius ; Martinum turonensem Sulpitius Severus ; Nepotianum Hieronymus, ep. 60, Marcellam, ep. 127, Paulam, ep. 108, Paulum et Hilarionem eremitas, in eorum vitis ; Monicam matrem Augustinus, l. IX Confess., cc. 11 et 12 ; Augustinum Possidius, lib. de ejus vita, c. 31 ; Honoratum arelatensem episcopum Hilarius ejus successor ; Hilarium ipsum Honoratus massiliensis ; Germanum antisiodorensem Constantius lugdunensis presbyter; Fulgentium ruspensem Ferrandus ; Ambrosium Paulinus ; Benedictum Gregorius magnus ; alii apud Surium antiqui scriptores viros et feminas insigni sanctitate VII et VIII saeculis ; Beda, in Historia ecclesiastica gentis anglorum, Ceaddam britannum episcopum, Hildam abbatissam aliosque eximiae pietatis viros ; Carolum magnum Eginhardus in ejus vita, sancte obiisse memorant, eorumque dicta vel facta in illo tempore minutatim et accurate recensent, confessos in supremis non scribunt.

c) Apud latinos recentiores inter praecipua pastoralis officii munera numeratur munus audiendi confessiones, illudque munus ab iis eorum

ministris qui prae ceteris laude inclaruerunt, sedulo et summo studio praestitum esse, in rerum ab ipsis gestarum actis cernitur. — At nihil simile uspiam reperitur in veris antiquitatis monumentis. In constitutionibus apostolicis, quae quarto aut quinto saeculo sunt editae, enumerantur episcopis omnes sacerdotalis muneris partes, omnia officia, omnesque functiones quae in ecclesia eo tempore solemnes erant, nulla tamen in iis reperitur confessionarii istius officii mentio. Nec in vita sancti Cypriani a Pontio diacono scripta memoratur sanctus praesul ullas fidelium confessiones audivisse. Sed neque a confessionali munere et labore Gregorium thaumaturgum et Ephremum Nyssenus, Athanasium et Basilium Nazianzenus, Ambrosium Paulinus, Martinum Sulpitius, Chrysostomum Palladius et Theodoretus, Augustinum Possidius, Honoratum arelatensem Hilarius, Germanum antisiodorensem Constantius, Fulgentium ruspensem Ferrandus, nec alios alii veteris ecclesiae vel episcopos vel presbyteros commendarunt.

d) Modo latini sacerdotes in suis concionibus ad populum nihil frequentius crepant quam necessitatem omnia peccata apud sacerdotem confitendi. — At nihil tale occurrit in homiliis Chrysostomi, Augustini, Caesarii arelatensis et aliorum veterum. Nam si quando hi commendent confessionem, ipsis est sermo de confessione quae soli fit Deo vel de ea quae ordinatur ad paenitentiam publicam.

e) Apud latinos recentiores officium illud pastoribus impositum audiendi fidelium confessiones, causa fuit cur ad eos in hoc suo officio rite instituendos ederentur tam innumerabilia volumina casuum conscientiae ut sub eorum mole paene orbis fatiscat. — At vero nihil de hoc genere librorum occurrit apud christianos septem primorum saeculorum, tametsi apud eos non deessent rerum divinarum tractatores quibus nec ingenium nec voluntas deesset tractandi res regendo populo fideli necessarias.

864. — **Respondetur** generatim, argumenta negativa nullius esse ponderis, quando ex adverso stant argumenta positiva, qualia plura a nobis in re praesenti ex monumentis patrum adducta sunt. Hinc *ex silentio* antiquorum scriptorum ecclesiasticorum iis in locis ad quos protestantes in suo argumento respiciunt, ad summum concludi posset confessionem auricularem secreto sacerdoti factam, fuisse in ecclesia primorum saeculorum usus minus frequentis quam in ecclesia insequentis temporis. Hujus autem plures rationes afferri possunt, desumptae — tum a) ex eo quod in primaeva ecclesia plures tarde baptismum recipiebant, eo videlicet tempore quo jam omnino se ad

sanctimoniam vitae christianae colendam conferebant, unde et rariores erant qui post baptismum rursum se peccatis gravibus inquinabant, — tum b) quod in antiqua ecclesia non vigebat consuetudo confitendi peccata venialia vel peccata jam semel confessione expiata. — Adde c) quod, uti significat Pacianus in sua paraenesi ad paenitentiam, in antiqua ecclesia neophytis, h. e. iis qui recens baptizati fuerant, non statim tradebatur notitia remedii peccati quod situm est in sacramento paenitentiae, ne videlicet ex tali notitia occasionem sumerent recidendi in pristina sua peccata ([1]). — Adde d) quod plura opera veterum scriptorum ecclesiasticorum sunt conscripta non ad eruditionem fidelium, sed vel ad impugnationem gentilium vel ad instructionem catechumenorum, in cujusmodi operibus, uti per se manifestum est, minus opportuna se offerebat occasio loquendi de usu et frequentatione sacramenti paenitentiae. Ceterum in argumento adversariorum multa assumuntur quae sunt falsissima, uti patebit ex responsione quam jam singulis appositurі sumus.

865. — *Ad 1^m dicitur,* inter actus religiosos eorum fidelium qui post baptismum lapsi essent, recenseri quam frequentissime a veteribus confessionem specificam omnium peccatorum mortalium, etiam occultorum et internorum, uti probatum dedimus ex testimoniis Cypriani, Origenis, Augustini, Aphraatis, Sozomeni, Leonis I et aliorum. Non tamen hanc confessionem recenseri inter actus religiosos omnium omnino fidelium, etiam sanctiorum, eo quod tunc temporis nondum universim invaluerat consuetudo peccata venialia confitendi; sed ejusmodi peccata expungebantur oratione, eleemosynis, jejuniis aliisque piis operibus, uti persaepe indicat sanctus Augustinus, v. g. quando loquitur de triplici actione paenitentiae.

Ceterum confessionem auricularem non fuisse in prisca ecclesia universaliter ab omnibus fidelibus frequentatam neutiquam deducitur ex testimoniis quae huc allegat Dallaeus. Nam a) Justino in utraque sua apologia et Tertulliano in suo Apologetico non est sermo nisi de iis actibus religiosis quibus vel coaptabantur homines in coetum christianorum (susceptione baptismi), vel communiter et *quasi socialiter*

([1]) Exin etiam probabiliter ratio afferri potest cur antiqui quidam auctores, uti Hermas, in Pastore, Tertullianus, in libro De paenitentia, et alii, ita loquantur ac si post baptismum nonnisi semel pateret locus ad paenitentiam. Loquuntur videlicet de paenitentia publica quae in omnium oculos insiliebat, nolentes simul prodere, iis qui post paenitentiam susceptam denuo peccaverint, adhuc patere viam ad susceptionem sacramenti paenitentiae.

in synaxibus sive conventibus diei dominicae vacabant. Patet id ex eo quod cum christiani horrendorum flagitiorum, v. g. infanticidii et promiscuae libidinis in suis synaxibus incusabantur, ad scopum horum auctorum solummodo intererat exponere ea quae in synaxibus a christianis quasi communiter fiebant. Non ergo erat cur praedicti auctores commemorarent confessionem auricularem secreto factam, de qua patet eam ad praedictos actus non pertinere. — b) Scopus Eusebii historiam ecclesiasticam scribentis non est exponere singulos ritus religiosos christianorum, sed enarrare quaenam in singulis ecclesiis fuerint successiones episcoporum, quaenam enatae sint sive haereses, sive schismata, sive notabiliores controversiae, quasnam persecutiones ecclesia sit passa, quinam scriptores eam nobilitaverint et quaenam fuerint alia eventa magis memorabilia. — c) Clemens in sua epistula, describens statum ecclesiae corinthiorum, qualis fuerat antequam schismate foedaretur, laudat corinthios ab iis actibus qui opponuntur schismati, non vero a quibusvis ritibus religiosis ab iisdem celebratis ; proindeque ratio ei deerat loquendi de confessione auriculari. Nec vero corinthii communiter laudari poterant a facto talis confessionis, quae non instituenda erat nisi ab iis qui post baptismum mortaliter peccassent. Denique talis confessio, utpote supponens peccatum, non praebebat satis congruam materiam laudis.

866. — *Ad 2^m^ dicitur,* non minus in priscae ecclesiae monumentis quam in libris praesentis ecclesiae gesta continentibus memorari fideles qui gravis peccati sibi conscii essent, quando jam in supremis versabantur, confessionem et avide expetivisse et diligenter usurpasse ; ad hoc tamen significandum adhiberi in veteribus illis monumentis formulas verborum diversas ab iis qui in recentiorum catholicorum libris occurrunt, quia in prisca ecclesia non idem obtinebat usus loquendi de sacramento paenitentiae atque is qui in praesenti ecclesia obtinet. Nempe, uti cap. II invictis argumentis stabilivimus, in vetere ecclesia tam absolutio sacramentalis quam confessio peccatorum quae ei praemittenda erat, communiter significabatur dicendo *alicui esse datam actionem paenitentiae, eum suscepisse actionem paenitentiae, ei esse datum remedium paenitentiae, ei datam esse paenitentiam, ei subventum esse* [remedio paenitentiae]. Proindeque, quotienscumque in veteribus monumentis significatur in prisca ecclesia moris fuisse ut peccatoribus qui in discrimine vitae positi essent, daretur actio paenitentiae vel paenitentia vel remedium paenitentiae vel ut ei subveniretur [remedio paenitentiae], totiens etiam in iisdem significatur in eadem prisca ecclesia moris

fuisse ut ii fideles qui peccati alicujus mortalis sibi conscii essent, instante periculo mortis, sacramentaliter confiterentur. Et sic consuetudinis in articulo mortis confitendi ab eis usurpari solitae qui peccati gravis sibi conscii essent, testes veteris ecclesiae citari possunt numerosissimi simul et locupletissimi, nempe a) clerus romanus in epist. ad clerum carthaginiensem et in altera epistula ad Cyprianum ; b) Cyprianus, in pluribus suis epistulis ; c) Augustinus, in ep. 228 ad Honoratum; d) Concilium nicaenum, in canone suo 13° ; e) Siricius papa, in epistula ad Himerium ; f) Innocentius papa I, in epistula ad Exsuperium ; g) Caelestinus papa I, in epistula ad episcopos per viennensem et narbonensem provinciam constitutos ; h) concilium arausicanum I, cann. 3 et 12 ; i) concilium carthaginiense IV, can. 76 ; j) Leo papa I etc. etc..

Quando vero hanc in extremis confitendi consuetudinem a more priscae ecclesiae abfuisse Dallaeus ait ex eo efficaciter concludi quod nulli sancti viri septem primorum saeculorum memorantur, instante jam hora sui exitus, sacramentaliter confessi esse, ipse manifesto committit fallaciam elenchi.

Quando enim ambigitur inter nos et adversarios utrum praeceptum confessionis sit institutionis divinae, non est quaestio nisi de confessione peccatorum mortalium. Jam vero sancti illi viri quorum prolixum catalogum texit Dallaeus, non habebant peccata mortalia quae in hora mortis suae confiterentur. Omnes enim vel saltem eorum plerique innocentiam baptismalem usque ad horam mortis illibatam servaverant. Hinc ex eo quod in supremis vitae ipsi confessi non sunt, deduci solummodo potest in vetere ecclesia nondum fuisse in usu positum ut peccata etiam venialia in confessione declararentur. Quod tamen ipsum non est ita facile concedendum, neque certe id satis efficaciter probatur ex eo quod de confessione a sanctis illis viris in articulo mortis instituta silent eorum historici vel encomiastae. Quippe a) in veteribus vitis vel elogiis sanctorum, quae perbreves sunt, non afferuntur communia, sed propria et singularia. Praeterquam quod b), quando agitur de obitione plurium rituum religiosorum quorum unus non solebat peragi, nisi aliis vel praecedentibus vel concomitantibus, veteres illi qui brevitati student, contenti sunt memorare observatum esse eum ritum religiosum ad quem ceteri ordinabantur. Et sic sanctos illos viros in supremis suae vitae confessos esse datur intellegi ex eo ipso quod plerique eorum memorantur paulo ante suum exitum viatico eucharistico munitos fuisse.

867. — *Ad 3m dicitur* assumptionem Dallaei esse falsissimam. In

vetere quippe ecclesia munus audiendi confessiones habitum esse veluti unam ex praecipuis partibus ministerii sacerdotalis patet ex iis testimoniis quae ex Origene, Augustino, Ambrosio et aliis produximus. Huc videlicet pertinent omnes ii loci in quibus sacerdos exhibetur veluti *medicus animarum.*

868. — *Nec obstat* quod ii qui sacerdotum sive episcoporum sive presbyterorum vitas scripserunt, non narrant confessionalem hunc laborem ab ipsis exercitum esse. Hoc non obstat, inquam, non solum a) quia argumenta negantia nullius sunt valoris, quando ex adverso suppetunt argumenta positiva, sed etiam b) quia qui vitas vel encomia sanctorum scripserunt, non meminerunt omnium functionum sacerdotalium quas illi exercuerunt, cum eorum scopus sit recensere quae singularia sunt et insignia, non quae communia et vulgaria. Ceterum ex indice Dallaei expungendus est Ambrosius, hic enim, Paulino teste, confessionibus audiendis vacabat. Expungendus est Hilarius arelatensis, quem scriptor ejus vitae significat fuisse assiduum in excipiendis paenitentibus et per consequens in audiendis eorum confessionibus. Expungendus est denique Ephrem, cum diaconus tantum fuerit, nec proinde ministerio confessionum praeponi potuerit.

869. — *Nec obstat* etiam quod in libro II Constit. apostolicarum ubi recensentur variae partes muneris sacerdotalis, nulla fit mentio hujus confessionalis officii. — Hoc etiam non obstat, inquam, quia quae de paenitentiae publicae administratione ibi commendantur, confessionis usum doctrinamque supponunt.

870. — *Ad 4^m^ dicitur assumptum esse simpliciter falsum,* — tum quia a) plerique patres, uti Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Caesarius arelatensis, Anastasius sinaita, quam frequentissime exhortantur peccatores ad faciendam suorum peccatorum confessionem, — tum quia b) ipsi intelligendi sunt commendare necessitatem confessionis, quotienscumque commendant ut necessariam susceptionem actionis paenitentiae, qua susceptione confessio vel comprehenditur vel connotatur, uti a nobis olim ostensum est.

Et quando Dallaeus priorem partem hujus responsionis excludit, dicendo confessionem illam peccatorum de qua patribus in suis homiliis est sermo, esse vel confessionem quae ordinabatur ad paenitentiam publicam, vel confessionem quae intus in conscientia fiebat soli Deo, ipse manifesto petit principium. Sic enim in argumento illo suo ducto ex silentio patrum, praesupponit veritatem suae sententiae, quam oporteret eo argumento primum concludi. Ceterum patet ex

ante a nobis ostensis falsum esse confessionem illam de qua patres in suis homiliis loquuntur, non esse confessionem omnium omnino peccatorum, etiam non canonicorum, sacerdoti factam.

Ad 5m dicitur, sacerdotibus primorum saeculorum loco summularum casuum conscientiae fuisse vel *collectiones canonum*, qualem aliquam jam Cyprianus memorat in aliqua sua epistula, vel inde a saeculo VI aut VII libros paenitentiales.

CAPUT XXI.

De satisfactione secundum se.

871. — Jam agendum est de tertio actu paenitentis se tenente ex parte materiae vel quasi materiae sacramenti paenitentiae, nempe de satisfactione.

Est autem satisfactio *actio compensativa injuriae quae Deo illata est per peccatum.* Ordinari potest ad delendum vel reatum culpae vel reatum poenae temporalis quae post dimissam culpam exsólvenda est. In quantum satisfactio ordinatur ad delendam culpam peccati mortalis, ea non distinguitur a contritione illa quae sive se sola sive una cum sacramento est dispositio proxima ad justificationem recipiendam. Et per consequens talis satisfactio, quando justificatio contingit extra sacramentum, est contritio perfecta, quando vero justificatio contingit intra sacramentum, est contritio imperfecta sive attritio. Manifestumque est talem compensam exhibitam in ordine ad delendam culpam mortalem, non esse satisfactoriam nisi de congruo, sicuti etiam non est meritoria nisi de congruo.

872. — Modo agitur de ea compensa sive satisfactione quae praestatur ad delendum reatum poenae temporalis remanentis post culpam complete dimissam. Talis porro satisfactio duplex est ; alia videlicet est satisfactio quae praestatur extra sacramentum et quae poenam temporalem remanentem delet ex opere operantis, alia vero est satisfactio quae praestatur intra sacramentum et quae poenam temporalem remanentem delet ex opere operato.

In quaestionibus ergo quae disputantur de satisfactione debita pro remanente poena temporali, subjectum considerationis potest tripartito variari, secundum quod videlicet consideratio fit — vel a) de satisfa-

ctione, prouti praescindit a differentiis sacramentalis et extra-sacramentalis, — vel b) de satisfactione extra-sacramentali, — vel c) de satisfactione sacramentali.

In praesenti capite agemus de satisfactione considerata secundum se sive in genere et de ea satisfactione quae fit extra sacramentum.

873. — Quia autem, uti dictum est, satisfactio de qua hic sermo est, operatur ad deletionem reatus poenae temporalis post dimissam culpam remanentis, et quia, per consequens, nullus est locus tali satisfactioni, quando una cum culpa totus reatus poenae temporalis tollitur, idcirco primo tractanda est quaestio, cujus solutio affirmativa praesupponitur possibilitati satisfactionis hic consideratae quaeque ea de causa est veluti praembula ad omnes alias quaestiones deinceps tractandas, haec videlicet, utrum a) possibile sit culpam dimitti, non plene remissa poena propter ipsam incursa, et, supposito hoc possibile esse, utrum b) revera in justificatione eorum qui post baptismum sunt lapsi et resurgunt, ordinarie contingat ut, remissa culpa, aliquid poenae temporalis exsolvendum remaneat.

Et quidem, si quaestio haec quoad alterutram suam partem negative solvatur, consequenter dicendum erit eodem illo actu contritionis justificationem praecedentis quo homo satisfacit pro peccato a se commisso quantum ad culpam, eum etiam satisfacere pro eodem hoc suo peccato quantum ad omnem poenam ei debitam, et sic non esse alios satisfactionis actus nisi vel contritionem perfectam extra sacramentum vel contritionem imperfectam intra sacramentum. Unde jam ulterius erunt consequentia haec tria, nempe a) actus quibus homo Deo satisfacit pro peccatis a se commissis, non posse esse satisfactorios de condigno, sed de congruo dumtaxat, et b) propter perfectiorem contritionem quam homo sive extra sacramentum sive intra sacramentum affert ad consequendum justificationis effectum, non contingere perfectiorem remissionem poenae positivae peccato debitae, et denique c) non posse poni in sacramento paenitentiae praeter contritionem et confessionem intervenire ex parte paenitentis tertium aliquem actum, satisfactionem videlicet, quae virtute clavium ex opere operato operetur ad remissionem poenae temporalis remanentis post culpam jam dimissam.

Contra, si proposita quaestio quoad utramque suam partem affirmative resolvatur, consequenter affirmanda erunt haec quattuor, nempe a) praeter actum contritionis esse et alia opera poenalia sive laboriosa quibus homo Deo satisfacere possit pro suis peccatis, b) actus, quibus

homo jam justificatus operatur ad remotionem poenae temporalis remanentis, esse de condigno satisfactorios, c) in secunda ea justificatione quae post baptismum sive intra sacramentum paenitentiae sive extra illud contingit, uti et in ea justificatione quae ante baptismum per contritionem perfectam contingere potest, eo perfectiorem contingere remissionem poenae positivae peccato debitae, quo perfectior fuerit contritio, adeo ut, prouti ille qui justificatur, magis vel minus fuerit contritus, major vel minor sit poena temporalis quae post dimissam culpam ei luendam remaneat, ac demum d) nullam repugnantiam includi in eo quod in sacramento paenitentiae tertius quidam actus paenitentis, satisfactio videlicet, virtute clavium elevetur ad delendum ex opere operato poenam temporalem quae, etiam dimissa culpa, pro peccato exsolvenda remaneat.

874. — Porro in re proposita sunt duae sententiae.

Prima est Lutheri et post eum omnium aliorum protestantium, qui docent nunquam remitti culpam sine hoc quod de facto remittatur etiam omnis poena sive aeterna sive temporalis peccato debita ; immo aiunt repugnantiam includi in eo quod, dimissa culpa, aliquis reatus poenae temporalis remaneat. Unde consequenter negant necessitatem et utilitatem satisfactionis. Seu, ut accuratius loquamur, ipsi negant possibilitatem talium nostrorum operum quae formaliter habeant rationem satisfactionis, et propter hoc ipsum ipsi tollunt necessitatem et utilitatem omnium operum poenalium et laboriosorum. Rationes eorum sunt — tum a) quod ponere nos nostris operibus satisfacere Deo pro nostris peccatis, derogat satisfactioni Christi, quia hoc est ponere Christum sua passione et morte non sufficienter satisfecisse pro nostris peccatis, — tum b), et in idem recidit, quod Christus sua passione satisfecit non tantum pro culpa, sed etiam pro omni poena sive aeterna sive temporali peccato debita, quodque per consequens, cum id quod in justificatione operatur, sit virtus passionis Christi, necesse sit in justificatione remitti non solum reatum culpae, sed etiam omnem omnino reatum poenae, — tum c) quod Deus in scripturis dicitur gratis remittere peccata, hoc autem non verificaretur, si nonnisi praestita ex nostra parte satisfactione, Deus ea remitteret, quia quod satisfactione praestita dimittitur, hoc non dimittitur gratis, sed soluto pretio, — tum d) quod Deus apud Ezech. XVII, 22, protestatur se non recordaturum peccatorum ejus qui paenitentiam agens, justitiam recuperaverit ; recordaretur autem Deus peccatorum ejus, si remissas ejus culpas adhuc puniret poena aliqua temporali ; quia Deum recordari

peccatorum, attento usu loquendi scripturae, idem est atque Deum ea punire, — tum denique e) quod aliquis non est punibilis nisi propter culpam, quia sola culpa est imputabilis in poenam, quodque per consequens contradictionem implicat dicere alicui remitti culpam et sic culpam ei non amplius imputari, et nihilominus eum alicui poenae temporali remanere obnoxium.

875. — Secunda sententia errori protestantium e diametro opposita, tenetur a tota ecclesia catholica eademque docetur neque ex natura rei, h. e. ex natura ipsius justificationis, neque etiam vi liberae voluntatis divinae cum reatu culpae semper remitti omnem reatum poenae, sed, contra, iis qui post baptismum lapsi sunt, ita remitti peccata quoad reatum culpae, ut ordinarie in eis remaneat reatus poenae temporalis sive in hac vita sive in altera exsolvendae. Haec sententia ita disertius explicatur :

a) In justificatione sicut per infusionem gratiae sanctificantis remittitur peccatum quoad reatum culpae, ita tollitur etiam reatus poenae aeternae. Ratio est quod secundum doctrinam apostoli, Rom. VIII, 16, 17, per gratiam sanctificantem aliquis constituitur heres regni caelestis, non autem stant simul haec duo, aliquem habere jus ad regnum caeleste et ipsum esse obnoxium poenae aeternae. Ideoque post concilium tridentinum jam ab omnibus theologis uti falsa exploditur doctrina Hugonis a s. Victore et Ricardi a s. Victore, qui ut suam sententiam de necessitate contritionis perfectae ad consequendam justificationem conciliarent cum proprio effectu potestatis clavium, quae est remissio peccati mortalis, dixerunt iis qui per contritionem perfectam jam adepti essent gratiam justificantem, non remitti reatum poenae aeternae nisi per absolutionem sacerdotis.

b) In justificatione quae fit per realem susceptionem sacramenti baptismi, semper contingit plenaria remissio peccatorum, h. e. talis qua peccata remittantur non solum quoad reatum culpae et quoad reatum poenae aeternae, sed etiam quoad omnem reatum poenae temporalis. Ratio hujus sumitur non ex natura justificationis, sed ex libera voluntate Dei ; quia videlicet Deus constituit ut baptismus esset *sacramentum regenerationis* in quo plene commoreremur peccato, idcirco voluit ut in eo participaretur tota virtus passionis Christi et sic ex opere operato peccatum in eo totaliter, h. e. quoad omnem reatum, deleretur.

c) Similiter in martyrio contingit plenaria remissio peccatorum.

d) Aliquando etiam contingit contritionem tam esse perfectam et intensam ut simul atque propter ipsam remittitur peccatum quoad

reatum culpae et quoad reatum poenae aeternae, tollatur etiam omnis reatus poenae temporalis.

e) Plerumque tamen in ea justificatione qua sive per contritionem perfectam sive per usum sacramenti paenitentiae remittuntur peccata post baptismum commissa, ita remittitur reatus culpae et reatus poenae aeternae, ut remaneat reatus poenae temporalis. Ratio hujus est quia in tali casu virtus passionis Christi operatur ad remissionem peccatorum secundum modum dispositionum paenitentis.

876. — Non tamen concordant inter se theologi in explicando quomodo possibile sit peccatum tolli quoad reatum culpae, et nihilominus propter peccatum illud hominem manere obstrictum reatu poenae temporalis. Et quidem Vasquez ait nullam se potuisse reperire rationem ostendentem possibilitatem hujus remansionis poenae temporalis post dimissam culpam ; quae enim rationes huc adducuntur a divo Thoma vel a Durando, facile inefficaciae coargui posse. At vero haec confessio impotentiae omnino improbanda est ; nimium enim quantum inde confirmatur causa protestantium.

877. — Inter eos vero qui difficultatem propositam solvere nituntur, primus est modus dicendi Scoti, qui ait propterea, quando culpa dimissa est, adhuc remanere poenam aliquam temporalem luendam, quia, cum Deus remittit culpam, ipse poenam aeternam quae peccato debita erat, commutat in poenam temporalem. Eumdemque responsionis modum adhibent etiam Durandus, Medina, Vega et Suarez.

878. — Improbanda est tamen haec solutio veluti falsum assumens et difficultatem quae in solvenda quaestione mota occurrit, revera non tangens. Nam a) quando dimittitur culpa, dimittitur ex natura rei etiam poena aeterna, quia reatus hujus poenae nequit fundari nisi super culpam ; unde, sublata culpa, necesse est et ipsum tolli. Impossibile est ergo dicere, dimissa culpa, poenam aeternam quae peccato debebatur, mutari in poenam temporalem ; ad hujus quippe possibilitatem oporteret ut, quantum est ex natura rei, post dimissam culpam adhuc maneret reatus poenae aeternae ; sic enim et sic tantummodo Deus simul atque dimittit culpam, posset commutare poenam aeternam in poenam temporalem. Insuper b) Deus, statuendo alicui aliquam poenam, non facit ipsum esse punibilem, sed contra, punibilitatem sive condignitatem ad poenam ex parte ipsius praesupponit ; ad hoc ergo ut appareret post dimissam culpam adhuc superesse posse reatum poenae, oporteret ostendi post dimissam culpam adhuc superesse fundamentum unde reddatur dignus poena ille cui culpa dimissa est ;

tale vero fundamentum in praedicto modo solutionis nullatenus ostenditur.

879. — *Nec obviatur*, a) *huic secundae rationi,* dicendo Deum, sicuti posset non remittere culpam, sic etiam posse nolle remittere culpam nisi hac condicione ut is cui culpam remittit, etiam postquam culpa ei dimissa est, adhuc aliquid poenarum luat. — *Non obviatur*, inquam, *tali defensionis modo secundae rationi modo factae contra sententiam Scoti;* nam conceditur quidem Deum posse nolle dimittere culpam nisi hac condicione ut is cui culpam dimittit, etiam postquam culpa ei dimissa est, adhuc mali aliquid subeat ; sed negatur Deum posse statuere ut hoc malum habeat rationem poenae, nisi maneat ex parte illius cui culpa dimissa est, fundamentum propter quod ipse perseveret esse dignus poena.

880. — Itidem b) *non sufficienter excluditur secunda ratio supra facta contra Scotum,* dicendo cum Suarezio ad hoc ut aliquis maneat dignus poena aliqua temporali, satis esse quod ex parte ipsius culpa praecessit, licet deinde illam Deus misericorditer remiserit. Sic etiam, inquam, non sufficienter excluditur secunda ratio contra sententiam Scoti inducta ; nam si peccatum sit dimissum sive deletum, quomodo possibile est illud adhuc fundare condignitatem ad poenam aliquam, cum, destructo fundamento, destruatur omne id quod in eo fundatur ?

881. — Tandem c) *vis illius secundae rationis contra sententiam Scoti inductae non enervatur,* dicendo cum Vega, peccatum, licet in anima deletum sit, perseverare tamen in conspectu Dei, et eatenus illud, etiam post culpam jam dimissam, esse imputabile ei qui peccavit, ad poenam aliquam temporalem. Etiam tali modo responsionis, inquam, non enervatur vis alterius rationis contra sententiam Scoti supra inductae ; nam Deus intuitu suo infallibili non videt pro aliquo tempore nisi id quod pro illo tempore revera est ; proindeque pro eo tempore quo illud quod fundabat condignitatem ad poenam jam penitus deletum est, ipse non potest illud videre tamquam adhuc fundans condignitatem ad poenam.

882. — Est ergo alius modus dicendi aliorum, qui aiunt nihil obesse quominus, dimissa culpa et redintegrato statu amicitiae cum Deo, aliquid poenae temporalis luendum remaneat, idque patere ex eo quod qui justus est et amicus Dei, potest propter peccata venialia quae interim committit, obstringi reatu poenae temporalis. — At vero neque hic modus dicendi ulla ratione tangit difficultatem quae in solvenda quaestione supra proposita occurrit. Non enim dubitatur utrum is qui amicus est Dei, possit obstringi reatu alicujus poenae temporalis, modo

adsit hujus reatus fundamentum, sed de hoc dubitatur, utrum possibile sit, postquam peccatum quoad culpam dimissum est, remanere fundamentum propter quod ille qui peccatum illud commisit et in quantum illud commisit, perseveret esse dignus poena aliqua temporali. Jam vero tale dubium nullatenus solvitur secundo hoc modo dicendi, uti per se est manifestum.

883. — Restat tertius modus dicendi, qui est divi Thomae (in III^a, q. 86, a. 4) et Cajetani (Opusculorum tractatu 4, q. 4) et qui ut omnino verus approbandus est. Ponit videlicet sanctus Thomas in peccato mortali inveniri duo, videlicet — a) aversionem ab incommutabili bono, quod Deus est, ratione cujus aversionis aliquis incurrit inimicitiam divinam et reatum poenae aeternae, — et b) conversionem ad bonum commutabile quae, *quantum est per ipsam solam*, non inducit nisi reatum poenae temporalis. Jam vero in justificatione, propter hoc ipsum quod in ea infunditur gratia sanctificans, restitui statum amicitiae cum Deo, et sic de necessitate tolli statum aversionis a Deo fine ultimo et reatum poenae aeternae. Hoc porro intendi significari, quando dicitur peccatum esse remissum quoad maculam culpae. Non tamen propter redditam amicitiam divinam de necessitate tolli *inordinationem* quae inducta fuerat per peccatum mortale, in quantum praecise nominat conversionem ad bonum commutabile ; et per consequens neque etiam propter redditam amicitiam divinam de necessitate tolli reatum poenae temporalis, qui in praedicta inordinatione fundatur. Et quia illa inordinatio in hoc consistit quod, inhaerendo bonis creatis, induximus inaequalitatem ad jus divinum, idcirco in quantum, etiam post dimissam culpam, ea inordinatio nobis imputatur in poenam, possumus, etiam postquam peccatum quoad culpam jam dimissum est, adhuc Deo operibus nostris poenalibus satisfacere pro injuria ei per peccatum illata.

Ceterum, licet ex natura justificationis non sit consequens quod, dimisso reatu culpae, dimittatur etiam omnis reatus poenae temporalis, potuisset tamen Deus libere ordinare ut de facto semper simul atque dimittitur culpa, dimittatur etiam omnis poena temporalis. Sic enim, uti supra notavimus, ipse voluit ut in susceptione sacramenti baptismi sine obice vel in casu martyrii semper contingat plenaria remissio omnium peccatorum. Quapropter postquam soluta est quaestio de possibili, adhuc solvenda restat quaestio de facto. Sit igitur.

Propositio.

Remissa culpa mortali per paenitentiam sive extra sive intra sacramentum, non semper tota poena temporalis simul remittitur.

884. — Est de fide, definita in concilio tridentino, sess. VI, cap. 14 et can. 30, et sess. XIV, cap. 8 et can. 12.

Sess. VI, cap. 14 : « Unde docendum est christiani hominis paenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum, verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam et sacerdotalem absolutionem ; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia, non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, *sed pro poena temporali*, quae, ut sacrae litterae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt et templum Dei violare non sunt veriti. »

Sess. VI, can. 30 : « Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori paenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exsolvendae, vel in hoc saeculo vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum aditus patere possit, anathema sit. »

Sess. XIV, cap. 8 : « Demum quoad satisfactionem... sancta synodus declarat, *falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam poena condonetur ;* perspicua enim et illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. »

Sess. XIV, can. 12 : « Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo satisfactionemque paenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro iis satisfecisse, anathema sit. »

885. — **Probatur I°** *ex scriptura.* a) II Reg. XII, 13-14. Ubi objurgavit Nathan propheta regem David de adulterio cum Bethsabee et de homicidio Uriae, et ille corde compunctus dixit : « Peccavi Domino, » mox audivit ab eodem propheta : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum. » Sed ne quis putaret, dimissa culpa, nullam superesse exsol-

vendam poenam, statim adjecit : « Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. » Neque hoc contentus Dominus, multis aliis gravibus poenis quas ibidem versiculis 10-12 comminatus fuerat propheta, David castigavit.

b) Num. XX, 12, propter peccatum incredulitatis vel diffidentiae quod commiserant Moyses et Aaron ad aquam contradictionis, Deus illis hanc poenam decernit ut ne ingrediantur in terram promissam. Certe hoc peccatum remissum fuit Moysi ante suum obitum, et tamen poena quam ei comminatus fuerat Deus, ei revera infligitur Deuteron. XXXIV, 3, 4.

886. — Ad enervandum hoc argumentum **dicunt protestantes** 1° : Probationes ductae ex vetere scriptura nullius sunt valoris in re praesenti, quandoquidem, postquam Christus cumulatissime pro nobis satisfecit, jam alia viget oeconomia.

887. — **Respondetur** *negando assertum et suppositum cui nititur probatio pro eo inducta.* Nempe tam in vetere testamento quam in novo, non contingebat remissio peccati et justificatio nisi propter satisfactionem a Christo exhibitam in cruce, proindeque si propter applicationem talis satisfactionis necesse esset in novo testamento una cum culpa dimitti omnem reatum poenae, oportuisset idem contingere etiam in vetere testamento.

888. — **Dicunt** 2° : Moyses et David, publice peccando, non solum peccaverant in Deum, sed etiam in communitatem religiosam populi Dei, eo quod ei causam scandali et perversionis praebuerant. Quia ergo Deus in vetere testamento se gerebat veluti personam ducis communitatis religiosae israelitarum, idcirco, licet ipse Moysi et Davidi perfecte condonasset peccatum quod in se commissum erat, adhuc tamen exigere poterat ab iis poenas pro peccato quod in communitatem religiosam israelitarum commiserant. Et sic ex exemplis poenarum sumptarum a Deo de Moyse et de Davide non probatur, dimissa culpa, adhuc remanere poenam luendam propter peccatum quod in Deum sit commissum.

Et quidem Davidem non fuisse poenis affectum a Deo propter peccatum quod in Deum commiserat, quod jam condonatum fuerat, sed solummodo propter peccatum quo communitatem religiosam judaeorum offenderat, manifestat Deus II, Reg. XII, 14, dicens : *« Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est, » etc.*

889. — **Respondetur** ex verbis Nathan minitantis David poenas manifestum reddi hasce poenas, quae revera ei postea inflictae sunt, ei indictas esse propter peccatum quod in Deum admiserat. Sic enim loquitur propheta loco citato, 9-11, « Quare ergo contempsisti *verbum Domini* ut faceres malum *in conspectu meo....* Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, *eo quod despexeris me...* Itaque haec dicit Dominus : Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, » etc.

890. — **Probatur II°** *ex patribus,* qui enarrantes lapsum et paenitentiam Adam, Davidis et aliorum illustrium paenitentium veteris testamenti, diserte notant Deum ultionem sumere etiam de iis peccatis quae jam remissa sunt quoad culpam.

S. Augustinus, contra Faustum, libro XXII, cap. 67 : « Quid enim aliud quam cordis ejus profunda cernebat spiritus Dei, quando correptus per prophetam dixit : *Peccavi;* continuoque ad hoc unum verbum audire meruit quod acceperit veniam ? *Ad quam rem, nisi ad sempiternam salutem ? Neque enim praetermissa est in illo secundum Dei comminationem flagelli paterni disciplina,* ut et confessus in aeternum liberaretur, et afflictus temporaliter probaretur... Intellegebat enim vir alte sanctus, et non contra Deum, sed ad Deum levans animam suam, nisi Dominus esset confitenti paenitentique propitius, quantum poenarum aeternarum ejus essent digna peccata, *pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga se et manere veniam et non neglegi medicinam.* »

S. Augustinus, Enarr. in psalm. 50, n. 11, circa haec verba : *ecce veritatem dilexisti :* « Veritatem dilexisti, id est, *impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis* non reliquisti. »

S. Gregorius magnus, Moralium lib. IX, cap. 34, n. 54 : « Delinquenti ergo Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se paenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit : Dominus transtulit peccatum tuum. Et tamen multis post cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpae quam perpetraverat, exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpae diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur : sciens quod non parceres delinquenti, quia delicta nostra sive per nos, sive per semetipsum resecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere quas in iis in perpetuum non vult videre. »

891. — **Probatur III°** cum patribus tridentinis *variis rationibus* ostendentibus congruum fuisse ut, dimissa culpa, adhuc poena temporalis pro ea exsolvenda remaneret.

Nam 1° licet Deus gratis remittat culpam ex misericordia et consequenter etiam poenam aeternam, quia pro his nihil potest homo condignum agere, congruit tamen ejus justitiae ut non relinquat culpam sine poena et vindicta proportionata.

Itidem 2° hoc videtur etiam exigere ratio providentiae divinae, ne facilitas veniae sit homini occasio peccandi.

Ex dictis facile evertuntur fundamenta haereticorum.

892. — **Ad primum et secundum dicitur**, licet satisfactio Christi sit infinita, voluisse tamen Deum ut extra sacramentum et casum martyrii virtus hujus satisfactionis non applicaretur homini paenitenti nisi secundum mensuram ejus actualium dispositionum. Et sic non propter defectum satisfactionis a Christo praestitae, sed quia homo paenitens non ponit semper condiciones requisitas ad plene participandam virtutem hujus satisfactionis, contingere ut, dimissa culpa, non semper dimittatur omnis reatus poenae temporalis.

893. — **Ad tertium dicitur**, secundum apostolum gratis nobis donari delicta, quia ea nobis gratis remittuntur quoad culpam et quoad reatum poenae aeternae. Immo, etiam quantum attinet ad reatum poenae temporalis, peccata nobis gratis remittuntur eo sensu quod gratis recipimus gratiam sine qua pro delictis nostris satisfacere non possemus.

894. — **Ad quartum dicitur**, propterea de Deo asseri eum non amplius recordari peccatorum semel remissorum, quia a) peccata remissa non amplius redeunt, et quia b) ratione illorum Deus jam non amplius respicit hominem ut inimicum, nec simpliciter ab eo avertitur, quamvis ut amicum eum puniat, donec eum perfecte purget ac mundet.

Ad quintum patet responsio ex iis quae cum sancto Thoma perhibuimus de fundamento reatus poenae temporalis post culpam dimissam.

Soluta quaestione quam diximus esse veluti praeambulam in praesenti materia, jam variae quaestiones de satisfactione breviter proponendae et resolvendae sunt.

895. — **Quaeritur** 1° utrum justi suis operibus possint de condigno satisfacere pro poena temporali remanente post culpam dimissam.

896. — Negant protestantes, — tum quia a), uti ipsi contendunt, non stet suppositum ex quo procedit quaestio, nempe aliquam poenam temporalem remanere luendam post culpam jam condonatam, — tum

quia b) etiamsi staret tale suppositum, adhuc negandum esset nostris operibus posse inesse ullam vim satisfactoriam. Sicuti, uti aiunt, neque nostris operibus potest inesse ulla vis meritoria.

897. — Affirmant vero catholici, quorum sententia ut percipiatur, advertendum est nullam quidem posse esse nostri ad Deum justitiam proprie dictam, eo quod, cum quidquid sumus et quidquid habemus et agere possumus, sit subjectum Deo tamquam supremo domino, impossibile est nos tribuere vel reddere Deo aliquid quod non sit ex bonis ipsius Dei, quod tamen requireretur ad hoc ut inter nos et Deum posset obtinere propria ratio justitiae. Sive, quod idem est, virtus qua reddimus Deo id quod ei debitum est, deficit a propria ratione justitiae, non quia per eam non redditur Deo id quod Deo debitum est, sed quia per eam illud debitum non redditur ad aequalitatem. Non tamen imperfecta ratio nostrae justitiae erga Deum impedimento est quominus nostrae actiones bonae in gratia factae dicendae sint esse de condigno meritoriae vitae aeternae. Unde a fortiori dicendum est nostras actiones bonas in gratia factas posse esse de condigno satisfactorias pro poena temporali quae post condonationem culpae exsolvenda remanet. Nam si ex statu gratiae sanctificantis tantus valor sive dignitas accedat nostris actionibus ut per se proportionentur praemio vitae aeternae, a fortiori ipsae propter hunc suum valorem proportionabuntur compensandae poenae alicui temporali quae Deo exsolvenda restat. Et sic apparet, si stent haec duo, nempe a) ordinarie post dimissam culpam remanere reatum poenae temporalis, et b) nostra opera in gratia facta esse de condigno meritoria, consequenter asserendum esse quaedam saltem nostra opera in gratia facta esse de condigno satisfactoria.

898. — Ceterum inesse nostris operibus veram vim satisfactoriam manifesto colligitur ex consentiente doctrina patrum. Hi enim nihil tam inculcant quam nos variis operibus poenalibus debere satisfacere Deo pro peccatis antea commissis. Nec vero, uti contendunt nonnulli protestantes, patres intendunt solummodo loqui de ea satisfactione quae ecclesiae praestanda sit ; diserte enim asserunt Deo pro peccatis satisfaciendum esse. Neque etiam dici potest ipsis solummodo esse sermonem de ea satisfactione quae deletionem culpae praecedit ; indiscrete enim exhortantur ad satisfactionem condignam praestandam omnes qui ante peccavissent, inter quos plures sane jam ante talem satisfactionem condignam praestitam in gratiam cum Deo redierant. Sic v. g. sanctus Gregorius magn., Hom. 20 in evang., n. 8 : « Notandum est, inquit, quod amicus sponsi *non solum fructus paenitentiae, sed*

dignos fructus paenitentiae admonet esse faciendos... Neque enim *par fructus boni operis debet esse ejus qui minus et ejus qui amplius deliquit*, aut ejus qui in nullis et ejus qui in quibusdam facinoribus cecidit et ejus qui in multis est lapsus. Per hoc ergo quod dicitur : *facite dignos fructus paenitentiae,* uniuscujusque conscientia convenitur, *ut tanto majora quaerat bonorum operum lucra per paenitentiam, quanto graviora sibi intultt damna per culpam.* » Et idem Gregorius in Hom. 34 in evang., n. 16 : « Cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, *quatenus per hoc conditori suo satisfaciat,* ut qui commisit prohibita, sibimet abscindere debeat etiam concessa. » Et cum hoc ostendisset exemplo Davidis, utique jam justificati, qui aquam bethleemeticam quam desideraverat, libavit Domino, subdit : « Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum jam rigidus etiam a licitis abstinebat. »

899. — Adde dicta a concilio tridentino in sess. VI, cap. 14, et sess. XIV, capp. 8 et 9 et can. 13. Notanda sunt praesertim haec verba in cap. 8 sessionis XIV^{ae} : « Habeant autem prae oculis [sacerdotes] ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, *sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem ;* nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui patres et credunt et docent : nec propterea existimarunt sacramentum paenitentiae esse forum irae vel poenarum ; *sicut nemo unquam catholicus sensit ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari vel aliqua ex parte imminui :* quod dum novatores intellegere volunt, ita optimam paenitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant. » Tum in eadem sessione haec verba canonis 13^{i} : « Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam paenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit. »

900. — **Quaeritur 2°** quibus operibus possit satisfieri pro peccatis quoad poenam temporalem remanentem.

Communis est responsio theologorum opera satisfactoria debere esse aliquo modo poenalia sive laboriosa. Rationes ita decernendi sunt — tum a) quod peccatum eo contingit quod aliquis suae voluntati nimis indulget, quodque proinde non exhibetur compensa pro peccato

per reductionem ad aequalitatem justitiae, nisi quatenus operationes quas aliquis in compensam exhibet, fiunt quadantenus renitente naturali propensione voluntatis et eatenus sunt poenales et laboriosae, — tum b) quod qui jus alterius laedit, is ad aequalitatem justitiae restituendam debet ad bona alterius addere et de bonis propriis retrahere, in tantum autem homo retrahit de bonis propriis, in quantum sibi imponit opera poenalia et laboriosa.

Porro haec opera poenalia et laboriosa quae sint satisfactoria, recensentur praesertim haec tria : *jejunia, orationes* et *eleemosynae.* Consentiunt tamen theologi praeter haec tria, etiam alia pietatis opera, immo omnes vel ferme omnes actus virtutis posse assumi ad satisfaciendum Deo pro poena temporali quae post dimissam culpam adhuc solvenda remanet. Ratio hujus est quod, quantum est per se, exercitium cujuslibet virtutis est aliquatenus arduum sive laboriosum.

901. — **Quaeritur** 3° utrum satisfactio exhibenda sit operibus supererogationis, an vero etiam fieri possit operibus ex praecepto debitis.

902. — Duae sunt sententiae. Prima ponit satisfactionem non posse fieri operibus quae ex praecepto sint debita, sed omne opus quod assumitur ad satisfaciendum Deo pro poena temporali remanente, debere esse opus supererogationis sive consilii. Ita sanctus Thomas, Capreolus, Paludanus, Scotus, Major, Gabriel et Almainus. Rationes sunt — tum quod a) praeter aequalitatem justitiae est ut eadem solutione satisfiat duplici debito distincto, — tum quod b), si secus dicatur, consequens foret pro diversis peccatis hominem eodem opere satisfacere posse et sic non debere majorem satisfactionem praestari ab eo qui plus quam ab eo qui minus peccavit, — tum quod c) paenitentiam a confessario injunctam aliquis nequit implere opere aliunde praecepto, — tum quod d) sanctus Gregorius magnus et alii patres communiter dicunt aliquem ad satisfaciendum pro suis peccatis tantum debere se abstrahere a licitis, quantum indulsit illicitis, quod falsum foret, si per opera aliunde praecepta pro peccatis commissis satisfieri posset.

903. — Secunda sententia est Cajetani, Ledesma, Soto, Hadriani, Victoriae et Suarezii, qui asserunt, per omne opus bonum in statu gratiae peractum et in vindictam peccati assumptum, modo sit aliquatenus poenale, posse Deo satisfieri pro poena temporali remanente, sive demum sit supererogatorium, sive aliunde sit debitum ex praecepto divino aut humano vel ex voto. — Rationes sunt — tum quod a) qui martyrium sustinet, quando ad illud ex praecepto tenetur, non

minus satisfacit quam si illud sine violatione praecepti vitare posset; nec dici potest hoc provenire ex speciali privilegio martyrio concesso; nam licet morti martyris magnum privilegium concessum sit, non tamen per solam mortem, sed etiam per alia tormenta, etiam si forte per ea ad mortem non perveniatur, martyr satisfacit, — tum quod b) praeceptum ecclesiasticum jejunii eum vel maxime in finem ab ecclesia nobis imponitur ut pro peccatis nostris satisfaciamus, — tum quod c) opera ex praecepto debita sunt poenalia et laboriosa et per consequens per ipsa satisfacere possumus, quandoquidem non idcirco praecepta sunt, quia sunt poenalia, sed accidit iis, in quantum praecepta sunt, quod poenam sibi habent adjunctam, — tum quod d), si non obstante hoc quod opus aliquod ratione praecepti est debitum Deo, per illud possumus mereri apud Deum mercedem aeternam, ergo a pari, non obstante hoc quod illud opus ratione praecepti est debitum Deo, per illud possumus satisfacere Deo pro nostris peccatis, — tum denique e) quod in precibus quae formulae absolutionis sacramentalis addi consueverunt, in fine dicitur: *quidquid boni feceris aut mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum.*

904. — **Quaeritur** 4° utrum poenis sive juste sive injuste ab hominibus inflictis, vel ex cursu causarum naturalium provenientibus, vel a Deo specialiter et extraordinarie immissis, aliquis pro poena temporali post culpam remanente Deo satisfacere possit.

905. — **Respondetur** de fide esse poenis a Deo immissis et patienter toleratis aliquem pro peccatis suis satisfacere posse. Patet id ex canone 13° edito a patribus tridentinis in sessione sua XIV[a]. Tum etiam ex capite 9 ejusdem sessionis, ubi patres tridentini sic decernunt: « Docet praeterea [sancta synodus] tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, *sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.* »

Verum dubium est de duobus, scilicet 1° utrum etiam poenis ab hominibus inflictis vel ex ordinario cursu causarum naturalium provenientibus aliquis pro peccatis suis satisfacere possit, et 2° quis sit modus quo aliquis poenis a causa extrinseca provenientibus satisfacere possit. De unoquoque autem duorum praedictorum sunt plures sententiae.

906. — Prima sententia in quibuscumque flagellis quae ab extrinseco

immittuntur, distinguit duo, scilicet — a) ipsam passionem vel quasi passionem quam ea flagella inferunt sive corpori sive animae, quam sane passionem aliquis cogeretur subire, etiamsi ejus voluntas ad eam negative se haberet vel adeo eam renueret et, quantum posset, detrectaret, — et b) liberam ac voluntariam acceptationem eorumdem flagellorum per actum virtutis patientiae. Et quidem interno actu patientiae quo praedicta flagella acceptantur, ponit haec sententia aliquid redimi sive solvi de poena temporali post dimissam culpam remanente *per modum satisfactionis;* ipsa vero passione eorumdem flagellorum ait independenter a praedicto illo actu patientiae *aliquid insuper solvi* de eadem illa poena temporali post culpam dimissam remanente *per modum satispassionis.* Unde consequenter asserunt auctores hujus sententiae, etiamsi aliquis non eliceret actum patientiae in ferendis praedictis flagellis, sed respectu ipsorum ejus voluntas se haberet mere negative, vel etiam contrarie, reluctanter et impatienter ea ferendo et sic venialiter peccando, modo tamen sit in statu gratiae, fore nihilominus ut aliquid de poena temporali ipsi pro peccatis suis jam dimissis debita remittatur, non quod in eo casu pro quantitate poenae sibi remissae exhibuisset condignam solutionem per modum satisfactionis, sed per modum simplicis satispassionis, sicuti animae in purgatorio detentae. Ita inter alios statuit Medina, videturque haec ejus sententia plane sequi ex doctrina Scoti de satisfactione, de qua postea.

907. — Secunda sententia distinguit inter ea flagella quae ab hominibus vel a causis naturalibus nobis obveniunt, a Deo vero solummodo permittuntur, et ea flagella quae, sicuti mors filii Davidis ex Bethsabee nati, ex speciali providentia Dei sive vindicantis sive saltem probantis immittuntur. Flagellis prioris generis aiunt auctores hujus sententiae poenam temporalem quae post culpam dimissam solvenda remanet, non remitti per modum satispassionis, sed per modum satisfactionis tantum, h. e. non aliter nisi ratione actus interni patientiae quo ista flagella propter Deum acceptantur et tolerantur. Contra flagellis posterioris generis aiunt praedictam poenam temporalem remitti non solum ratione actus interni voluntatis quo libenter acceptantur, et sic per modum satisfactionis, sed etiam ratione ipsorummet flagellorum secundum se et formaliter consideratorum, et sic per modum satispassionis. Et quidem, plane sicuti auctores primae sententiae, aiunt huic satispassioni esse locum, etiamsi voluntas patientis negative se habeat, immo si sit invita et impatienter ferat

poenas sibi divinitus immissas. — Priorem partem principalis sui asserti probant ex eo quod a poena sibi propter delicta sua debita reus non potest liberari satispatiendo, nisi in quantum patitur poenas sibi in vindictam a judice inflictas. Posteriorem vero partem probant ex eo quod ad hoc ut aliquis solvat poenam quae sibi a judice propter delictum suum imponitur, non requiritur ut eam voluntarie acceptet, sed sufficit ut eam patiatur. Ita inter alios Dominicus Soto et Ledesma.

908. — Reprobantur autem duae praedictae sententiae, tum quia a) secundum doctrinam concilii tridentini supra recitatam flagellis a Deo immissis pro peccatis nostris satisfacimus *per Christi merita;* hoc autem, cum praedicta flagella neque sint sacramenta, neque habeant speciale privilegium, sicut martyrium, non potest esse ex opere operato, sed ex opere operantis tantummodo, h. e. eatenus solummodo quatenus per Christi gratiam patienter acceptamus praedicta flagella, tum quia b) patres in suis exhortationibus ad tolerantiam tribulationum supponunt pro manifesto non aliter nos per adversitates nobis immissas purgari a nostris peccatis, nisi quatenus eas patienter propter Deum patimur.

909. — Tertia sententia ponit duo, scilicet a) nulla flagella hujus vitae quacumque ratione a Deo inferantur, valere ad tollendum aliquid de poena temporali post culpam dimissam remanente, nisi quatenus per honestam voluntatem acceptantur et aliquo modo in Deum referuntur ; et b) omnia omnino flagella hujus vitae, etiam ea quae a Deo solummodo permittuntur, si praedicto modo acceptantur, valere ad remissionem poenae illius temporalis, non solum ratione actus interni, sed etiam ratione externae passionis secundum se et formaliter consideratae. Ita Suarez, qui secundam partem suae sententiae explicans, ait si unus homo per actum internum desideraret sibi immitti flagella a Deo, alius vero per actum internum revera acceptaret flagella sibi actu immissa, et si duo hi actus essent ejusdem prorsus efficaciae ejusdemque vis satisfactoriae, fore nihilominus ut posterior homo ratione passionis revera ab ipso toleratae magis satisfaceret quam prior.

910. — Reprobanda est tamen posterior hujus sententiae pars — tum quia a) id quod externae passioni secundum se et formaliter convenit, non tollitur ab ea, si desit actus internus, et quia per consequens, si vera esset posterior pars sententiae suarezianae, oporteret etiam in hac vita hominem, mere satispatiendo, posse solvere poenam suis peccatis debitam, cujus tamen oppositum docet Suarez in priori suae sententiae parte, — tum quia b) actus nostri externi non sunt moraliter boni

ideoque nec imputabiles sive ad meritum sive ad satisfactionem, nisi ratione actus interni voluntatis a quo procedunt ; unde a fortiori, ea quae sunt merae passiones citra nostram liberam cooperationem nobis obvenientes, non possunt habere vim sive meritoriam sive satisfactoriam nisi ratione actus interni quo acceptantur.

911. — Approbanda est ergo quarta sententia Ricardi et aliorum auctorum qui ponunt nos quibuscumque flagellis nobis ab extrinseco, modo quocumque, obvenientibus posse satisfacere pro nostris peccatis, ita tamen ut tota vis satisfactoria sit in voluntate interna qua haec acceptantur, et exterior poena nihil satisfactionis addat. Cum quo tamen stat quod ille qui poenam externam patienter patitur, communiter magis satisfacit quam alius qui, nihil exterius patiendo, haberet actum internum aeque intensum quo paratus esset ad patiendum. Et hoc propterea quia, supposito actum internum acceptationis poenarum manere eumdem quoad suam intensitatem, durationem et omnia alia ejus accidentia physica, ille tamen actus *multo difficilius* elicitur circa poenas quas revera aliquis patitur, quam circa poenas quas aliquis solummodo sibi in imaginatione repraesentat. Hinc videlicet efficitur ut in priore casu actus ille internus majorem habeat vim satisfactoriam quam in secundo.

912. — **Quaeritur** 5° utrum aliquis in statu peccati mortalis possit satisfacere pro poena temporali peccatis jam antea dimissis debita. Quaestio procedit tam de satisfactione ex opere operantis quam de satisfactione ex opere operato sive sacramentali. Modo tamen eam tractabimus quoad eam dumtaxat ejus partem quae est de satisfactione extrasacramentali.

Non quaeritur autem nisi de poena quae debita est iis peccatis quae jam dimissa sunt quoad culpam. Cum enim poena debita peccato non possit remitti nisi prius remittatur culpa, manifestum est, quamdiu homo remanet in statu peccati mortalis, eum non posse satisfacere pro poena debita iis peccatis quae nondum ei remissa fuerunt.

913. — Est igitur prima sententia Suarezii, Vasquezii et aliorum, qui asserunt statum amicitiae cum Deo esse ex parte operantis condicionem tam necessariam ad satisfaciendum pro poena temporali quae, dimissa culpa, adhuc reliqua est, ut, quamdiu homo detinetur statu peccati mortalis, impossibile sit ulla ejus opera sive de condigno sive saltem de congruo esse satisfactoria, quantumcumque ea supponantur esse honesta et poenalia et cum auxilia gratiae facta. Priorem partem hujus sui asserti, scilicet opera bona et poenalia hominis exsis-

tentis in peccato mortali non posse esse de condigno satisfactoria, probant ex eo quod peccator condigne meretur amissionem omnis boni temporalis, quodque per consequens non potest condigne mereri bonum aliquod temporale, quia non potest in eo esse condignitas ad duo opposita, mereretur autem peccator de condigno aliquod bonum temporale, si de condigno posset satisfacere. Posteriorem vero partem, scilicet opera bona et poenalia exsistentis in peccato mortali neque esse de congruo satisfactoria, probant ex eo quod nuspiam revelatum est Deum hac liberalitate uti erga peccatorem ut ejus opera cum auxilio gratiae facta velit acceptare ad satisfactionem.

914. — Secunda sententia asserit opera bona extra caritatem facta, non esse quidem actu satisfactoria, quamdiu perseverat status inimicitiae cum Deo, ea tamen incipere esse satisfactoria sive vivificari, non quidem ad meritum, sed ad satisfactionem, quando redintegratur status amicitiae cum Deo. Haec tamen sententia est manifesto falsa, quia ad hoc ut, adveniente gratia justificante, opera in statu peccati mortalis facta, vivificentur ad satisfactionem, oportet ut jam a principio habuerint vim satisfactoriam, sed per statum peccati tamquam per obicem prohibita fuerint actu exserere hanc suam vim ; non autem status peccati mortalis potuit obesse quominus haec opera statim exercuerint vim suam satisfactoriam, si quam habebant, quia, licet status peccati nequeat stare cum infusione gratiae sanctificantis, potest tamen stare cum remissione poenae alicujus temporalis.

915. — Tertia sententia est Scoti et omnium scotistarum, itidem Gabrielis, Majoris, Almaini et multorum aliorum, qui ponunt hominem in peccato mortali exsistentem posse pro peccatis jam dimissis satisfacere tum per poenas voluntarie susceptas vel acceptatas, tum etiam per involuntariam perpessionem poenarum sibi a Deo immissarum. Probat autem hanc sententiam Scotus ex eo quod, si homo extra gratiam constitutus potest per involuntariam perpessionem poenarum solvere poenam pro peccatis dimissis debitam, a fortiori eam poterit solvere per poenas ultro susceptas. Posse autem hominem extra gratiam constitutum per involuntariam perpessionem poenarum sibi a Deo immissarum solvere poenam pro peccatis debitam probat ex eo quod ad hoc ut reus luat poenam sibi a judice inflictam ita ut nihil amplius ab eo exigi possit, satis est eum hanc poenam pati, non vero requiritur ut voluntarie acceptet hanc poenam vel ut sit in gratia illius cui hanc poenam debet. Sicuti, inquit, apud regem, cum aliquis propter delictum meretur poenam abscissionis manus, si haec poena ab ipso

exigitur, etiamsi eam non offerat, nec voluntarie eam acceptet nec in gratia sit regis, nihil debet. Atque hinc consequenter deducit Scotus etiam damnatos in inferno per finitum aliquod tempus satispati tum pro poena temporali quae post dimissa peccata mortalia remanserat tum pro poena debita peccatis venialibus quae commiserant.

De hac sententia patet eam esse rejiciendam quoad eam ejus partem qua asseritur hominem extra statum gratiae exsistentem posse *mere satispatiendo* solvere poenam temporalem pro peccatis ipsi jam dimissis debitam. Ostensum est enim supra ne ab homine quidem in statu gratiae exsistente posse *mera satispassione* exstingui poenam temporalem quae post dimissa peccata solvenda remanet.

916. - Est denique quarta sententia quae ponit hominem in statu peccati mortalis exsistentem per opera bona et poenalia cum auxilio gratiae facta posse satisfacere pro peccatis jam antea dimissis, non quidem de condigno, sed de congruo. Quae certe sententia aliquali probabilitate non caret, licet probabilior sit prima sententia superius exposita.

CAPUT XXII.

De satisfactione sacramentali.

917. — Satisfactio sacramentalis est satisfactio quam ex potestate judiciaria minister sacramenti paenitentiae paenitenti sua peccata rite confesso praestandam imponit. De qua satisfactione jam constat ex antea dictis eam consistere in variis operibus poenalibus, orationibus praesertim, jejuniis et eleemosynis. Ordinatur non solum ad vindictam sumendam de peccatis et eatenus ad exstinguendam poenam temporalem quae post dimissam culpam adhuc remanet, sed etiam tum ad novae vitae custodiam, h. e. ad retrahendum a novis peccatis, tum insuper ad infirmitatis medicamentum, h. e. ad tollendos pravos habitus peccatorum. Et eatenus opera poenalia quae in sacramento paenitentiae imponuntur, non sunt solummodo satisfactoria, sed etiam medicinalia. Modo agendum est solummodo de iis operibus, prouti sunt satisfactoria.

918. — Et primo quidem de satisfactione sacramentali quaeri potest utrum per eam ex opere operato remittatur aliquid de poena temporali quae post dimissa peccata per absolutionem adhuc luenda remanet. Ad

quam quaestionem oportet in sententia Scoti negative responderi; non quod ex hac sententia sit consequens aliquid de poena temporali post praestitam satisfactionem sacramentalem non remitti ex opere operato, sed quia juxta hanc sententiam satisfactio sacramentalis est solummodo condicio, qua posita, ipsa absolutio sacerdotis prius data jam ex opere operato causat tamquam effectum secundarium remissionem vel totius poenae temporalis adhuc remanentis vel partis ipsius.

919. — Ceterum inter ipsos eos auctores qui ponunt satisfactionem esse partem materialem intrinsecam, licet mere integralem, sacramenti paenitentiae, inventi sunt nonnulli qui dicerent satisfactionem sacramentalem non tollere poenam temporalem vel partem illius ex opere operato, sed tantummodo ex opere operantis. Ita videlicet statuerunt Dominicus Soto et Ledesma. Qui aiunt satisfactionem sacramentalem hoc tantum habere speciale prae aliis operibus ex opere operantis satisfactoriis, quod ratione oboedientiae et obligationis impositae a confessario habet majorem vim satisfaciendi, quam si libere fieret, quia, ceteris paribus, opera praecepta sunt magis satisfactoria.

920. — Haec tamen sententia videtur esse manifesto falsa, immo sibi contradicere. Nam a) secundum doctrinam traditam a concilio tridentino in sessione XIV, capitibus 2 et 3, satisfactio a sacerdote injuncta videtur conferre ad perfectam illam peccatorum remissionem quae per sacramentum paenitentiae, ut est sacramentum, contingere potest; quia ergo perfecta peccatorum remissio complectitur etiam remissionem poenae post datam absolutionem remanentis, et haec secundum auctores quos hic refellimus, non fit virtute solius absolutionis, sed virtute satisfactionis sacramentalis, oportet ut haec satisfactio producat suum effectum ex opere operato, quia secus falsum erit dicere perfectam remissionem peccatorum esse effectum sacramenti. Itidem ad sacramentum N. L. pertinet ut ex opere operato producat suum effectum; unde aliquid non potest esse pars sacramenti nisi cum aliis partibus ad essentiam sacramenti pertinentibus concurrat ad producendum ex opere operato effectum sacramenti; quia ergo satisfactio sacramentalis non concurrit cum aliis partibus sacramenti paenitentiae ad producendam remissionem peccatorum quoad culpam, cum non sit pars essentialis sacramenti paenitentiae, aut negandum est satisfactionem sacramentalem esse ulla ratione partem sacramenti paenitentiae, aut asserendum est sacramentum paenitentiae praeter effectum primarium quem ex opere operato

producit, qui est remissio peccatorum quoad culpam, habere alium effectum secundarium quem similiter ex opere operato producit, nempe remissionem poenae temporalis remanentis, et ad talem effectum producendum satisfactionem cum aliis partibus sacramenti concurrere.

921. — Praecipue hic quaeritur utrum, quantum est per se, minister sacramenti paenitentiae debeat paenitenti pro peccatis quae is confessus est, injungere satisfactionem congruam, eum in conscientia obligando ad talem satisfactionem exsequendam. Qua in re sententia est Scoti, Gabrielis, Medinae et Navarri paenitentem non posse obligari a sacerdote ad praestandam satisfactionem quam is imposuit ; si tamen paenitens hanc satisfactionem acceptaverit, eum jam obligari ad eam opere exsequendam. Cajetanus vero, qui eamdem sententiam defendit, addit ex nullo capite esse mortale satisfactionem a sacerdote injunctam omittere, etiamsi haec a paenitente acceptata fuerit, nisi omissio proveniat ex contemptu. — Ratio autem hujus primae sententiae est quod, cum sacerdos duo suo judicio efficiat, nempe a) commutationem poenae aeternae in poenam temporalem per absolutionem a culpa, et b) commutationem poenae temporalis alterius vitae in poenam temporalem vitae praesentis, paenitens potest se subjicere judicio sacerdotis quoad primum, illud vero refugere quoad secundum, quia ipsi integrum est poenam temporalem quae luenda remanet, Deo exsolvere in vita futura per poenam purgatorii.

Oppositam sententiam jam ante concilium tridentinum docuerunt sanctus Thomas et alii plerique doctores scholastici ; post concilium vero tridentinum eam unanimiter tenent omnes, excepto uno Navarro, qui verba concilii non satis attente expendit.

Propositio.

Potest et, quantum est per se, debet sacerdos paenitenti sua peccata confesso injungere salutares et convenientes satisfactiones, idque ita ut ad easdem exsequendas paenitentem in conscientia obliget.

922. — Ita accipitur ex concilio tridentino, sess. XIV, cap. 8 et can. 15.

Sess. XIV, cap. 8 : « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et paenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum paenitentibus agant,

levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae occulis ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, *sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum tantum, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui patres et credunt et docent.* »

Sess. XIV, can. 15 : « Si quis dixerit claves ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum ; et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi, et fictionem esse quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit. »

923. — **Prima pars** : *Sacerdos potest injungere salutares et convenientes satisfactiones.*

Probatur I° *ex scriptura.* 1° Matth. XVIII, 18 : « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis supra terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis supra terram, erunt soluta et in caelo. » Uti patet ex hisce verbis : « Quaecumque alligaveritis, » « quaecumque solveritis, » potestas ligandi atque solvendi quam eo loci Christus promittit suis apostolis, tam indefinite patet ex parte sui objecti ut non aliunde limitari possit nisi ex fine ecclesiae a Christo praefixo ; unde cum ad hunc finem, qui est salus animarum, apprime conferat remissio peccatorum coram Deo et salubris eorumdem purgatio, necesse est dicere potestatem ligandi atque solvendi se etiam extendere ad forum internum. Quia ergo aliquis modus ligandi in foro interno consistit in impositione satisfactionis facta per virtutem clavium, et quia impositio talis satisfactionis confert ad finem qui in hoc foro intenditur, qui est completa deletio peccati, manifestum est apostolis eorumque successoribus, quatenus constituti sunt a Christo judices peccatorum in foro interno, competere potestatem non solum solvendi peccatores a vinculo peccatorum quoad culpam, sed etiam ligandi eos obligatione praestandi salutares et convenientes satisfactiones in ordine ad tollendam poenam temporalem remanentem post culpam dimissam.

2° Jo. XX, 23 : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » Quandoquidem potestas clavium (potestas remittendi ac retinendi peccata) quam ibi Christus confert apostolis, nulla prorsus limitatione afficitur ex parte sui objecti, haec potestas potest se extendere ad plenariam remissionem peccatorum, h. e. ad remissionem eorumdem non solum quoad culpam, sed etiam

quoad poenam temporalem ordinarie remanentem post dimissam culpam ; sed impossibile est ut potestas clavium se extendat ad remissionem peccatorum quoad ipsam poenam temporalem remanentem post dimissam culpam, nisi aliquis actus hujus potestatis sit imponere satisfactionem quae, in quantum aliquo modo procedit ex virtute clavium, operetur ex opere operato ad remissionem poenae temporalis remanentis.

924. — **Secunda pars** : *Sacerdos, quantum est per se, debet injungere salutares et convenientes satisfactiones.*

Dicitur : « *Quantum est per se ;* » per accidens enim contingere potest ut sacerdos, nulla imposita satisfactione, absolvere possit, nempe vel a) quando paenitens est impotens ad praestandum ullum opus satisfactorium, uti quando jam morti est proximus atque adeo jam sensibus destitutus jacet, vel b) quando ex ipsa confessione et aliis signis editis a paenitente sacerdos intellegit paenitentem jam integre pro peccatis suis satisfecisse.

Rationes principalis asserti sunt tum a) quod satisfactio injuncta a sacerdote est pars integralis sacramenti paenitentiae, uti satis indicat concilium tridentinum in sess. XIV, cap. 3 ; tenetur autem sacerdos procurare integritatem sacramenti, — tum b) quod hoc sacramentum confertur per modum judicii, in quo non semper tota poena gratis remittitur, et ideo ut, aequitate servata, feratur hoc judicium a sacerdote, requiritur ut ipse delictum vindicet, imposita poena, — tum c) quod hoc sacramentum est medicina, in quo non solum vindicta, sed praecipue correctio paenitentis intenditur, et ideo obligatur sacerdos ad imponendam satisfactionem quae sit paenitenti medicinalis et accommodata ad eum praeservandum a similibus delictis.

925. — **Tertia pars** : *Sacerdos potest et per se debet in conscientia obligare paenitentem ad exsequendam paenitentiam quam ipsi injungit.*

Rationes sunt — tum a) quod si in arbitrio paenitentis esset acceptare paenitentiam a sacerdote taxatam, satisfactio non esset vere sacramentalis, cum non derivaretur a potestate clavium, — tum b) quod sacerdos in tantum, injungendo poenam, exercet actum ligandi, in quantum imponit paenitenti obligationem poenam subeundi, — tum c) quod si paenitens sine ullo peccato posset omittere satisfactionem a sacerdote injunctam, posset sacerdos, si ita vellet paenitens, nullam satisfactionem injungere, unde, a fortiori, posset injungere satisfactionem levem pro peccatis gravissimis, cujus tamen oppositum tradunt patres tridentini in sessione sua XIV, cap. 8.

926. — **Probatur** denique propositio quoad omnes suas partes simul *ex traditione*. Nempe a) nihil apud patres est frequentius quam ut inculcent vi potestatis clavium sacerdotibus commissae satisfactionem esse obligatoriam tum quantum ad ejus injunctionem ex parte sacerdotis, tum quantum ad ejus exsecutionem ex parte paenitentis. Nec verum est patribus esse solummodo sermonem de satisfactione quae exigebatur a publice paenitentibus. Origenes enim, Augustinus et alii patres quorum testimonia capite XXI, agendo de confessione, produximus, loquuntur etiam de ea satisfactione quae virtute clavium imponenda sit pro peccatis non canonicis. Itidem b) eamdem obligationem urgent veteres canones paenitentiales et veteres libri paenitentiales.

927. — Restat tractanda unica quaestio, haec videlicet, utrum satisfactio sacramentalis in statu peccati mortalis facta sortiatur suum effectum. Sunt quattuor sententiae.

Prima sententia ponit talem satisfactionem, ne adveniente quidem caritate, ullum sortiri effectum. Ita decernunt Dominicus Soto et Ledesma, et quidem omnino consequenter ad eam ipsorum doctrinam quam supra perhibuimus. Ex una enim parte tenent hi auctores satisfactionem sacramentalem non esse satisfactoriam ex opere operato, sed tantummodo ex opere operantis, ex alia vero parte ipsi asserunt opera poenalia quae in statu peccati mortalis fiunt, neque esse satisfactoria ex parte operantis, cum actu fiunt, neque evadere tali modo satisfactoria, quando removetur obex peccati, quandoquidem opera in statu peccati mortalis facta non sint vivificabilia ad satisfactionem vel ad meritum.

928. — Secunda sententia distinguit inter ea opera satisfactoria quae relinquunt aliquem effectum, qualia sunt v. g. jejunium quod relinquit macerationem, et eleemosyna quae relinquit carentiam pecuniae, et alia opera satisfactoria quae nullum post se relinquunt effectum. Et quidem, si satisfactio sacramentalis quae in statu peccati mortalis praestita fuerit, constiterit in operibus prioris generis, docet haec sententia eam nullius esse effectus quantum ad remissionem poenae temporalis, quamdiu perdurat status peccati mortalis, eam tamen jam sortiri hunc suum effectum, quando tollitur fictio, h. e. obex pecccati mortalis. Quando vero satisfactio sacramentalis quae in statu peccati mortalis exhibita fuerit, constiterit in operibus posterioris generis, asserit praedicta sententia eam neque quando actu peragitur, neque etiam quando, adveniente caritate, jam recedit fictio, operari ad effec-

tum remissionis poenae temporalis. Ita inter alios statuunt Paludanus, Sylvester et s. Antoninus. Propterea autem hi auctores distinguunt in re praesenti inter opera satisfactoria relinquentia effectum et opera satisfactoria nullum relinquentia effectum, quia censent sacramenta operari physica causalitate, impossibile autem sit satisfactionem sacramentalem, recedente fictione, operari physica causalitate, nisi reliquerit aliquem effectum ratione cujus operetur.

929. — Tertia sententia est Cajetani, Navarri, Petri Soto, Ledesma et Suarezii, qui universaliter asserunt omnem satisfactionem sacramentalem quae in statu peccati mortalis impleta fuerit, recedente fictione, sortiri suum effectum, qui est remissio poenae temporalis post dimissam culpam remanentis. Quod idem tenent Cajetanus et Suarez de toto sacramento paenitentiae ; putant enim hoc sacramentum posse cum fictione recipi et sic illud simul posse esse validum et informe. Notat autem Cajetanus satisfactionem sacramentalem quae, nonnisi recedente fictione, operetur, non habere tantum effectum quantum habuisset, si in gratia peracta fuisset. Nam satisfactionem sacramentalem quae in gratia fiat, ait operari ad remissionem poenae temporalis non tantum ex opere operato, sed etiam ex opere operantis ; contra, satisfactionem sacramentalem quae in statu peccati fiat nec nisi recedente fictione sortiatur effectum, ait non operari ad remissionem poenae temporalis nisi virtute sacramenti, h. e. ex opere operato tantummodo.

930. — Est denique quarta sententia quam tenet Vasquez et pro qua citat Marsilium, juxta quam satisfactio sacramentalis in statu peccati mortalis exhibita, statim atque opere completa fuerit, h. e. adhuc perdurante statu peccati mortalis, operatur ad effectum remissionis poenae temporalis, non quidem ex opere operantis, sed tantummodo ex opere operato. Et haec sententia videtur esse vera et amplectenda. Nam ex una parte difficile est negare satisfactionem sacramentalem, etiamsi in statu peccati impleta fuerit, esse, quantum est per se, efficacem, h. e. talem quae, nisi aliquid obstet, possit sortiri suum effectum ; est enim pars sacramenti, unde etiam usus ecclesiae non habet ut paenitentes jubeantur hanc satisfactionem, cum jam gratiam recuperaverint, iterare. Ex alia vero parte, si haec satisfactio, tametsi in statu peccati mortalis peracta fuerit, sit quantum est ex se efficax, nihil obstat quominus in ipso statu peccati mortalis suam efficaciam actu exserat ; non enim potest contendi statum peccati mortalis esse obici quominus actu suum effectum producat ; nam licet status peccati mortalis non compatiatur secum gratiam sanctificantem,

omnino tamen secum compatitur remissionem poenae temporalis debitae propter culpam jam dimissam.

Per se autem intellegitur quartam hanc sententiam, in quantum per eam ponitur satisfactionem sacramentalem quae in statu peccati mortalis peragatur, statim ex opere operato operari suum effectum, teneri a Scoto et ab omnibus iis auctoribus qui cum ipso asserunt statum gratiae non requiri ad hoc ut opera bona et poenalia, etiam ea quae non sint injuncta in satisfactionem sacramentalem, valeant ex opere operantis ad effectum remissionis poenae temporalis, sive per modum proprie dictae satisfactionis, sive etiam per modum merae satispassionis.

INDEX.

PARS PRIOR.

DE PAENITENTIA VIRTUTE.

CAPUT I. De notione ac significatione subjecta tum vocabulo paenitentiae tum praesertim vocabulo μετανοίας eique respondenti vocabulo hebraico teschoubâ . . 6

» II. Utrum paenitentia sit virtus 19

» III. Utrum paenitentia sit virtus specialis . . . 33

» IV. Ad quodnam genus virtutis pertinent paenitentia virtus specialis 60

» V. De supernaturalitate et per se infusione paenitentiae. 68

» VI. De actibus, objecto materiali et proprio subjecto paenitentiae 78

» VII. De necessitate paenitentiae 89

PARS POSTERIOR.

DE PAENITENTIA SACRAMENTO.

CAPUT I. De potestate a Christo ecclesiae suae facta remittendi peccata post baptismum commissa . . . 117

» II. De usu potestatis clavium in ecclesia priorum saeculorum 172

» III. De modo quo ex Christi institutione exercenda est potestas clavium 233

CAPUT IV. De necessitate omnia peccata post baptismum commissa subjiciendi potestati clavium 245
» V. De institutione sacramenti paenitentiae . . . 267
» VI. De essentia sacramenti paenitentiae . . . 277
» VII. De ratione modoque signi essentiam absolutionis constituentis 308
» VIII. De validitate formulae absolutionis deprecatoriae . 329
» IX. De veritate verborum absolutionis 351
» X. De effectibus absolutionis sacramentalis . . . 360
» XI. De notione et partitione contritionis. . . . 375
» XII. De efficacia contritionis 390
» XIII. De natura contritionis perfectae 409
» XIV. De intensitate contritionis perfectae . . . 425
» XV. De variis auctorum sententiis circa contritionem requisitam in suscipiente sacramentum paenitentiae. 447
» XVI. De honestate attritionis pure formidulosae . . 466
» XVII. De efficacia attritionis pure formidulosae. . . 489
» XVIII. De mente sancti Augustini circa honestatem et efficacitatem attritionis pure formidulosae . . 503
» XIX. De sufficientia attritionis pure formidulosae . . 521
» XX. De necessitate confessionis auricularis . . . 559
» XXI. De satisfactione secundum se 662
» XXII. De satisfactione sacramentali 681

I

V

gia,

s partes

homae

eter

de

neri-

236.4
Sa 11 San, Louis de, 13787

AUTHOR
Tractatusde Paenitentia

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Graham	SEP 29
		OCT 8
	Rock	N 13787
	Tower &	
	Wilson	
	[illegible]	
	[illegible]	